11-13 M

X-1
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
1
9 -D
10

Fran.ci Bartolini Burgimanenensis

IN PHILOSO PHICOS ALIQVOT M. T. Ciceronis libros doctiſſimorũ uirorum Annotationes, partim nunc primùm, partim longè quàm antea emendatius in lucem editæ:

Quarum Catalogum uerſa ſtatim pagella reperies.

Rerum ac uerborum in ijſdem memorabilium locupletiſſimus Index.

Cum Cæſ. Maieſt. gratia & priuilegio ad quinquennium.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

BASILEAE.

X.4.D.15

LVCVBRATIONVM HOC VOLVMIne contentarum Elenchus.

In Academicas quæſtiones, quæ Luculli titulum præferunt, M. Antonij Palmyræni Scholion. Pag. 1
In Somniũ Scipionis, Lod. Viuis Valentini Enarratio, ſiue Vigilia, poſtremo ab autore recognita. 33
In libros V. de Finibus, Io. Petri Oliuarij Valentini Scholia. 102
In libros V. Tuſculanarum quæſtionum, Iani Pagnini Scholia. 114
In Paradoxa, Franciſci Syluij Ambiani commentarius. 160
In libros III. de Natura deorum, Petri Marſi Commentaria, innumeris quibus ſcatebant mendis repurgata. 194
In libros de Officijs, Amicitia, Senectute. Annotationes ſeorſim reperies.

ORNATISSIMO VIRTVTIBVS AC *literis uiro,* D. *Petro Obernburger, amico ſuo in primis colendo,* Ioannes *Oporinus* S. D.

QVOT capita, tot ſententiæ. Libet enim ab illo, ut prouerbij locũ ſortito, ita ueriſſimo Comici dicto, huius mei ad te epiſtolij initium ducere. Sunt inter eos qui literariæ rei animũ adieciſſe uideri uolunt, alij quidem relictorum à ueteribus monumentorum ita præter modum amantes, ut quicquid illam alioqui iurè ac meritò uenerandam antiquitatem nõ planè refert, ne aſpicere quidẽ, nedum legere dignentur, omnes adeò cùm paulo ſuperioris tum noſtri ſeculi ſcriptores, ſæpe non aſpernãdos tamen illos, & qui cum ueterum quoque præſtantiſſimis conferri aliquando, imò præferri in quibuſdam poſſint, non modò negligentes, ſed planè abhorrentes etiam. Et reperias inter hos ipſos nõ paucos, qui inde maiorem ſibi eruditionis, grauitatiſq; apud quoſdam opinionẽ paraturos ſperent, dum quæ ſæpe non modò non intelligunt, ſed fortè ne primis quidem digitis attigerunt unquam ueterum monumenta, admirari ſola imitariq; prę ſe ferũt. Vnde fit, non tantum de ſuæ ætatis hominib. iuuandis ſecuri illi ut ſint, ſed ſi quis alius etiam mediocri eruditione præditus, dignũ quoq; cognitu uel primus inueniat aliquid, atq; in publicã ſtu

dioſorum utilitatẽ promulget, uel ab aliȷs inuenta explicare quo plurib. innoteſcant inſtituat, ſtatim naſo ſuſpendant, neq; quicquam præter ueteres illos eſſe dignũ lectu, ſolo inuidiæ quodam œſtro perciti, aſſerere nõ dubitent. Atq; utinam non hac ætate nimis quàm multos huiuſmodi parum æquos Ariſtarchos reperire ita facile ſit. Alios deinde cõtrà uidere eſt omnino diuerſo iudicio præditos (ſi modo iudicium id appellandum eſt, ac nõ potius ſtupor, extremaq; ignauia quædam) qui non ſolum uetuſtatis nullo prorſum ſtudio ducuntur, ſed nihil adeò referre putãt quo quicq; modo dicas; aut quem quacunq; in re ſibi imitandum aliquis proponat: nouitatis tantum admiratores. In utroſq; igitur cõuenire illud Horatiȷ uidetur,

Dum uitant ſtulti uitia, in contraria currunt.

Multo igitur rectius ſtatuere hi uidentur (liceat enim & mihi, quanquam typographo, et à maiorum gentium profeſſoribus quorundam male feriatorum iniquitate in piſtrinum illud detruſo, in mea tamẽ ueluti harena uerſanti, etiam hac parte proferre animi mei ſententiam, idq; ſimpliciter) qui &, ſi quid boni à ueteribus poſteritati relictum extet, magnifaciunt, ac ſedulò imitandum id ſibi eſſe cenſent: & recentiorum ſcripta, quæ aliquo ſaltem pacto iuuare alicuius egregios conatus queant, loco ſuo non deturbant: & quamquiſq; iure optimo meritus eſt gratiã ac laudem, liben-

libenter atq; ex animo deferunt. Id uero boni uiri officiũ ego uel maximè iudico, neminẽ neq; gratia, nec laude merita ſpoliare, ſed liberè gratoq; animo, ſi quid emolumenti à quocunq; in Remp. prouenerit, agnoſcere ac prædicare. Neq; uero quia non ſummum atq; abſolutiſſimum in quacunq; arte ſciẽtiáue gradũ aſſequi potuit aliquis, ideo nulla prorſus laude dignus exiſtimãdus eſt. Nam & illos profuiſſe nõ parum iudicamus, qui ad quæ ipſi aſpirare omnino non poſſunt, aditũ tamen aperire alijs, ac ueluti glaciem ſecare non grauantur, pro uirili quidem parte ſua, duntaxat aliqua ratione ut proſint. Et eſt certè aliquò prodire tenus, ſi non datur ultrà: ut præclare Flaccus ait. Horum igitur in numero quum ego ſemper eos eſſe ponẽdos iudicarim, qui explicare ueterum ſcripta ſuis lucubrationibus ſtudent, dedi operam hactenus, ex quo tẽpore typographica induſtria iuuare Rempub. literariã pro tenuitate mea inſtitui, ut ex tam grãdi atq; diuerſo horum qui & extant hactenus, quiq; ſubinde emergunt hodie bonorum autorum ἐξηγητῶν, eos deligerẽ, qui et optimi & in optimos quoſq; autores lectu dignũ aliquid elucubraſſent. Quocirca ante annos aliq̃t paucos in M. T. Ciceronis Orationes primũ, inde etiã in eiuſdẽ Epiſtolas ac Oratorios libros omnes cũ diuerſorũ cõmentaria collegiſſem, atq; uti typis expreſſa ea quàmplurimis communicarent effeciſſem, neq; ingrata intellexiſſem

 fuiſſe:

fuiſſe: ſupereſſent uero adhuc philoſophici eiuſdem M. T. Ciceronis libri, in quos eadẽ, quã in reliquis eſſem uſus, diuerſorũ Scholia colligendi opera deſideraretur: impendi eam in rem quantũ quidem licuit ſtudij, ut partim à noſtris aliquot amicis, doctis certè hominib. impetrarẽ, ſi quid in hiſce obſeruatum, annotatum'ue haberẽt, per nos uti ſtudioſis impertiri ne grauarent: partim quæ à ſuperioris ætatis hominibus cognitu digna eſſent ſcripta, congererẽ, atq; ita ut in omnia Ciceronis opera, quantum ſaltem extat, lucubrationes haberentur curarem. Itaq; ſucceſſit eò uſq; mihi ſtudiũ illud, ut iam in totũ Ciceronẽ id genus explicationũ nactus, quod reliquũ adhuc ſupererat, iam tandẽ edere in publicũ licuerit: niſi q̃d in libros de Diuinatione, de Fato, de Vniuerſitate, de Legib. quæ habebã, reliquis cõiungere nunc quidem non potui, temporis breuitate partim, partim uero immenſa negociorum, quibus ſimul tantum nõ obrutus ſum, mole impeditus: adeò ut non rarò me tot laboribus, ſemel ut expedirem ſuſceptis, imparem fore, atq; ſuccubiturũ oneri putarem. Maximè uero eam moleſtiã auxit incredibilis exemplariũ ferè omnium quibus excudendis hac tota hyeme operam noſtrã impendimus deprauatio, ut nullũ non innumeris mendis ſcateret: quib. omnib. tollendis unus ſufficere uelut Hercules cõficiendis tot monſtris nõ poſſe uidebar. Feci tamen quantum potui, ut & emen-

datiora pleraq; prodirent, & ſtudioſorũ uſui accommodatiora, nulli in hoc ipſum labori, nullis uigilijs parcẽs. Cuius rei mihi teſtis eſſe locuples poterit Ioachimus Ligonius Annæmontanus, optimæ ſpei iuuenis, qui recidendis hiſce tot, uelut ſibi mutuò ſuccreſcentibus, hydræ capitibus, tanquã Theſeus Herculi, ſedulam unà mecum quoq; operam locauit. Hanc igitur qualẽqualem in philoſophicos aliquot M. T. Ciceronis libros farraginem, eo libentius tibi nuncupandam cenſui, optime atq; humaniſs. D. Petre, quod ſingulari te quoq; autoris illius, ceu latinæ eloquentiæ atq; philoſophiæ parentis, ſtudio teneri, iamdudum certis argumentis intellexerim: neque non gratum fore, quicquid ad eundem illuſtrãdum, per te alijs quàmplurimis cõmunicetur, perſuaſiſſimum habeam. Proximè autem & reliquorũ, quos dixi adhuc ſupereſſe, explicationes dabimus, ubi collatum à nobis in hiſce euulgandis ſtudium non fuiſſe ingratum intellexero. Bene uale, humaniſs. D. Petre: et clariſſimo uiro D. Ioanni Obernburger, Cæſ. Maieſt. archigrãmateo, fratri tuo chariſſimo, etiam atq; etiam me commenda. Baſileæ, Idib. Martijs. 1544.

IN M. TVLLII CICERONIS ACADEMICAS QVAESTIONES, quæ Luculli titulum præferunt,

M. ANTONII PALMYRAENI Scholion.

GRauißimum doctrinæ genus hoc libro nobis proponitur. Agit enim Cicero de noticijs naturalibus, de principijs intellectus in natura, de ſenſibus in corpore conſtitutis, de uoluntate ſenſibus cõſentiente, de motibus animi quos Græci φαντασίας uocant: Vtrum poßint aliquid ad ueri cognitionem uiſus iſti, num perfectè res deprehendant noſtri ſenſus, an rectæ ſint intra nos ſententiæ communes, utrum in uirtute ualeat humanum arbitrium. Agit autem ut philoſophus magis, quàm ut orator: conijciens ſeſe in mediam omnium ſapientum ſcholam. Et diſputat primùm pro Stoicis, contra Academicos, cum Philonem eorum principem rationibus redarguit: qui tollebat cogniti iudicium, & incogniti. Deinde rurſus ab Academicis contra Stoicos, cum Zenonem hac profeßione primarium refellit: qui neminem dicebat quicquam ſcire, niſi ſapientem. Interea uero miratur utriúſque partis & ignorantiam, & diſſenſionem inter ipſam. Nec enim Zeno oſtendit, quis tandem ille ſapiens ſit: nec demõſtrat alijs etiam in ſua ſecta, ſic ut ipſi idem ſemper tueantur. Pari modo diſcepant opinionibus Academici: quod ex eis nullus omnino probauit illam rationem quam cæteris ſemel approbãdam tradidit. Ipſe quidem pulchrè progreditur, in apprehendenda doctrinarum ethnicarum incertitudine: ſed ut ethnicus tamen, qui nihil ex ſe ueri noſſe poßit, nihil uidere, præterquam inane. Eoq́; uix in tot argumentis quicquam concludit. Ad finem certe, totam tractationem abrumpit: Catulo tantum data quadam ſententia, cuius etiam ſenſus diu multumq́; perquiri debeat. Libet dicere: Terq́; quaterq́; fœlices Chriſtiani, qui tantam naturæ cæcitatem diuini luminis effugerunt beneficio. Quis per rationem propriè Deum, quis ætheris eſſentiam, quis legem illius ueritatis ſummam, cuius unicum genus plurimas ſpecies contineat, intellexiſſet? ſi materiæ terrenæ, ſi res in corpore nobiſcum habitantes, tam uarium errorem pariunt, adeò nobis obſcuræ ſunt, ut oculis neque tangi queant, neq; manibus teneri, neque

cum perpetuo uidelicet uſu, tamen recte percipi. Legamus igitur philoſophorum literas, uideamus iudicia de rebus in hominum natura poſitis, in certa certis inquam uerbis iudicia: quicunq; gloriam æterni Dei propius conſiderare, & noſtram beatitudinem melius agnoſcere uolumus.

Magnum ingenium L. Luculli.) Terentium Varronē his uerbis alloquitur, qui fuit omnium Romanorum, etiam teſtimonio noſtrorum in Sacris, doctiſsimus. nec temere ſanè potiſsimum huic opiniones philoſophorum perſcribit: cum fuerit unus ante alios huiuſmodi rerum in profundo demerſarum, maxime ſtudioſus. Mitto nunc cætera. Diuus Auguſtinus ab authoritate nobis eſſe poteſt inſtar multorum millium. Is in libris de Ciuitate Dei ſic Varronis nomen prædicat: Collegit ille quondam, inquit, philoſophorum hæreſes ſeu placita ſupra bis centum octoginta. res quoque temporum iniuria corruptas, obliuione perditas, hominum prauitate compreſſas, ſolus in apertum protulit: nititurq; multis quidem locis, ut uidere licet, ipſius ſcriptorum tali genere. Quamobrem magna liberaliū ſtudiorum iactura factum eſt, quod integri propè tres libri, de quatuor Ciceronianis hoc argumento perierunt. Omnino potuit inde cognoſci, quicquid ab Ethnicis uſquam tractatum, inſigne extiterit. Nunc autem reliquijs opus metiamur: quæ ſunt, huius libri, Quæſtiones. Ac primum ſane, cur Luculli inſcribatur. Inſcribitur uidelicet conſultò. Studuit enim mirifice uir hic philoſophorum doctrinis, perſunctus Mithridatica militia. Sed præcipuè ueteri tamen Academiæ, cuius tum temporis magiſter habebatur Antiochus Aſcalonita: atq; ideo ſæpe ſe Philonis auditoribus oppoſuit, qui Carneadem ſequens nouā excitarat Academiam. Hinc iam partes iſtæ Luculli. Cogitet ſtatim aliquis, Ergo fuit gymnaſium Romæ? Sic Plutarchus habet. Inſtruxit copioſiſsimam bibliothecam Lucullus, ut eſſet Græcis hominibus, quare eò uenirent: domum præterea cum uictu patefecit eis ipſis, ut ſi diutius commorarentur, impedimentum ne haberent. Per quæ nimirum facile ſequutum eſt frequens & illuſtre collegiū. Nam abundabat Lucullus diuitijs, ex quo diuturnum bellum in Aſia aduerſus Ponticum & Armenium reges fœliciſsime ſemper geſſerat. nec exiſtimabat illas melius collocari poſſe, quam ſi in optimas artes, in uſum etiam ornatiſsimorum uirorum de parte impenderentur. Itaq; cum hæc eadem ipſa, tam inſignem beneficentiam, tum uere militares uiri uirtutes Cicero delaudat, quas omni uita paſsim exercuerit, cumprimis tamen Aſiatica expeditione. Iam enim mortuus erat, ut nihil obſcure poſſum intelligere, quando liber hic naſci cœpit. Et quia nouum in Cicerone uideri poſsit, quod toto prooemio laudet Lucullum, iſta quoque ratio ſuccurrit.

currit. ad Atticum certe mentionem ſcripti facit, cum obierat ille diem iam diu, libro XIII. conſtituta penè ciuili uictoria. Quo quidem etiam in loco teſtatur, ſe magnificentius uirum, ac tum laudauiſſet, laudare non potuiſſe. Tum omnis.) Tribus Lucullum nominibus commendat, ingenio, ſtudio, doctrina: ſed hic abſq; fortuna, quod ſtatim ad militaria abſtractus ſit. Cum fratre.) M. Lucullo. cum hoc ait, paternas inimicitias eſſe perſequutum. id fuit contra P. Seruilium augurem, qui patrem eorum ad damnationem uſq; furti poſtularat. Diem autem Seruilio Lucullus crimine peculatus dixit. Quod iudicium ob utriuſq; potentiam, armis actum eſt: & multi quidem occiſi, uerum abſolutus tamen Seruilius. Inde quæſtor in Aſiam abijt, autore Cheroneo. Factus Aedilis.) Abſens cum fratre, ſine quo nolebat ullum accipere magiſtratum. Aediles, ait Varro, qui ſacras & priuatas ædes procurant. Eorum duo genera, Curules, & Aediles plebis. illi ludos exhibebant, hi mœnia ciuitatis obſeruabant. Legis præmio.) Si quis optime rempub. geſſiſſet. Id quod in Aſia Lucullus, & in Græcia fecit, interim dum Marius atq; Sylla crudeliſſime dimicarent Italiã intra. Ingenium agnoſcerent.) Singulari quadam arte, licet omnino non præclara, Ciliciam ſibi decerni obtinuit, ut ita bello Mithridatico proximus eſſet, cum ex ſorte Ciſalpinam Galliam haberet. Quam ſpreuerat.) Spreuit Themiſtocles artem memoriæ, quæ res ſimul & uerba conferret obſeruatori. Magnus alioqui uir: ſed idcirco Lucullo minor. Sic habet interpretatio. Ponit enim hanc Cicero. Rex maximus.) Mithridates, poſt Alexandrum Macedonem, qui totam prope Græciam cum Aſia ſimiliter aliquando poſſedit. In conſtituendis ciuitatibus.) Præcipue Cyrenenſium repub. quam uaria tyrãnidis ſpecie diu conflictatam, ciuium precibus tandem uictus in certam formã compoſuit. At Plato prius recuſarat, dicens difficile eſſe, fortuna ſolutos legibus adſtringere. Prudens igitur cum primis Lucullus. Inimicorum calumnia.) Quorum princeps erat C. Memmius. Is, dum frater in Aſia bellum adminiſtraret, detulit M. Lucullum maieſtatis, eodem tempore & repetundarum: quod quæſtor ſub Sylla geſſiſſet præter officium atque dignitatem populi Rom. Sed poſtquam ille euaſiſſet, in alterum, iam ex Aſia redeuntem ſe conuertit: multaq; dixit apud populum de Luculli peccatis, ſic ut huic triumphus toto triennio denegaretur. Ad extremum optimates peruicerunt, & magnifice triumphauit Lucullus. Reuertiſſet.) Notandum, quod ubique propemodum Cicero hoc uerbo utatur actiuè modis præteriti. In Verrem, Cum argento domum reuerterunt. ad Att. Epheſo Laodiceam reuerti. deponens aliàs. Quid tum in maxi

mis.)Tempore coniurationis Catilinariæ. Multum enim eo rerum diſcri mine noſter implicitus,Luculli conſilijs eſt uſus. Externa.) *De rebus bello geſtis.* Interiora.) *De ſingulari prudentia,deq; doctrinarum cognitione..* Qui illum ignorabant.) *Male enim audijt ea ſecta: quæ reuo cat omnia ad uoluptatem.* Sub ipſis pellibus.) *Exponit* Budæus,*in ca ſtris ſtatiuis. nimirum quia conficiantur interdum ea tegumenta è pel libus animalium.* Ac uereor.) *Occupatio: ſi quis putet indecorum eſſe, tales uiros his nominibus ornari. Reſpondet autem exemplorum autori tate,rationumq; tecta probatione.* In legatione illa nobili.) P. *Africa nus,exacto iterum bello Punico,fuit ad Antiochum Aſiæ regem miſſus, legati dignitate. Qua in legatione cum Epheſi deuictum à ſe nuper, & profligatum Annibalem alloqueretur,incredibile uirtutis atq; gloriæ te ſtimonium à Pœno tulit..* Reſtat ut his.) *Confutatio obiectorum,confirmans Ciceronis inſtitutum breuiter. Dicat aliquis,non oportet tam graues perſonas, ut Catulus,ut Lucullus eſt,eiuſmodi ſermonibus inſeri: id improbat ex collatione. Ergo ludicris & obſcuris oportet? Quod ſi non his, quibus alijs?niſi eiuſmodi..* Quodam in libro.) *Vix opinor Tuſculanarum eſſe,uix etiam Finium libros quamuis utrobiq; philoſophica tractet.intercidit fortaſſe..* Sunt etiam qui.) *Secundo diluit ma leuolorum criminationem,iactantium, Quare uero tribuit eam illis doctrinam, quam non habuerunt? Mortuis, inquit,honorem quæro,ne ſis inuidus.Atq; hinc ſanè poteſt intelligi planè,quod coniecturis ſuprà col legi.* Reſtat unum.) *Tertio purgat à culpa ſeſe,diſputationis prætextu. Quoniam aduerſus omnes philoſophos loquor,multi poſſint indignari.nam ita philoſophantur pleriq; ut unam ſinguli ſectam ſequantur, alias non admittant. Veritas,ait, & rationibus,& contrariorum argumentis debet inueniri.Probat ſimul obiter hunc ipſum controuertendi morem,atq; ſtudium inquirendi.* Vt non ſine cauſa antiquiſſ.) *Quàm uarie de mundo, de anima, de Deo, de rebus in natura retruſis inter ſe philoſophi diſceptarunt? Notum illud Ariſtotelis,res rerum ſupereſt, Subtilis intellectus ubiq; diffunditur.* O ſapientia altiſſimi. *Iurè Cicero fatetur,infirmitatem eſſe iudicij in homine, cognitionem ueri difficul tatibus obſtructam,in ipſis rebus obſcuritatem uerſari Paulopòſt ultro quod iam fatetur,è philoſophorum paradoxis probabit.Illud etiam optime,cum inquit:* Nam quod dicunt omnia ſe credere ei,quem iudicēt fuiſſe ſapientem,probarem,ſi.) *Non uult, licet ualde timeat,ullum ſcilicet ita coli ut quæuis eidem credantur. Imò debere pro ſe unumquemq; certitudinem doctrinæ rationibus inueſtigare. Credo equidem Antiochū*

Aſcaloni-

Aſcalonitam, quod patria Palæſtinus eſſet, ex religione Iudæorum, contra uulgus diſputatorum mouiſſe multa. atq; hinc Græcis item & Romanis oblatam occaſionem accuratius examinandi ſcholaſtica dogmata. Sed Cicero mox quaſi tergiuerſatur: Statuere, inquiens, qui ſit ſapiens, uel maxime uidetur eſſe ſapientis. Quod quomodo nō eluſionem arguit? aut certe reſponſionis rectæ inopiam? Videris lector textum. Incipit tamen honeſtiſsima uoluntate ſemel inſtitutam tractationem, & inquit:

Quæ eſt ad Baulos.) *Bauli pluralis tantum, uicus inter Baias & Miſſenium, ubi boues quondam Herculis, dum iuxta Cumas hoſpitatus eſſet, dicuntur ſtabulati. Inde Boalia primum, deinde per uetuſtatis uiciū Bauli locus appellatus, autore Perotto.* *Quo quidem.*) *Præparat circūſtantijs rerum ſermonem, aperitq; progreſſum pridie decreti.* *Hic Catulus.*) *Iam incipit* διαλογεῖν. *Sed confeſtim prima perſona reijcitur ad Lucullum: niſi quod Catulus decorum miniſtrat, cum Hortenſio.* *Tam aduerſarium.*) *Nihil eſt tam graue, tam durum, his qui placere uolunt alteri, quàm ſuam ſententiam obtrudere.* *In iſta philoſophia.*) *Subintelligendum ueteris Academiæ, quam Antiochus magiſter propè neglectam reuocabat. ita quidam. Mihi uero uidetur oportere pronomen ad Heraclitum referri, & philoſophiam intelligi Philonianam, hoc eſt nouam. Sequitur enim, eum diſputaſſe cum Antiocho: quod uidelicet contrariā innuit diſciplinam.* *Implorans memoriam.*) *Non loquitur de mortuo, ſed de præſente, uiuoq; Heraclito. Quaſi diceret: Tum Antiochus ſubgemens interrogabat, Meminiſſet'ne, quæ prius Philo ſemper docuiſſet, ac ideo putaret'ne libros illos eſſe Philonis?* *Secundum fratrem.*) *Propinquitatis particula: poſt fratrem, illis plurimum tribuebat. aliàs authoritatis, ut liquet.* *Qui iſta.*) *Id eſt, Qui per inficiationem ſuos defendit, ueluti male ſentientes, cum rationibus poßit, tanquam bene: non cedit hoc modo, tam facile quidem acer aduerſarius.* *Ad Arceſilam.*) *Pritaneus, uel ad opinionem meam Prienneus, ex Academia philoſophus, auditor Crantoris.* *Carneademq;.*) *Noti nominis. qui temporibus Catonis Cenſorij, cum Diogene Stoico legatus Athenienſium Romam uenit, ut ciues ſuos à multa per Sicyonios indicta apud Senatum liberaret. Eius ſcriptis florere cœpit noua Academia. Fuit autem uetus Academia, philoſophorum in doctrina conſenſio de uirtutibus, de moribus, de bonis & malis, de rerum natura, de animorum immortalitate. Noua proprium genus habuit, ut mox intelligemus.* *Primum mihi uidemini.*) *locus. excipit ciuiliter mentionem Arceſilæ & Carneadis. Clariſsima, inquit nomina commemoratis, infamia ſupprimentes, ut opinionem cauſæ faciatis Ita*

tribuni plebis ſeditioſi ſolent, repetunt Valerios, Flaminios, atq; reliquos memoria nobiles, ut ipſi tales exiſtimentur: ſi quid apud plebem turbulenti cœptare conantur. Non debetis eiuſmodi arte, quemadmodum iſti rempub. ſic uos philoſophiam bene conſtitutam perturbare. Veterum *illorum.)* In popularitate. *Saturninus enim ſanguinem, & fortunas optimatum ſuis legibus agrarijs, non plebis bonum quæſiuit.* Empedocles *quidē.)* De hoc multa *Gellius lib. 4. cap. 2.* Et hic nouæ Academiæ retegit *rationes: quod iſti philoſophi docuerint, Omnia nimium abſtruſa eſſe, nihil tam hominum oculis expoſitum, mentiue, nihil tam in philoſophia certum, ut affirmari legitime poßit.* Maiorem autem partem.) *Id eſt, ex maiore parte philoſophi iſti uidentur mihi quædam affirmare. Pleriq;, præcipui. uel addenda præpoſitio ad, ut conſtet Grammatica.*

Quod ſi tum.) A' *poßibili colligit, atq; ueriſimili. Quis arbitretur tot ſæculis, ſummis ingenijs, maximis ſtudijs nihil explicatum? Veriſimile non eſt. Iam inde tuetur ueteres* Academicos: *ſed diſputatorio more. nec enim ad finem hæc probabit.* Quorum è numero.) Decorum opponitur. *Indigna res,* Socratem et Platonem, *duo ſplendidißima philoſophiæ lumina, debere è ſapientum catalogo expungi. Planè turpis eſt* Arceſilas, *qui primus nouum doctrinæ genus commouit.* A' quibus Stoici.) *Indignitatis exaggeratio. Quin etiā* Peripatetici, *quin* Stoici *ſimul omnes reijciuntur, non ſolum* Academici: *cum tamen incredibile ſit, nullum ne unum quidem aliquid ueri deprehendiſſe. Verum quia diſſenſerunt in quibuſdam, mitigat id, & dicit uerbis plus quàm ſententijs illos inter ſe contendiſſe.* Notum, quod Peripatetici *improbarint rerum, atq; communitatem uxorum, contra* Academicos. Notum item, quod Stoici *affectus omnes ex homine uoluerint ſublatos: ex homine ſapiente uero, contrà utroſq;.* Hanc igitur in docēdo *dißimilitudinem artificioſe excuſat.* Et hercule *magis eſt pugnatum uerbis, quàm ipſa re.* Sed fuerint.) *Conceſſio.* Quid *ni ſit uetus obſcurum? permitto quod tantis temporibus oblit eratum, eſſe poßit incognitum.* Dic *an poſteri planè nihil hactenus inuenerint?* Zenoni obtrectans.) Duo *præcipui fuerunt hoc nomine,* Citticus, & Eleas. *tertius etiam in libro de* Finib. *à* Cicerone *nominatur: ſed contemporaneus, &* Epicuri *ſectator.* Illorum *autem alter* Stoicæ *diſciplinæ titulis excellens: alter patientia clarus in extremis cruciatibus, per quam ſanè poſtremo* Phalarim *Agrigenti tyrannum, eijecta lingua, ne conſcios prodere cogeretur, à ciuibus lapidari fecit.* Hic, *ut opinor, priorem nominat* Cicero. *de doctrinarum enim authorib. agit.* Et *obtrectationis mentio, ſummam exiſtimationem infert.* Fuit *autem apud Athenienſes*

ille tanto quondam in honore, ut claues ciuitatis ex commiſſo cuſtodien dus acciperet: ornaretur præterea corona à ciuibus aurea, dein & ærea ſtatua. Immutationes uerborum.) Pro uariationes, ex eo quod uerbis uno ſenſu non ſatis conſtantibus res philoſophicæ continerētur, atq; ita faciles eſſent ad immutandum alijs ſubinde & alijs uerbis. Philone autem uiuo.) Vult id probare, nunquam ueteri Academiæ patrocinia defuiſſe: quemadmodum & nouæ. Sed quod.) Periodus hæc eſt uitioſa. Deeſt enim in locis quiddam, & abundat. Itaq; legendum: Quod nos facere ingredimur, id quidam è philoſophis, faciendum omnino non putabant. rurſus: Nec uero eſſe ullam rationem, diſputare cum his, qui nihil probarent intellige, putabant illi. Quia contra negantem principia, nō eſt diſputandum. ac iam ſeriò rem agit. Nec hic ſibi.) Plutarchus ait Ciceronem primùm quædam ex Græco uocabula, quæ Dialecticorū, Phyſicorum, Rhetorum eſſent, latina feciſſe: eoq; multa tunc demum Romanos uſurpare cœpiſſe, quæ prius habuiſſent in uſu nunquam. Hinc igitur Lucullus Ciceronis quaſi licentiam attingit. Alij autem negabant.) De euidentia quæſtiones incipit. Vocat autem euidentiam, omne quod tam apertum, tam clarum eſt, ut ignorari nequeat. Euidentia uerſatur circa communem intellectum, cum præbemus aliquid oculis expoſitum, manibus obiectum, menti aptum, ſiue per inſtrumenta nota, ſiue per uſitata uerba. Quemadmodum. ſi dicas, perfidia crimen eſt, impudentia flagitiū eſt, ſcelus eſt ſacrilegium. ſi proponas, quercus arbor eſt, roſa flos, aqua liquidum uel liquor, & ſimiliter. Ita potes obſcurum alioqui locum intelligere. Quis enim hæc ignorat? quis nō perſpicit? At Philo nec oculis ſemper credi, nec manibus, nec rationi uoluit, hoc eſt ipſi in rebus euidētiæ. quia phantaſijs laborarent homines, ſenſus eſſent rudes, corrupta iudicia naturæ. Imprudens quo minime.) Cum enim affirmat ſe recte dicere, ueteres Academicos contra, ſequitur utiq; ueri euidentiam. Oportet ut certo cognoſcat, quod aliter eſſe non uult, ſed proxime. Effictū ex eo unde eſſet, quale eſſe nō poſſet, ex eo unde nō eſſet.) Rectiſſime uiſum definiri dicit. Iocatur in Zenonis & Stoicorū ſubtiliſſimas argutias. Ego certe, uix tā pauculis uerbis mēte tota ſufficio. Si hoc euidētia eſt, ualeāt iſti cum ſuis euidentijs. facile ſenſerim cum Philone. conabor tamē intelligere: & ſic fortaſſe. Viſum uides in ſomnijs amici. iam uiſum ex re quadā eſt. tale autē uideri non poſſet, niſi talis amici perſona eſſet: aut ut correſpondeā uerbis, ſi talis amici perſona non eſſet, ex qua uiſum naſceretur. Accōmodes igitur alia. Imaginatur aliquis ſe regē. hic interius illud uiſum habet, ortum à ſimili. tale autem non eſſet, ſi ſimilitudo regis non eſſet.

Laudo

Laudo tuū nomē Philo, qui negas ad huiuſmodi definitionē quicquā intelligentia cōprehendi poſſe. Nimirum oportet ſenſus hominū eſſe retuſos.

Vt ſi optio naturæ detur.) Temere: ſed haud opinor ſeriò philoſophatur, cum ait, incorruptis ſenſibus naturæ, ſi ſint, ut multis ſunt integri, nihil eſſe poſſe perfectius. Vide phyſicos. Imò uide quotidiana ſpectacula. An non uiſu lynx, olfactu uultur, auditu uulpis, guſtu ſimius, tactu araneus, motu uolucris, hominem, ut maxime perfectum ſenſibus, longe ſuperant? Itaq; poſſet aliquid etiam in hoc genere perfectius optare natura. De remo inflexo, de collo columbæ.) Sic è circumſtantijs. Non ſum is, qui remum inflexum dicam, ſi quid eam habeat formam: neque collum columbæ, ſi quid ſimile ſit. Poſſunt enim aues reliquæ par collū gerere: poteſt informi ligno ſæpe remigari. tam rudes mei ſenſus in uidendo non ſunt. Vel ita: Non ſum is qui rem ſecundum ſpeciem agnoſcā. remus inflexus curuum præfert, curuum tamen non eſt: columbæ collū plumas præfert, pluma tamen non eſt. hic hæreo. Itaq; & lumen.) Ab experientia. Primum de uiſu, quod exemplo neceſſe eſt ut declarem: alioqui ignorabitur. Proponis aurum tibi forte ſub dio, nitidum æs, chalybē politum. ibi uiſus acer eſt. uides bene quid ſit. ſed tamen ſolis ſplendorem mutari cupis, in umbra te rem contemplari, propter commoditatem luminis. Situs earum rerum.) Si quādo gemmam argento uides incluſam, mauis auro comprehendi. res eadem eſt, ſitus autem diſplicet. Et interualla aut diducimus.) Obuerſetur tibi purpura, nonne iam tibi propius admouebis, inſpectans, iam abs te longius illā amouebis? afficimur tali interuallorum uiciſſitudine. Adhibita uero.) Amplificatio minoris ad maius. atq; ſic eſt cum omnibus uulgò. Quid? ſi ſtudium accedit, & exercitatio? Videmus certe pictores in tabulis pleraq; melius uidere, quàm nos, colores, umbras, omnia parerga. Sic & cantores in cantu poſſe: qui ſimulatq; ſonum tibiæ exaudiant, ſtatim Antiopam, aut Andromacham, hoc eſt delicatum tibicinem, infirmum, popularem animaduertant. Et ſi uitioſa.) Sæpe enim fit ut interrogemus, quid odoret ita? quæramus in comeſtione, cuiuſmodi ſit eſca. In quo Cyrenaici.) Philoſophi ex Lybia, ſic à Cyrenis oppido nobili ſanè dicti, quòd inde ſuam ſectam traherent. hi tactum interiorem in homine, doloris ſcilicet & uoluptatis (nos affectum dicimus) ueri iudicium excitare docuerunt: id quod confutat Cicero. Illud eſt album.) Veluti ſi dicas, mel eſt dulce, pix eſt nigra, lapis eſt durus. etiamſi ille materiam non uideat, cui ſic dicas, credet tamen, quia notitiam hanc animo cōprehenſam habet, ut ſenſibus nihil indigeat.

Quod ſi eſſent.) Colligit argumentum modo formaq; ſic componendum:

dum: Si falleret ſenſus, ſi noticias res obiecta, ut non eſſet amarum amarum, non equus eſſet equus, laboraret deniq; natura perpetuis imaginationib. iſtis phantaſijs: Sed nō fallit ſenſus, neq; notitias obiecta res, quin id ſit, quod ſenimus ſemel, & nouimus: Ergo natura noſtra perpetuis ui ſis non laborat. Hoc infert uſus uocabulo. Quomodo autem.) Vnum ex alio. Proponit artis & memoriæ rationem. Poßibile non eſt hominem meminiſſe, quod neſciat: ergo cognoſcit homo res probè. meminit enim plurimorum. Item abſurdum eſt hominem artes condere, ſi nihil certo teneat: ergo poteſt uerum apprehendi. conduntur enim artes plurimæ. Niſi tollas omnem rerum naturam & ordinem, uerba etiam ipſa confundas. nam dicimus hunc artificem, illum inſcium. Maxime uero uirtutum.) Rhetorico more per gradus quaſi, altius & altius aſcendit. Miſerrimum planè, uirtutem nos neſcire debere, cum laudem tractemus, eamq; tuendam in uita dicamus, hoc ipſum tamen ignorare prorſus.

Quæro etiam ille uir bonus.) Exempli grauitate partem urget. Significat autem Attilium Regulum, pulcherrimæ fidei uirum: aut certe Eleatē: qui potius quàm officiū deſereret, amicos negligendo, uel fidem proderet conſcios indicando, doloribus acerbißimis confici maluit. Niſi fingit abſolutè bonum uirum hic. Quod mouet prius.) Vt, cum appetis diuitias: uides nimirum quid aurum ſit, credis etiam quod utile. non autem appeteres, ſi neq; uidere poſſes, neq; credere. Ergo reſtat integritas in homine cognoſcendarum rerum. Quid quod.) Vltimum hoc loco ſummumq; argumentum, de communi natura. Nihil eſt ipſa ratio, qua diſtinguitur à brutis homo: ſi iſti rectè ſentiunt. Quia non cōuenit rationi cum ſomnio, iudicio cum opinione, experimentis cum uiſo: ſed contraria ſunt. Itaq; cōfirmato principali, ſequētia quoq; audenter aſſumit: quæ proficiſcuntur inquam ex ratione. Eorum uero prima quæſtio, deinde per quæſtionem inuentum, poſtea concluſio ſatis iam inuenti: poſtremo cōcluſionis editio, cum ueri rectiq; lex, nempe dogma profertur. Quo è uitio.) Lege, quum è uitio & amicitiarum proditiones, & rerū publicarum naſci ſolent. ut ſit correlatio uerborum de recto & uitio. Non poteſt igitur.) Epilogus omnium quidem in hanc ſententiam argumentorum, quòd res certo cognoſci queant. Idq; complectitur decretorum inter ſapientes approbatione. Sequitur enim: ſi nullum ſapientis dogma falſum, & illud uerum, quod contra te Philo decernitur. Quare totā hanc amoue doctrinam: non eſt multum opus argumentis. Sed ex Antipatro.) Tyrius, inter Stoicos non poſtremi nominis, de quo pulchrè libr. 3. Offi. Diſſeruit is cōtra Carneadem in hac ipſa cauſa. Dic, inquiens, ô Car

neades, ſi fateor nihil percipi certo poſſe, nec iſtud quidem eſſe perceptum, quod ſecundũ te fateor modò. Sophiſma peracutũ. Acutius tamẽ reddit ille: uerum oportet, ut hic accuratiſsime mentem aduortas. Puto operæprecium non uides: præterquam, quod ocioſorum hominum ingenia mirere. Quoniam enim.) *Tandem ſummã ſummarum abſoluit Antiochus, qui uerbis ipſorum proprijs illos conuincit: Dicitis, inquit, hoc negligi debet, hoc accipi: percipitis utiq; uerum, idq; ſequimini.* Sequitur diſputatio.) *Tranſitionis altera pars. Prior ad huius caput imminet, recipit ſe è phyſicis quiddam allaturum.* Quale eſt, numerus ſtellarum eſt'ne par, an impar. Alia uiſa ſic arripit.) *Vt cum ſcribimus, loquimur, opus propoſitum agimus, mens ſtatim utitur obiecto.* Aliqua recondit.) *Vt cum id facere non poſſumus, memoria ſtatuimus, ad primam facultatem facturos eſſe.* Cætera ſimilitudinibus.) *Vt cum nobis ipſi fingimus, homo eſt, ergo animal mortale, capax rationis: Iuſtitia reddit ſuum cuiq; uirtus igitur: ſi uirtus, ergo colenda: ſi colenda, debet igitur authoritate publica ſanciri.* Qui omnia ſic incerta.) *Ridendum acumen ingeniorum, in rebus minime neceſſarijs ciuiliſsime notat. Quid enim feſtiuius, quàm facere id certum maxime, quod ſit omnium maxime incertum?* Inter rectum & prauum.) *Concedunt aduerſarij res externas, materiam rerum eſſe perſpicuam: quædam probabilia, multa ueriſimilia. ſic dignoſci lignum, ſi prauum ſit, aut rectum. Cur ergo non concedunt, eandem regulam ueris & falſis? An animus infirmior eſt oculis?*

Simili in errore.) *Dixit Academicos notionem ueri & falſi tollere: id quod etiam breuibus refutauit. nunc perſequitur errores diſtinguentiũ euidentias, & proprijs ipſorum telis pugnat. Ego præterij uerba, quod anxiam expoſitionem non ferant. res enim inuſitatas, penè q; dixerim inutiles continent.* His ſatis cognitis.) *Aiunt hominem aſſentiri non poſſe: quod nonne eſt animum ipſum eripere? Voluntatis hic uim tuetur. Suprà uero de appetitu diſputauit, ſeu de appetitione, quam Græci uocant ὁρμὴν. Itaque diſcrimen inter illam & aſſenſionem fieri debet. Id tale eſt. Appetitio naturalis impulſus, qui compellit hominem agere, quod cupit, ſiue bonum, ſiue malum: ex affectibus enim oritur. Aſſenſio, naturalis motus, qui ducit hominem ad agendum quod expedit, aut ad permittendum quod obuenit, utilitatis & honeſti propoſita ratione: proficiſcitur enim ex animo. Redarguit autem nouos Academicos, quod ponant hominem aſſentiri uitijs, atque non item uirtutibus. Nam obueniunt ſæpenumero res improbæ, negocia praua, quæ licet nõ appetamus, fieri tamen à nobis, uel ab alijs, aſſenſione*

ſione permittimus. Nunc ea uideamus.) *Tranſitio. Cogitat argumenta aduerſariorum inſpicere, poſtquam ſua iam ſatis expoſuerit. Neque pars illa orationis, quam confutationem uocant, hic inſtituitur: (fecit id perpetua locorum ſerie, cum ueterem Academiam probaret, hactenus ſemper Cicero) ſed alterum doctrinæ genus, nouæ ſcilicet Academiæ, conſultò profert: quo philoſophiæ totius incertitudinem certius comprehendat, mireturq; tantam rerum & ueri in natura obſcuritatem.* Eorum quæ uidentur.) *Perpende ratiocinationem. Si non hoc eſt argutari, quid tandem aliud eſt? præſertim in rebus, uerbis homini planè ignotis, ipſo quidem uſu planè notis? Verum probationes prætermittuntur. Fortaſſe melius, quid ſibi uellent tam minutis diſtinctionibus, intelligere poſſemus. Nunc oculi ſint nobis, ſen ſus non ſint: animus ſit nobis, ratio non ſit. Vere cæci, qui cæcitatem uidentibus obtrudunt. Itaque uiſorum hanc partem tranſilio: Nam, ut maxime explicarem, nihil etiam commodi, quantum uideo, conferrem.* Exponam igitur.) *Iam inde ſeria dilucide tractat. Quæ præceſſerunt, partim fuerunt nimium obſcura, partim cognitu non ſatis iucunda. Tum autem quia nullis euidentibus exemplis uerba declarabantur, expectauimus aliam diſſerendi rationem. Primum, inquit, proponunt Academici contra Stoicos, & non male: multa per uiſionem occurrere mortalibus, quæ uana ſint. Ita fieri ſomnijs, oraculis, auſpicijs: cum huiuſmodi cauſa permoti, fingunt futura ſibi, quæ tamen aut accidant aliter, aut nunquam. Exta pluraliter tantum, cordis, pulmonis, lienis, iocinoris, uentriculi inteſtina dicuntur, ab extando: quia ſuperius circa pectus in corpore conſtituta ſunt. Libr. 2. de Nat. deorum refert, hinc multas ſæpe diuinationes natas.* Et exalbeſcerent.) *Exalbeſco, natiuum colorem in album muto: quod fit uel pudore, uel metu. ut licet ex illo loco exiſtimare, qui in Oratore extat; Equidem & in uobis animaduertere ſoleo, & in me ipſo ſæpiſſime experior, ut exalbeſcam ad principia dicendi, totâque mente & omnibus artubus contremiſcam.*

Inter inteſtinum & oblatum.) *Scilicet motum. opinor tamen: nec enim ullum authorem, quem ſequar, habeo. inteſtinum autem, propter pudorem, qui tribuitur intus à natura cuique: oblatum, propter terrorem, qui fortuitis caſibus offertur homini extrinſecus. ut accipiatur adiectiuè, uerum abſolute tamen. Aliàs quid inteſtinum neutri generis, idq; ſubſtantiuum ſignificet, ex Plinio poteſt intelligi lib. 2. cap. 4. Nihil intus, niſi admodū paucis inteſtinum implicatū, inquit. ſimiliter*

cap.37.& 67.ſaltem quod maſculino genere utitur. Inteſtina uero, notæ
ſignificationis, uiſcera, quæ latent interius in corpore. Soritas hos
uocant.) Subnectit acerui granique uocabula, reſpectu etymologiæ. σωρὸς
enim interpretamur proprie, cumulus, aut agger. hinc captioſa argumē
tandi illa forma, quæ ex uno conceſſo, multas infert per ordinem conclu-
ſiones, ſorites à ſenatu populóque Dialecticorum dicitur. quoniam à
ſimplici, magis ac magis aſſurgit, quaſi creſcens aceruo. Exemplum
habemus ante oculos. Eadem ratio ſomniorum.) Loquutus eſt de ui
ſis, ſeu imaginationibus in contingenti: quales ſunt triſtium, aut inſanien
tium. hic de ſomnijs, quæ & ipſa uolunt Academici genus uiſorum habe
re, reſpondet ex authoritate Ennij. In Epicharmo.) Fuit Epichar-
mus patria Syracuſanus, uita philoſophus, ſtudio comœdus: comœdiáque
primus, teſte Suida, effinxit. Illa dicant Alcmeonis.) Alcmeon filius Am
phiarai, matris parricidio nobilis. alius Crotoniates, diſcipulus & ſecta-
tor Pythagoræ. uerū ſic penultima diphthōgo ſcribitur. Hic priorē, ut fu
rioſum è fabula quapiā loquentē, adducit. Sed ex hoc toto.) Præceden
tiū reuocatio, ſeu cœpti ſermonis ἐπανόρθωσις. quærimus, inquit, de uir
tutibus, de cognitione ueri & falſi: quid exempla ſomniantium, furioſorū,
ebrioſorum huc faciant? Sed ita confundunt omnia per leuitatem oratio
nis Academici. Similitudines uero.) Locus legi debet, Similitudines ue
ro aut geminorum, aut ſignorum annulis impreſſas pueriliter conſectan
tur. Vbi quid gemini contineant, exputare ſatis non poſſum. Signi quidē
uocabulum pro ſigillo poni uideo. ſic enim pro Quint. Tabulæ maximæ
nobilium ſignis hominum conſignantur. ſed alterum perinſolens habeo:
Fortè propterea dicit geminorum annulos, quod gemini eandem effigiē
duobus annulis ex conſanguinitate premant: ut ſcilicet ſimilitudo ſit ſim
plex, res duplex, & ad uiſa nonnihil rationis adferat. Nam Gemini ſig-
num cœleſte, præter maiuſculæ literæ in prima inſigne, etiam alia uer-
ba, quàm hic leguntur, poſtulant: ſi conferas cum iudicio. Poteſt tamen
ſynecdochice continens pro contento eſſe poſitum, quaſi contineant ge
minorum notulæ, uel eiuſmodi ſigna reliqua, annulos, cum contineantur.
Itaque intelligendum, imagines, quæ referant geminos, aut eadem ſigna
duobus locis poßint uideri uno tantum annulo impreſſa, ac per hoc ſa-
pientem fallere, cum æquè tribus annulis, quatuorúe efficere liceat. Con-
ſector hic autem ſignificat, ut pueriliter, ita contentioſe perſequor. Tu
uis eodem.) Perſonæ fictio. ponit ante oculos ſibi præſentem aduerſariū
ex Academicis, & diſputantem, cui recte reſpondeat. Vnde ſumit noui ſer
monis rhetoricam occaſionem, Democriti producto dogmate, qui innu-
merabiles

merabiles eſſe mundos dixit. Atq; iam Phyſicorum diſcutere rationes in-
cipit: uerum ueritatis ignarus ipſe, non aliter quàm ſi cæcus cæcum ten-
taret regere. Ex illis indiuiduis.) Libro 1. de Finibus, atomorum
interpretationem affert. inquit enim, Corpora indiuidua. quare ſic
accipiendum hoc loco. Nec mirum id ſanè. nam & Anaxagoras Cla-
zomenius ex indiuiduis, hoc eſt ex particulis illis minutiſſimis ato-
morum, & corpuſculis, omnia naſci docuit. Democritum autem Ariſto-
teles, de anima differens, mirifice refellit. Antiquos Seruilios.) Va-
lerius Max. horum, de ſimilitudine formæ exempla recitans, omnino
non meminit: nec Liuius ſanè, quod ſciam, ullibi. Sed miraculo pro-
ximum, ne dignoſci quidem foris alterum ab altero potuiſſe. Vides ut
ouo tū inter ſe.) Prouerbij meminit illius, opinor, mali corui malum ouū.
Quod uero tuetur honorem, in parentheſi: reſpicit nimirum Apollinem.
qui Deli religioſiſſime colebatur: ludens ne, an libens, ſit liberum cuique
iudicium. Habeo enim regulam.) Colligit breuiter Lucullus, quæ di-
xit contra Academicos hactenus. Mox reſpondebit Cicero, præceptoris
ſui partes agens. Opinaturum eſſe.) Carneadis uerba. quæ uero ſub
ſequuntur, Luculli interpretantis. Quoniam enim ſapiens iudicio niti de
bet, non opinioni, ſi nihilominus illud omittit, hoc committit, peccat.

Sed iam confirmata cauſa.) Conuerſio. Dirigit ſermonem ab Acade-
mia utraq; ad ipſum Ciceronem, perinde ac ſi illum à ſuſcepta ſemel phi-
loſophiæ profeſſione rationibus reuocare uelit. Noſtrum diſſentien-
tem.) Eo quod philophiæ ſtudijs non multum tribueret, maioris autem
faceret prudentiam iuris, humaniores doctrinas, ut ſunt ethica, rhetori-
ca, ſimilesq;. Et Cimmerijs quidem.) Cimmerij Scythæ, intra montiū
conualles conſtituti, raro ſole, perpetuis frigoribus utentes: ab oppido
Cimmerio ſic dicti, quod ſitū eſt in oſtio Boſphori ſeptentrionalis. Plin.
lib. 6. cap. 2. Inde natum prouerbium, Cimmeriæ tenebræ: cum multam
animi caliginem ſignificare uolumus. Hic Cimmerios primum proprie no
minat, deſcribens etiam (ut apparet) proprie: uerum deinde per figuram
Academicos, qui ſummas naturæ tenebras, ſummam rerum obſcuritatē
& ipſi ſuſtinerent, & alijs ſimul offunderent. Prouide etiam.) Nimi
rum intellexit Cicero, quàm diſputationes illæ philoſophorum ſeriæ nu-
garum eſſent plenæ. Quamobrem ita agit, ut ſatis deprehendere poſſim,
ipſum agere non ſeriò. Videtur enim hoc loco Lucullus, iamiam reſpon-
ſurum ab inſtituto deterrere: quod in re ludicrum eſt. nullam enim oblo-
quij ſpeciem, nullum admittit periculum neceſſaria ueritas. Sed legamus
tamen. tandem oratio matureſcet: uel certe delectabimur cognoſcere, nō

 habuiſſe

habuiſſe opus, nec perquirere, quod perquiſierint illi tantis ſtudijs.

Vt etiam manus ſæpe tolleret.) *Phraſis elegans, manus tollere: pro geſtu ſuam lætitiam ſignificare. niſi ſit hic, admirationem probare. Solemus enim cum quid inopinatum & ingens accidit, manus etiam tollere, motuq; lento noſtrum animum quaſi nouitate perculſum aperire. Eſt autem hoc totum artificij. nunquam ſic loquutus eſt Lucullus, neque uero diſſeruerunt ſimul tanti uiri, de negocioſis in ipſo quidem ocio quæſtionibus. Itaq; iudicem ſui Ciceronem admiremur.* *Me Catule.*) *Reſpondet nunc præmiſsis noſter, reddens obiter conſilij ſui rationem primum: & eorum quæ dicturus ſit grauiſsima ſimulatione, uel potius ſimulatiſsima grauitate, fidem faciens.* *Vt hoc pulcherrimum.*) *Gnome, perinſignis ſententia. Nam omnino turpiſsimum eſt, falſa pro ueris probare, uera pro falſis traducere.* *Paruulam cynoſuram.*) *Cynoſura, quæ alio nomine Arctos dicitur, ſidus cœleſte, Latinis minor urſa: ſed ſi ſyllabatim exponas, canis cauda. Quod autem addit Helicen, eſt arctos altera, maiorem urſam dicimus, Græcis in nauigando diligēter conſiderata, quemadmodum illa Sydonijs. Alludit igitur uerbis ad poſteriorem.* *Ne fallatur uidere.*) *Infinitiuus pro nomine. ſicut illud, Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes. quaſi diceret, cauere ne fallatur uiſu. Vel pro gerundio, ne fallatur uidendo.* *Referam me ad ordinem.*) *Scilicet philoſophorum, diſputatorum: hic in bonam partem. Aliàs in ordinem referri, redigi, contemptibile.* *Ne præcipitet.*) *Præcipito neutrale paſsiuum, idem quod præceps agor, præceps ruo. Sed ſi cum aliquo caſu, tum ſignificat in præceps deijcio: quod actiuam uim habet. ut præcipitare ſe ex rupe, Plinius dixit: præcipitare ſe in flumen, Cæſar. Præcipitat etiam ex altiſsimis montibus, apud Ciceronem, Nilus: priore nimirum regula. Adſtipulator autem, interprete Nonio Marcello, ponitur pro aſſenſore. Eſt enim proprie, ſi tamen ſimplex nomen ſequi debemus, qui per interrogationem exceptis ſanctioribus uerbis aliquibus obligat promittentem. pro Quint. Teſtes tot, quibus omnibus cauſa iuſtiſſima eſt, cur ſcire potuerint, nulla cur mentiantur, cum à ſtipulatore tuo comparabuntur. Mihi quidem uidetur adſtipulatorem proprie eſſe, qui ſua uoluntate ſtipulatori cuipiam alter accedat, idemq; poſtulet, aut poſtulari cenſeat, quod ille promiſſorem.* *Quid cum?*) *Contradicit Antiocho, iam uita functo, commouens præiudicium doctrinæ, ex hominis culpa. Culpa uero eſt, quod cum diſſentiret ab Academicis ſincerè, non ſe contulerit ad Stoicos, ueram unamq; totius controuerſiæ iſtius partem.* *Vt ij qui ſub nubes.*) *Iocoſa comparatio de rebus Antiochi.*

tiochi. ut, inquit, ij qui ſub nubes aſſueuerunt uenire, non libenter progrediuntur in ſolem, ne colerentur, & adurantur uehementius: ita Antiochus calore difficultatis incenſus, umbram quietis penes Academicos quæſiuit. Diſpar illatio. contrariorum enim natura agit. Anaxagoras niuem nigram.) *Princeps hic olim habitus eſt in phyſicis: ſed interdum ineptißimus, ut hic, cum niuem nigram eſſe dicit. nam quid afferri poteſt ineptius? Sequitur autem illam rationem, quod oculi noſtri poſt continuum intuitum in niuem, tandem mutantur, & nigrum ſe colorem pro candido cernere credunt.* Hic ſophiſtes?) *In Anaxagoram. huius nominis expoſitionem ſubiungit. ſophiſmatis etiam paulopoſt, cum inquit: quorum ſunt contorta quædam ſophiſmata. ſic enim appellantur fallaces concluſiunculæ. Democritum uero ciuiliter magis quàm uere laudat, penè ſtultum hominem.* Quintæ claßis.) *Liuius lib. 1. ab Vrbe cond. narrat, Seruium Tullium in quinque claſſes, ex modo cenſus diſtribuiſſe populum Rom. Primæ igitur erant ditißimi quiq; : poſtremæ, reditibus & bonis minimi. Inde Cicero iocatur in Cleantem atque Ariſtippum, philoſophos authoritatis ultimæ. Claßis aliàs, nauium multitudo, dein etiam frequens equitum globus, apud Virg.* Nego, inquit, ſcire nos.) *Totiens uerbum idem ſuper alterum ingeminatur, ut uere neſcias, quid ſibi cum hoc ſcire Empedocles uelit. Deridet, nihil obſcurè uaniſſimas argutias ſophiſtarum Cicero.* Videor'ne.) *Senſus ſic habet: Omitto plurimos, qui licet contempti ſint, moleſti tamen eſſe poſſent. Socratem ipſum, Platonemq; commemoro. non'ne ſolum hoc teſtatus eſt ille, ſe unum ſcire, quod nihil ſciret? alter autem, an non talem magiſtri ſui profeßionem maximis uoluminibus, ut optimam proſequutus eſt? Itaque nihil percipi poteſt, præterquàm hoc ipſum, quod ita nos percipimus.* Fulcire putatur porticum.) *Porticus, notum uocabulum, ex ædificium, quod uentos, pluuias, æſtus arcet, ac opportuna aëris temperie ſubeuntes recipit. hoc loco figuratè ponitur, pro ſchola Stoicorum ipſa. Solebant enim philoſophi, deambulantes in porticibus diſputare. Sic de Oratore: Porticus, inquit, hæc ipſa, ubi inambulamus. Intelligendum igitur: Qui retinere putatur, & tueri dignitatem Stoicorum.* Sed diſſolueritſanè.) *Conceßio, qua Chryſippi cauſæ firmamentum, ut infirmum ſeponit. Eſt autem diſſoluere, rem implicatam alligatione, religare: ueluti cum quis diſſoluit nodum. at hic translatiue, pro refellere, pro diluere obiecta. quomodo mox habebimus, cum dicet, Interrogationes diſſoluere ſi non poſſunt, deſciſcunt à ueritate. Per cætera uarie quidem accipitur, nam loquimur,*

diſſoluere æs alienum,diſſoluere amicitias,nauigium, conſilia, pœnam, periurium. omnia Ciceroniano more. Quum oculos torſiſſet.) *Oculum torquere* Budæus exponit, à parte in partem mouere. *Quidam, ita ſurſum atq; deorſum flectere, ut altera ueluti cuiuſdam lucis reuerberatio uideatur. Lucerna autem hic ignem ipſum ſignificat, uel certè inſtrumentum igne iam illuminatum. ut ad* Atticum: Ego cum eadem, *inquit, lucerna hanc epiſtolam ſcripſiſſem,qua inflammaram tuam,* Formijs ad Pompeium profecturus eram. Hinc idem alibi, *Facerem diutius,niſi me lucerna deſereret.* Deſine communibus locis.) *Subintellige,nobiſcum agere. eſt enim eclipſis. Sed loci communes quid ſint, propter eorum frequentem uſum,neq; ſatis adhuc àdictionatoribus indicatum, paucis dicam. Sunt igitur loci communes, loci qui ſententias omnibus communiter notas continent,ut de ſenſibus,de uita,de uirtutibus. Hæc enim quicunq; ſapiunt, ex ſe per naturam ſemper aut ſciunt,aut agnoſcunt. Deinde uero dicuntur loci communes, loci qui titulos rerum memoratu dignarum,resq; neceſſarias ad quotidianum uſum complectuntur. Cicerò priores intelligit,nos poſteriores crebrius uſurpare ſolemus.* At ille neſcio qui.) Puto fuit Argus: *aut ſi fabuloſum de centum oculis, fabuloſum de perſpicuitate uiſus non eſt.aliud mihi nunc quidem nomen non ſuccurrit.* Quædam uolucres,) In primis autem *aquilæ.* Iſti ueſtro deo.) Notat Antiochum *facetè, quem Lucullus omniũ fecit plurimi, per metonymiam. Deum enim ſumit,pro ueritatis defenſore.* Quid poteſt eſſe ſole maius.) *Duodeuiginti partibus eſſe maiorem quam terrã,* Ciceronis *tempore mathematici tradiderunt. at noſtri, neſcio quos authores, aut quas rationes ſequuti, maiorem tradunt octies uicies eſſe terra. Iam expende magnitudinem tantam,ad oculos tuos.nonne uix bipedalis tibi uidetur?* Itaq; colligit Cicero, *falli uiſum humanum.* Eius autem *uitij cauſa uulgo longitudinis ſpacium,ſeu altitudinis redditur.noſter propius ad naturã accedit,& ait aëris craßitiem officere,quo minus iuſta quantitas ſideris apprehendi poßit.* Ita *piſcibus craſſum humorem obſtare,quo minus nos ſupra littus ſemper conſpiciant, nos contra infrà aquas illos.*

Epicurus autem.) *Quid uoluptarius magiſter ageret?* Non *mirum,ſi facile concedit omnia,qui mortales cura nimium affici non uult.Sed planè iam ridiculum eſt,quod dicit:poſſe ſolem etiam eſſe minorem quàm uideatur, niſi quod non multo.Debemus igitur agnoſcere hic ciuilem ſarcaſmum.* Vbi igitur illud eſt ſemel?) Reticentia: *cum præ indignatione comprimimus,quod aliàs eloquuturi fueramus.hoc loco,quoniam manifeſtis rerum documentis refutauit Antiochum, confirmauit* Philonem,

non

non dignatur ſententiam uerbis cõſummare. Subaudiendum igitur. Vbi illud eſt ſemel ab iſtis de perſpicuitate uiſus concluſum? Quaſi ſenſus omnino perfecti ſint. Quum ille ſol.) *Amplificat à maiori ſuum argumẽtum. etiam ſol ille nobis ſtare uidetur, qui planè incredibili curſu fertur. hic ſunt aſtrologi nonnihil conſulendi. Ni fallor enim, numerum milliariorum, ſi naturæ placet, rationibus complectuntur, quem ſol indies per orbem cœli currens ac recurrens conficiat.* Epicurus non dat.) *id eſt, nõ concedit. Quanquam alio uerbo exponi poßit, ex Terentiano loco: Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo. interpretandum enim, paucis dicam. Vel ſecundũ illud in Adelph. Pol, haud paternum hoc dediſti. Subdit etenim Donatus, Pol haud paternum iſtud feciſti cum id à patre non didiceris. Non concedit autem Epicurus, res uiſum fallere: propterea quod ſequeretur, & uoluptatem nihil eſſe ſi ſenſus falleret.*

Qui igitur P. Geminum.) *Hinc demum aliquid ſuſpicari poſſum de Seruilijs, quorum mentionem ſuprà fecit. Sed dicere non poſſum, eo quod hactenus in hiſtoriam nondum inciderim. Gellius nomen commemorat lib. 12. præterea nihil in hanc ſententiam. Liuiani quoq; libri temporũ illorum non extant. Fuit enim P. Seruilius Geminus, cum Cotta, ſub bellum Punicum primum Conſul. id quod Florus ignorat planè.* Dic mihi Lyſippus.) *Nobilis ſtatuarius, à quo ſe uoluit uno fingi rex Alexander, & ab Apelle pingi. Illuſtrat autem exempla, conſimili documento. nam cõtingentib. res nõ probatur. Quid, inquit, ſi Lyſippus ſimulachrũ Alexandri per omnia lineamenta alterum efformaret, tu Luculle uetus à nouo diſcernere poſſes? Aut ego ſi centum ſigilla premerem eadem cera, annulo eodem, tu deprehenderes, quod primo, quod pòſt eſſet preſſum?*

Gallinarium inueniſti Deliacum.) *Gallinarius, qui curat gallinas. tales fuerunt Deli complures, ut habuimus paulo antè. Delos autem inſula in Aegeo mari, Cycladum clarißima, propter Apollinis templum et oracula quondam ibidem edita. Sed & ideo nobilis, quod ignem mortalibus oſtẽdiſſe prima fertur. Deniq; tam celebris, quod in ea primũ ethnici coturnices inuenerunt. Alio nomine Cynthia. frequentiore tamen Ortygia: coturnicum ſcilicet commendatione. Cicero Deliacum hominem inde trahit, noua quaſi conſuetudine. nam adiectiuum ipſum habet fermè Delium, ut apud authores Delius Apollo, item Delia Luna, cum nominatur Diana, quod ex inſula ſit oriunda, colaturq; præcipuo in illa honore.*

Quid hoc?) *Inuerſio: figura, cum utimur argumento pro nobis, quod contra nos eſt allatum. Vt Cicero, retorquet uerba Luculli de pictoribus, ipſamq; ſententiam, in illum: Dixiſti, inquit, uiſus eſſe ſummam uim*

in homine.plurimum enim nos uidere,quæ ſint oblata in tabulis:at longè plus artifices,imò pleraq;,quæ cæteri præterеant,mox aſpicere. Quid igitur? an nõ ſolertiſsimi tantum huiuſmodi lineamenta cernere poſſunt? Poſſunt omnino nimirum.rudes,cæci ſint interim in uidendo. Quod ſi concedit, iam habeo, non eſſe ſecundum naturam ſimpliciter perſpicaces oculos. Quæ fabricata ſit hominem.)Fabricor deponens,notæ ſignificationis. Ita fermè Cicero ſcribit.Aliqui autem,inter quos Ouidius et Plinius,actiuè fabrico,cas:& hoc eodem in libro ponitur fabricare uerba.Cæterùm fabrica,quod nomen ilico ſequitur,authore Sipontino,proprie eſt,fabri lignarij officina.deinde uero transfertur ad aliorũ quoq; fabrorũ officinas.Poßit igitur metaphorice de natura accipi, quæ condiderit,perinde ac faber opus aliquod,ſic illa corpus hominis in quapiam officina. Agamus enim philoſophicè.Melius tamen,meo iudicio,cõſilium fabricandi,uel ars,aut habitus hic inferri poſſet,ſi Terentius in Heaut. nõ in deteriorẽ accepiſſet partem.accepit enim pro fraude doloq;,cũ dixit: Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit?Sed quod ſequitur, Vbi adhibita? quando? cur? planè poſtulat, ſcientiam fabricandi,ſeu artem intelligi debere. nam officinam adhibere,non dicimus utique. De quo queri ſolent.) Fuit Chryſippus Stoicorum cum Zenone princeps, Aſiaticus:nimio ſtudio, nimium ineptus. Niſi uero Ennium.) Ab authoritate, contra authoritatem eiuſdem authoris. Citauit ſupra Lucullus ex Ennio uerba furentis Alcmeonis: ſic enim legi debet, non Alcmæi.quibus probare uolebat, poſſe uiſis falli dormientes,ebrioſos, furioſos.ſed breui certo cognoſcere,uanum hoc totum eſſe. Cicero diſtinctionem eludit.Non agitur,inquit, quãdo quid uidetur,uerum quomodo uidetur,ut in furore Alcmæon planè neſcit aliter,quàm id agere ſe,quod agat,cum tamen uiſo decipiatur. O pietas animi.) Locus à me percipi non poteſt. duo tantum enim uerba ſunt: & ipſa Tragœdia deperijt. Vix exiſtimo coniectari hic rectè aliquem. Quid Iliona ſomno.) Fuit Iliona Priami tertia filia, Polymneſtori Thraciæ regi matrimonio iuncta,ratione ueteris hoſpitij. nam ita narrat ex Seruio Bocatius in Genealogia deorum. Virgilius autem Aeneid. 1. diuerſum nonnihil, cum canit: Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim, Maxima natarum Priami. Poßit tamen ſuperlatiuus ab ætate deflecti ad dignitatem, præſtantiamq;. Mater te appello.) Somnians inducitur ab Ennio, loqui,in quapiam Tragœdia: Mater ô Hecuba te appello.

Quid loquar de inſanis?) Iam ante mentionem habuit Alcmeonis, ſed ut furioſi. Videtur enim Cicero diſcrimen inter hæc duo uo-

cabula;

tabula facere libr. 3. Tuſcul. Itaque non eſt, inquit, ſcriptum, ſi inſanus, ſed ſi furioſus eſſe incipit. Ergo furioſus, expoſitore Seruio, qui furorem nunquam amittit: inſanus, qui mente integra captus eſt, ut queat tamen aliquando reſipere. Quiſquam ſaniſsimus.) Contrarium etiam comparatur. in Verrem, An quiſquam inſanior? Pro Amerino, Ciuis inſaniſsimus, ait. Quid ille.) Telamonius Aiax apud Homerum fortè. Nam ob negata Achillis arma uerſus in furorem, perſequutus eſt Vlyſſem. Quum ut Euriſthei filios.) Euriſtheus, Stheneli Myceuarum regis filius. is ſuaſionibus Iunonis, Herculem imperio fatigauit: cum ſubinde iuberet, nunc hæc, nunc illa monſtra conficere. Tandem inſania correptus Hercules, dum ſe putabat Euriſthei filios ſagittis confodere, peremit ſuos: apud Euripidem. Etiam patrem.) Ipſum Iouem. Fuit enim Hercules Iouis & Alcmenæ filius. niſi quem alium intelligamus. Plures enim in Tuſculanis Cicero tradit. Ceruleæ incinctæ igni.) Cæruleas, puto Furias hic uocat, falſo ſcilicet deceptus colore. cæruleus enim, quaſi cæluleus, ignis colore non eſt. Incinctæ uero, per metaphoram, pro circà circum igneæ, ab incingo. Omnia autem hæc.) Summa prædictorum, & huius loci quædam αἰτιολογία. Sed abeo à ſenſibus.) Diluit illud quod dixit Lucullus, ſi nihil certo percipi poſsit, oportere neceſſariò rationis nullam uim eſſe. cum contraria ſint, iudicium ex ratione, & iudicium ex opinione. Diluit autem non Rhetorum more, nec Oratorum, licet facultas non abſit, ſed diſputatorum. Nullam enim orationis ſeruat legem, ut hoc loco proponat, illo confirmet, rurſus hoc confutet. committuntur omnino ſimul, quod ad utranque partem, argumenta. Quare nemo miretur, ſi cum una cauſa mox diuerſum infertur, priuſquam altera, & deinceps continuentur reliquæ. Dialecticus iudicabit?) Sic enim definiunt uulgo Dialecticam: eſt ars inueniendi ueri & falſi. item, eſt ſcientia ſcientiarum: eſt regula doctrinarum: ac ſimiliter. quod irridet etiam penè Cicero. Dic, inquit, Luculle, qui plurimum Dialecticam uerbis extuliſti, num magiſter artis illius in Geometria reſpondebit? an arbitrabitur ex ſuis rationibus in Muſica? Non ſcilicet ullus id faciet, niſi impudens. aliud enim ſcit, hæc ignorat. In philoſophia.) Veluti, cum quæras ex Dialectico, quis ſit finis hominis, uoluptas'ne, an uirtus. ab arte ſua non habet, quod rectè dicat. habet autem ex philoſophia, quod rectè dicat. comprehendit enim alienas rationes modo & forma. Quæ coniunctio, quæ diſiunctio.) Partes & officia Dialectici, iudicare quod

cohæreat, quod ambiguum ſit, quod impertinens, quod conſequens. Concedit igitur id Cicero. Sed plus pollicitum eſſe, commemorat, non autem præſtare poſſe. Contra uos tota natura.) *Iterum retruditur argumentum in authorem. Sanè accipio, ſit ſumma ars dialectica. Quid inde commodi capitis? Ego uobiſcum illa argumentādi forma, quam* Dialectici *ſoritem uocant, agam.* Quid ergo.) *Promiſſum atq; receptum abrumpit. at modo dixiſti uitioſum eſſe genus interrogandi ſoritem: refer huiuſmodi uitij cauſam: an noſtra culpa ſit, uel naturæ potius.* Diues pauper.) *Poßis interrogare, Cur diues, ſi auarus? ſi non diues, cur beatus? ſi non beatus, cur diuus dicatur? Item quicquid latum eſt, anguſtum non eſt: quicquid anguſtum non eſt, quantitatem congruam recipit: quicquid quantitatem congruam recipit, uſui nobis eſt. atq; per paria. Dedi rude exemplum, ut apud textum orationis maneam.* Quum gradatim.) *Iam intelleximus. Verum* Chryſippus, *quia ab uno uocabatur ad multa tali ratiocinatione, nec ad omnia tempore eodem reſponſo paratus eſſe poterat, antequam numerus interrogationum accreſceret, ſolitus eſt dicere ſtatim ad tres clauſulas, quieſcamus. hîc* Carneades: Per me uel *ſtertas, reſpondit, licet. dicitur.* ἡσυχάζειν, *tacere, per ſilentiū interquieſcere. Id uerbi fuit in diſputationibus illis ſolēne.* Sed quid proficit?) *Ego nihil planè proficio, cum hunc quidem locum intelligere ſatis uolo. Tam acuta uerba ſunt, tam arguta ſententia proponitur, rei per ſe multum inuſitatæ.* Vt agitator callidus.) *Non opinor aliter, quàm* Ciceronem *interdum dedita opera, res nihili grauißimis omnium uerbis agere, quo ſuum de tali philoſophia iudicium ciuilius aperiat. Hoc certe loco totus hoſpes eſt & ignotus facie, et incertus uia, cum ſuper ſoritem aceruos ſpinarum congerit. Nomen autem ipſum uerbale ab agito, ponitur pro rectore currus, aut equorum. Et uidētur eſſe uerba* Luculli. *ſic enim ad* Atticum, *quaſi uocaretur in hūc librum. Non eſt melius quicquam, inquit, quàm ut* Lucullus *ſuſtineat currum, equosq;, ut bonus ſæpe agitator. Itaq; ſimilitudinis hæc ſentētia. Qui ſunt experientes ex aurigis, cohibent effuſius currentes equos, ne ruant delati in præcipitium: ſic ego cum uideam eò peruenturum ſermonem noſtrum, ut nemo ſciat quid ſentire poßit, quid ſequi, mature uerba continebo.* Penelope telam.) *Prouerbialis loquutio,* Penelopes *telam retexere, pro operam inanem ſumere, & rurſum deſtruere quod effeceris. Natum ex* Homero, *qui libro* Odyſſeæ 2. *fingit* Penelopen Vlyßis *uxorem, procos iam urgentes hac cōditione deluſiſſe, ut tum ſe promitteret nupturam, cum telam quam habebat in manibus, abſoluiſſet. Quam conditionem ubi illi accepiſſent,*

mulier

mulier aſtuta,quod interdiu texuiſſet,noctu cœpit retexere.Hæc ad uerbum Roterodamus. Sed Cicero propius ad factum, dictum accommodat: noſtra culpa non eſt, quod eadem illa ars Dialectices quaſi Penelope telam retexens, poſtquam multa concluſit, ad extremum & ea quidem ipſa reuellit. Vult inferre: ſi nec ueſtra culpa eſt,& tamen tam ambigue habet Dialectica, nimirum explodatur. Bellum enim hic ubiq; gerit cum Dialecticis, niſi quod amicum. Appellāt ἀξίωμα.) Si recte Budæus, ſunt axiomata diſciplinarum principia,propoſitionesq; demonſtrabiles:quæ in communi ſenſu & conceptu uerſantur.hæc enim eius uerba.Gellius autem lib.16. cap.8.dilucidius.Omnino,inquit,quicquid dicitur plena atq; perfecta uerborum ſententia,ut id neceſſe ſit,aut uerum, aut falſum eſſe, Dialecticis eſt ἀξίωμα. Varroni proloquium, ut dixi, Ciceroni uero pronunciatum: quo ille tamen uocabulo tãtiſper uti ſe atteſtatus eſt, quoad melius inueniret.hactenus ex Gellio, ubi plura ſanè in hanc ſententiam. At hic noſter interpretatur effatum, alibi quoq; prolatum: uulgo diſputatorum propoſitio dicitur. Si te mentiri dixit.) Simile,Cretenſes ſemper mendaces.hoc dixit Epimenides Cretenſis, ergo mentitus & ille.ſophiſma ludicrum & inexplicabile tamen,teſte Cicerone. Quamuis noſtro tempore Dialectici fallaciam æqui uoci prætendant. Quod eſt odioſius.) Magis enim turpe,quod percipias non intelligere,quàm non intelligere quod neq; percipias.Etenim ignota notione complecti planè nemo tenetur. Ipſa ratio connexi.) Connexum,oportet ut à connecto ueniat,quod uerbum eſt notæ ſignificationis.ſed à Dialecticis effatum tale, dicitur connexum,ut ait Gellius: Si Plato ambulat,Plato mouetur:Si dies eſt.ſol ſuper terras eſt.Inde ſcilicet ita dictum,quod ex ſuperiore poſterius neceſſariò trahat. Tribunum aliquẽ.) locus.ſolebant intercedere tribuni ferentibus leges Coſſ. hoc eſt, excipere quædam, quæ mutari, uel quæ ſanciri non deberent. Erant enim apud Romanos hac poteſtate prædidti, poſſent ut ab uno ciue rogati, totius uoluntatem Senatus tenere. Tribunum igitur aliquem adduci dicit oportere,ſi concedere debeat,ut quæ moleſta Dialecticis eſſent,excipiãtur:quæ uero opportuna,permittantur.Omnino parem per omnia legem ſe tueri uelle. Aut uiuet cras Hermachus,aut non uiuet.) Axioma Stoicorum aduerſus Epicurum.Et quis hæc non concederet,ſimplici uerborum ſenſu contentus? ſunt enim è rerum principijs. Tamen Epicurus animaduertit technam.Cogitabat, ſi dedero iam alterutrum, neceſſe erit Hermachum uiuere cras, aut non uiuere. Sed nemo cogitur ad uitam,& mortem,niſi fatorum legibus.Stoici per contingens infere-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bant, mox erant illaturi neceſſarium: id ille præuidit. Quanquam perpetuus Dialecticæ contemptor, ut ocij inertis patronus. Minam Diogenes reddet.) Mina ſingulariter, idem apud Græcos, quod apud Latinos libra, & pondo. Hæc centum drachmas continebat, hoc eſt centum denarios Romanos, ſeu quadringentos ſeſtertios. Mina igitur 10. aureos coronatos ualuit, drachma tres ſolidos turoneos & ſemiſſem. hæc Budæus. Quod autem minam à Stoico ſe repoſcere uelle, dicebat Carneades, erat id precium pro doctrina in dialecticis. Et licet à Diogene diſſentiret ille, tamen iniquus huic non fuit, propter legationis ad Romanos, ut dixi ſuprà, communitatem, & multam in colloquijs conſuetudinem. Tortuoſum genus diſputandi.) Proprie quod eſt uarijs flexibus incuruatum & implicatum, dicitur tortuoſum. ut tortuoſus amnis, apud Liuium: tortuoſa ſerrula, pro Cluent. Hic intricatum & informe genus diſputandi, quod magis torqueat hominem, quàm aut delectet, aut erudiat, intelligitur. Acutus ut Pœnus.) Tribuit Pœnis acumen, nos aſtutiam interdum appellamus. Fuit enim Clitomachus Carthaginenſis patria: quem populum Romani per experientiam hoc titulo notarunt. Duo placet eſſe.) Repetitio primæ quæſtionis, qua ſequitur Carneadis & Clitomachi modum in explicando, refertq́; poſt ſuas rationes, illorum explicationes de uiſis. Vt autem probatio.) Cumprimis annotandum, quod perceptio, ſit alicuius rei notio ex certitudine: probatio, quod ex ſpecie tantum, aut ſignis cognitio: cum homines ſe putant aliquid tenere, quod neſciunt, & contrà. Multa uero ſunt quæ longè aliter apparent, quàm ſunt. at non omnia, quemadmodum Carneades.

Sequitur omnis uitæ.) Subtilius interpretatur Luculli ſententiam. Sequitur, inquit, omnis uitæ, ea quam commemorabas euerſio. ſed non omnis alia. Talis enim non ſequitur, cum dico, ſapientem nihil percipere certò poſſe, poſſe autem probare multa, atque ſic in uita multis uti. quare tenendam hanc denique doctrinæ ſummam. Proficiſcatur Puteolos.) Puteoli ciuitas Campaniæ condita à Samijs, ob putorem aquarum calidarum, Feſto ſic dicta. melius tamen fortaſſe, à puteorum copia, qui fuerint in hominum gratiam ibi facti. Locorum uero figuram non habemus, ut intelligere poßimus, quomodo ex Baulis, ubi ſermonem hunc habuerunt in Hortenſij uilla, proficiſcendum eſſet uſque Puteolos nauigio, per ſtadia triginta. Aquam eſſe nigram.) Opinor, Philoſophus iſte poëticam illam interdum rationem ſequutus eſt, quod aqua, ſi copioſior eſſet atque profundior, appareret homini nigra: ſed ne ui ſeri quidem albam niuem. ridet nugonem uidelicet Cicero.

Illa

Illud uero, congregari niuem è nigra: nubes notauit, è quibus cum pluuiales guttæ ſparguntur, aëris aſperitate concreſcunt. Et quidem decolor eſt aqua cœleſtis, præ terrena. nigricat enim, excepta uaſe. Voluit igitur Anaxagoras, ex argumento, totius materiæ formam fingere.

E robore dolatus.) Robor, quod etiam robur, quercus duriſsima, quam mundo congenitam lib. 16. dicit Plinius. et hanc ſpeciem ligni ſignificare Ciceronē, locus in Diuinatione probat. Nam ait, Quis robur illud cecidit, dolauit, inſcripſit? Dolare autem fabrorum, pro materiam inæqualem inſtrumento complanare: quod inſtrumentum inde dolabra dicitur. Hic propriè, [illegible] quod comparatiuè. Robur aliàs, animi rerumq́; omnium firmitudinem comprehendit. *Quæ à Clitomacho.*) Validum enim eſt argumentum, quod ex aduerſarij teſtimonio ducitur. Clitomachus fuit ueterum Academicorum unus, familiaris Antiochi, Philonis ex profeſſo aduerſarius. Et is tuetur nouos à crimine, quod non tollant ſenſus è natura, ſed quod tollant uim à ſenſibus, rerum proprie cognoſcendarum. Quæ quidem doctrina non abhorret multum à ueritate, ſi noſtram religionem adhibemus. Quanquam ad interna magis hæc pertinet, quàm ad huiuſmodi prophana. Sed eſt aliquid, fateri naturæ uitium, & agnoſcere. *Si uobis non probamus.*) Summa ſententiæ concluſio. Cogitat nihil amplius proferre, ſi nihil hactenus probatum ſit. *Mare illud, quod nunc Fauonio.*) A præſenti documento. Fauonius græcè Zephyrus, occidentalis uentus, omnium temperatiſsimus: & ideo fouere terras dictus. oritur ad ueſperum, quo tempore mutari uidetur maris color, ut mane, ut item meridie: cum tamen non mutetur. *Herculis quendam laborem.*) Herculei labores, prouerbiali modo bifariam accipiuntur: primum pro plurimis & maximis, deinde uero pro glorioſis ac inuidioſis, ut docet Eraſmus Roterod. Hic ſimpliciter difficultatem facti continent. Sic enim Cicero: Tametſi, inquit, credo Herculis quendam laborem exantlatum à Carneade, quod ex animis noſtris opinationem extraxiſſet: ubi nouum & difficile negocium oportet in exponendo ſubſtitui. nam unius id generis fuit. Ad hoc contra communem philoſophorum ſententiam, arduum, præterea laude plenum ex exitu. Sed aptatio cum primis conſideranda. Verbum autem Exantlare, quidam interpretantur exhaurire, perpeti, ſuperare, & quidem probè. tamen ad alios authorum locos interpretationem huiuſmodi reſeruandam cenſeo. Poteſt enim hic intelligi proprie, quod eſt laborem confectum: niſi quis, expreſſum malit, ut comparatio per omnia ſibi reſpondeat.

Porrò

Porrò de bellua immani cum loquitur, Hydram celebris tituli illam belluam denotat, cuius domiciliũ fuiſſe traditur in Lerna palude, ea natura, ut quotiens unum è capitibus (complura ponuntur enim) ferro deſectum perderet, totiens alia multa mox reciperet. Sipontinus inde fabulam trahit, quod anguium quodam genere contineatur etiam hydra, tantæ fœcunditatis, ut niſi flammis exurerentur ſemina, uix poſſet beſtiæ reſiſti. Iam ad ſenſum. Ideo laborem Herculis aditum & exactum à Carneade dicit Cicero, quod contra uoluntates omnium atq; dogmata, talem philoſophiam ille probauerit: maiore ſcilicet ſucceſſu, quàm uel ſpe, uel præmio. Ne illam quidem.) Per capita ſermonis Lucullini decurrit, nunc diluens, rurſus aſſerens, quoad ſatis eſſe dictum putabit. Tam leues materiæ ſummam olim exhibuerunt moleſtiam ſtudioſis ſapientiæ uiris: cum animaduerterunt, eſſe naturam hominum capacem perfecti intellectus, & eum nihilominus non habere: debere autem, ſi res cognoſcere ſatis debeat, habere. Stoicorum dumeta.) Dumetum, authore Feſto, quaſi dumicetum, locus dumis conſitus, & ſpinis. per figuram, tractatio Stoicorum de rebus exilis, acciſa, inculta. Sed mihi minor eſt.) Locus planè corruptus. nihil enim cohæret, aut ex uerbis ſequitur. Itaq; prætermittendus. nam aliquot etiam cola nihili ſunt. res autem, ut ſe quis ualde torqueat, hic minime neceſſaria. Illud ferre non poſſum.) Epilogus orationis, in quo ſe conuertit à philoſophis, à quæſtionibus, ad ipſius Luculli perſonam, reddens rationem cur ſuſcipere, uel potius cur ſuſceptam pridem cauſam tueri debeat, recriminans etiam Lucullum ciuiliter ipſius facto, omnia ſimulata grauitate. Primum ergo.) Dicit in tres partes diſtributam eſſe ſapientiam. hæc autem ſunt: phyſica, quæ de rerum omnium natura diſſerit: ethica, quæ diſcrimen ueri, falſi, boni, mali, tradit: politica, quæ ciuilem hanc ſocietatem iure legibusq; conſtituit. Nunc de prima quædam incipit. Nimirum mentem noſtram tandem paſcere poſſumus, cum ex innumeris contrariarum opinionum generibus incertitudinem philoſophiæ uidemus Ciceronem deprehendere, nec tamen ſcire quò ſe uertat, aut quomodo conſequatur ueritatem. Atq; hinc deinceps libri caput, hoc eſt præſtantiſſima pars agetur. Eſt'ne quiſquam.) Negat ullum hominem è philoſophis eſſe, qui nõ modo certo, ſed ne ſciat quidem omnia: cum fuerint multi iſta perſuaſione ſemper imbuti. Bonum principium aduerſus Geometras & Aſtrologos, qui cogere uolunt rationibus hominẽ. Punctum eſſe.) Principia mathematicorũ. aiunt enim, punctus, uel punctũ, corpus indiuiduũ, in quo neq; longitudo, neq; latitudo neq; altitudo deprehẽditur, quod in partes diuidi nõ poteſt, diduci poteſt

teſt in lineam, ut ſit corpus unius dimenſionis. Quaſi libramentum.) Attemperat. quia libramentum rei materialis circum circa ſummitas, æquamentum aliàs: ut libramentum globi, rotunda extremitas eſt. aquarũ etiam libramentũ, apud Plinium. Et ſi rectè ex eodem atq; Columella colligo, poteſt in materia cauitas illa libramentum interius dici. Priuſquam Archimedes.) Syracuſanus, nobilis geometra, qui tormentis militaribus ex arte excogitatis, Marcellum Punico bello 2. ne Syracuſas caperet, diu detinuit. Tandem uero capta ab eodem urbe, ſeruatus præcipuè fuiſſet, ni ferocem & ignarum ipſius militem ad iram irritaſſet. Hic deſcriptionibus quibuſdam probare uoluit, ſolem eſſe multo maiorem, imò multis partibus, ipſa terra. Sed Cicero: Putas, inquit, iuraturum id ſapientem? etiamſi iam aſſentiatur. Certa non ſunt, quaſi diceret,

Vim afferunt.) Vis hic uiolentiam ſignificat, quod adigant uolentẽ nolentem Geometræ ſuis demonſtrationibus, ad conſenſionem, ut concedat aliter non eſſe. Nec enim plus uno.) Quia tot phyſicorũ in omni re diſſenſiones ſunt, ut neq; duo per omnia correſpondeant ex infinito numero. Partem ſtatim commemorat. Vnus è ſeptem.) Aurelius Auguſtinus, author grauiſſimus, duo philoſophorum genera ponit, Italicũ & Ionicum. Italici principem Pythagoram, Ionici Thaletem, qui & unus è ſeptem ſapientibus. Itaq; nota ratio, cur principem hunc uocet Cicero. Nam quod ſex reliqui conſenſerint, etiam nominum numerus certo non conſtat. Plato Periandrum in Protagora ſuſtulit, Leandrius Cleobulum, alij quidem alios. Sed fermè ſeptem citantur, Thales Mileſius, Pittacus Mitylenæus, Solon Atheniẽſis, Chilo Lacedæmonius, Periander Corinthius. Cleobolus Lyndius, Bias Priennæus. Dicti ſapientes, quod nullus ex eis ſe putarit ſapere. Nam cum aurea menſa fuiſſet inuenta à piſcatoribus, & hunc iactum emiſſent quidam Mileſij iuuenes, nec tamen de ſumma poſſeſſionis conuenire poſſent, cõſuluerunt Delphicum, cui nã hominum adiudicaret inſigne. qui ſapientiſſimo deberi, reſpondit. illi igitur Thaleti ſuo conciui tradiderunt. at ille Soloni, Solon deinceps Apollini, poſtquam inter ſe per ordinem ſatis honore concertaſſent. Ex aqua conſtare.) Voluit Thales, non ut Pythagoras, præcepta tantum ad bene uiuendum diſcipulis relinquere, uerum etiam per naturæ myſteria, per diſputationũ exercitia, per aſtrologiæ rationes, quam ille primus literis mandauit, ſucceſſores augere. Eius dogmatum inter principia rerum, hoc celebre, aquam matrem elementorum, mundi, rerum omniũ eſſe. de Deo nihil definiuit, quem tantæ ſtructuræ. ſicut cæteri præponeret, iudice ſanctiſſimo Auguſtino. At hoc Anaximandro.) Mileſius &

hic, non autem hiſtoricus ille, qui docuit non ex una re, ſed ex proprijs principijs quamq; rem naſci. proprium uerò principium illud infinitum eſſe. Sic innumerabiles mundos gigni, ſic omnia quæ ſint in eis. Sequutus opinor rationem hanc, quod eiuſdem ſpeciei diuerſißimis in locis ubiq; res proueniant. Naſcitur enim hic papauer, item in Italia, rurſus apud Bizantinos, cum tamen eadem terræ natura non ſit. Itaque iam poteſt infinitas hæc Ciceronis intelligi. Poſt Anaximenes.) Diſcipulus Anaximandri, Mileſius & ipſe: rerum cauſam dixit aërem infinitum, hoc eſt genere ſimplicem & unum, qualitatibus autem multiplicem, ut terra, aqua, igne. Deum igitur aërem uocauit, ex quo plures etiam ortos.

Sed ex ea particulas.) Id dixit ὁμοιομερίαν Clazomenius Anaxagoras, auditor Anaximenis: quod uocabulum Gaza familiaritatem uertit. Vt ſi multas aquæ guttulas ſparſim dimotas in unum coniungas, ex multis particulis erit aqua: ſi ſanguinis, erit ſanguis. ita fuiſſe quondam atomos: in quibus particulas carnium, particulas oßium, particulas lignorum, & cætera uolitaſſe. tunc mentem diuinam ſingulas in propriam ſubſtantiam digeßiſſe. Natum igitur corpus, oſſa, lignum, & quicquid in terra ſit. Videor mihi ſatis aperte rem declaraſſe, quam Plutarchus & Laërtius perobſcure tradant. Certe diu me torſi circa principium iſtud. Hunc ſequutus eſt Archelaus, qui primus ex Ionia naturalem philoſophiam Athenas attulit, illam de qua iam dictum eſt, magiſter Socratis. ſic ſeruat ordinem Cicero. Vnum eſſe omnia.) Sic Xenophanes Colophonius. Sed quid illud unum? perinde dicit ac nihil, cum nihil exprimit. Si tamen ad ſingulas res unum referas, poßit uideri de Deo recte ſomniaſſe, de rerum autem origine perperam. Sunt enim diuinitus omnia creata. Vixit ſub Heſiodi tempora, qui & ipſe ſimul omnia ſemper fuiſſe, niſi quod confuſione cooperta, ſcripſit. Ignem qui moueat terram.) Parmenides Eleas principium ignem dixit, per hunc modum: humorem & materiam craßioris aëris aliquando defluxiſſe, tunc ignem infinitum humorem iſtum concoxiſſe, factamq; ſpißi ſubſtantiam. Sic igitur eſſe terram. Plenum & inane.) Leucippus Mileſius uniuerſum, id eſt quicquid extat, in duas partes diſtribuit, in plenum & inane. Plenum continere ſpecies, è quibus oriantur mundi terræ: animalia uelut ex atomis, inane ſpacium continere, quò ferantur illæ res, ut in circumferentiam. Natura uerò coniungi duo hæc. Quare corpus ſubſtantiam habere ex pleno: uim uitalem, quod ſpiret, moueatur, loquatur, ex inani. Sic uix è Laertio potui colligere. Vberior in cæteris.) Democritus itidem Mileſius, huic præceptori ſuo ſimilis in hoc. Addidit autem de na-

tura

ſura animi, ſiderum, elementorum, arborum, lapidum, uaria: quæ longum eſſet recenſere. Eius antè placitum habuimus, innumerabiles eſſe mundos. Nota quatuor.) *Empedocles Agrigentinus, terram, aquam, aërem, ignem, omnia conficere dixit. amicitiam autem eſſe, qua copulentur: diſcordiam, qua dijungantur. idq́; durare perpetuò. De peruulgatis conijcere eſt.* Heraclitus ignem.) *Epheſius qui per ignis uiciſſitudinem in raritate et denſitate fieri dicit omnia, mundum eſſe ſaltem unum, eumq́; ex igne, ignem autē fato regi ac temperari. Quod ipſe non explicat apud Laertiū, nec relator poteſt intelligere.* Fuiſſe ſemper & fore.) *Melliſſus Samius. Huic placuit, illud omne, quod eſt in rerum natura, nunquam incepiſſe, nunquam mutari, licet aliquando nobis uideatur. Quia quod abſq; principio, eſſet etiam immobile, eſſet ſine fine.* Mundum eſſe factum.) *Princeps omnium philoſophorū Plato proximè accedit ad ueritatem. Dicit enim factum à Deo mundum, & ex materia, quæ potuerit fingi, potuerit recipere formam hanc uel aliam diſponente Deo. Materiam autem hanc nos nihilum, aut nihil dicimus, manente tamen quodam obiecto. ſicut fumus aliquid eſt, & nihil eſt: nebula aliquid eſt, & nihil eſt. Itaq; poteſt dictum Platonis iam percipi, quem D. Auguſtinus præclare laudat.* Pythagorei numeris.) *Sunt Pythagorei, Tarentinus Archita, Alcmæon Crotoniates, Hippaſis Metapontinus, & Philolaus Crotoniata. Hi enim è diſcipulis Pythagoræ, doctrinarum laudibus maximè floruerunt. Quod autem mathematicorum numeris omnia fieri docuit, inde didicit. Profectus erat ad Aegyptios primum, ibi numerorū ſecretas uires, & geometriæ penitiores formulas acceperat. Poſtea cum ad Chaldæos perueniſſet, aſtrorum quoq; ſcientiam, & cœli rationes in hominum genituris, cognorat. Ita diſcipuli, quoniam eadem imbibiſſent, de naturis rerum ex mathematicis philoſophabātur. Vocantur enim mathematicæ artes, diſciplinæ demonſtrabiles, ut Arithmetica, Geometria, Aſtrologia. Sed in iure ciuili ſcientiæ, quæ pronunciant è rerū indicijs, è uultu formaq́; corporis humani, naturas ac fata mortalium. Et tales damnantur ad ignem Conſtitutionibus imperialibus, ſi dolo malo praxin exercent, ut in principum perſonis ſeditionem moueant, aut contra religionem ſcribant.* Quoniam Stoicus eſt.) *Stoici uoluerunt ortam aliquando mentem (ſic appellabant rem rerum) ex ſe ipſam, & fabricatam eſſe mundum, omnia moderari, ſolem, ſtellas, terram pertranſire quò moueantur, eoq́; deum illam, iſtá que cuncta ſimul dici. perituram tamen incendio, cum reliquis. Quicquid igitur mobilem uim habet, id deum appellarunt. Sed Cicero non audet ſententiam dicere.* Neque enim

 ortum.)

ortum.) Occurrit authoritate magni philoſophi Ariſtotelis, qui quantum extrema ratione conſequi potuit, de mundo diſſeruit. Et hoc diſcrimen inter Platonem atq; Ariſtotelem. Ille mundum aliquando quidem incepiſſe credidit, uerum nunquam deſiturum: hic uero nec unquam incepiſſe, nec unquam deſiturũ. Nam ſi curioſe quis ſecũ exputat, Quid igitur fuit, ſi mundus non fuit? nequit ullò peruenire. Nibilominus Plato cogitationem in id direxit, quod ſummum eſſet. Eſt autem ſummum Deus. Itaq; poſito principali propter neceßitatem, demum ad inferiora deſcendit. Quid mirum ſi propius ad ueritatem acceßit? Torquetur tamẽ et Ariſtoteles circa quendã intellectũ, quem ſupra res omnes extrinſecus remanere dicit. Tantam uim natricum.) Natrix utroq; genere, cum ſerpentis genus ſignificat. Inquit enim Lucanus: Et natrix uiolator aquæ. Violatorẽ propterea dicit, quod in aqua nãdo ſpargat uenenũ. Apud Plinium herba, quæ uirus hirci in radice euulſa redolet. lib. 27. cap. 12. Affirmabãt Stoici mentẽ illã, hoc eſt Deũ, omnia noſtri cauſa creaſſe. Cur ergo tantã uim, inquit Cicero, uiperarum, tam mortifera multa per terras ubique diſperſit? Vt etiam Myrmecides.) Fictitium ex formicarum uocabulo, quaſi formicinus, quo ludit ab artifice minuto, ad præſentem cauſam.. Qui det immunitatem.) Fecit enim Strato peripateticus, ut author eſt Diuus Auguſtinus, Deum ſine animo: quemadmodum Plato Deum ſine corpore. ſi Deus igitur inanimus, hoc eſt ſi totum illud quod extat in mundo, quia mouetur, Deus eſt: & quia mortalibus non ad oculos apparet, non loquitur, non comedit, ſine animo, oportet multa fieri in humanis rebus, quæ fortuna fortè contingant, non à Deo adminiſtrentur. Satis opinor dilucide ſententiam expoſui. Sed eſt etiam hic præciſio. ſubintelligendum namq;, Ecce tibi ſtat, aut occurrit aduerſarius è tranſuerſo.. Quum ſacerdotes.) Ridiculæ rationes Lampſaceni. Refert tamen Cicero. quod de minorib. dijs debet accipi, ſummũ illud ſicut diximus iam concluſit. Eſt autem uacationem habere, liberũ eſſe à grauibus negotijs in Repub. Idq; iuris obtinebant apud Romanos olim ſacerdotes. Quanto æquius, inquit, ipſos Deos ocium agere, ſi ſacerdotes agunt: ſcilicet à minore. Omnia effecta natura.) Quid ni? poſſumus reſpondere. Verum quæ tandem illa natura? ſtultum id ponere quod ignores, nominare quod neſcias. O philoſophum: hic ille Theophraſti ſucceſſor, hic Philadelphi magiſter eſt. miror dormire uigilantem noſtrum. Hamatis uncinatisq;.) Vide uero ſuauem Democritum. Quia clauus aſper & acutus in lignum perfectius adigitur, & quia res unco incuruæ cohærent facilius. nam illic ex duabus eſſe uidetur una materia:

hic:

hic ſi protrahantur, concretæ res. Dixit ita *corpora mortalium compa cta ſtultiſſimus homo, ualeat cum ſuis hamatis corporibus. Multo dixiſſet melius, ſi uiſcoſa dixiſſet.* Quis enim poteſt?) *Ciceronis religio, optimi maximiq́ue uiri. nempe Chriſtianus hunc animum perpendat, & fateatur, nullum hominem cœleſtia cogitationibus penetrare poſſe.*

Empiricis notiora.) Empirice, *trium medicinæ ſpecierum una, quæ plurimum experientia nititur. Hic adiectiuè puto poni, perinde ac ſi dicatur empiricus, ci. Nam & ars eodem caſu poteſt deſinere, ſi pluralis datiuus ſit.* Hic radiatus.) *radijs ornatus: participium à radio, con ſpicuus ſum, effulgeo. Sic apud* Varronem *radiata rota, apud* Plinium *herbæ capitulum ſtellæ modo radiatum.* Nec tamen.) *Non cenſet ex terminãdas huiuſmodi quæſtiones* Phyſicorum, *affertq́ue grauiſſimas pla nè rationes. Nam aliter ueritas non habet. ille ſiderum, elementorum, terræ, plantarum, omnis naturæ ſtatus, eſt ſchola naturæ, in qua ſummi* Dei *uirtutem quotidie nobiſcum contemplari poßimus.* Decempeda *uerò, pertica, qua menſuratur terra, à pedum numero. Quid tamen hac periodo ſibi uelit* Cicero, *nihil uideo. Locus planè perditus eſt. cõiectari facile nec poſſum, nec libet.* Malorumq́ue notionem.) *Aliàs fines bonorum & malorum uocat.* Et *quemadmodum ibi, ſic hoc loco probat, omnes philoſophos eſſe ſibi cõtrarios in ſententijs.* Quum cornix cecinerit.) *Cum cornix canit, ſonum audimus, hoc eſt aliquid, ſi modo canit: ita lucem uidemus, aiunt quidam philoſophorum, eamq́ue non nouimus.* Per ſarcaſmum agit Cicero. Sex menſi pedum.) *Menſum, ut mihi uidetur, hic eodem accipit modo, quo penſum dicimus, abſolutè. niſi men ſum pro menſura capitur. Sed has ego minutias argutiarum libenter con temno, cum nihil utilitatis inde perſpicio. Videat tantundem, ac ego, ſi quis inani cura delectatur.* Hoc *certum eſt,* Ciceronem *de ſolis magnitudine rationes mathematicas irridere.* Et Herillum.) *Carthaginenſis. Hic in ueri cognitione ſummum bonum conſtituit, ut de Finib. Cicero, item lib. 1. Officiorum non abſq́ue conſenſu refert. Nam & in pueris natura ſeſe patefacit, cum ea quæ non uiderunt prius, cupiunt cognoſcere, quæſitant de rebus, &c.* Quæ ἀδιαφορία.) *Latine indifferentia. Poſuit autem* Zeno *media quædam, quibus abundare ſapiens, & carere poßit: hoc eſt, formam, honores, diuitias, & ſimilia. Sed* Ariſto Chius, *hunc non Iliæum, aut patrem Platonis uult, reprobauit talia, quod neutram in partem inclinaret uirtus, ſummum illud bonum.* Pyrrho autem.) *Elienſis philoſophus, à quo Sceptici Romano uerbo poßint de liberatores, aut cunctatores dici. Hic uoluit, omnino ſapientem non ſen-*

tire res malas, nec moueri talibus bonis fortunæ. Quod ἀπάθεια, id eſt affectuum inmobilitas dicebatur. Vnde Cyrenaici.) Fuit enim Ariſtippus Cyrenenſis patria, *uoluptarius* philoſophus. Sed tamen ab Epicuro *nonnihil diuerſus, auditor* Socratis. Ita *præceptores optimi ſæpe relinquunt peßimos diſcipulos.* Docuit *uoluptatem eſſe finem, quæ tangeret ſenſus temperatè, & afficeret.* Epicurus *uero omnem planè uoluptatem.* Itaq; *non conſentit cum hoc, ut ait* Cicero. Honeſte uiuere fruentem.) *Sic opinor.* Non *petere formam, nec quærere diuitias, item honores non ambire: ſed omni ratione contentum eſſe, quam naſcenti natura tradiderit. ut tamen etiam honeſta uita ſit, eſſe ſummum finem hominis.* Id *igitur* Academia *uetus probauit, id* Antiochus, *id propemodum* Ariſtoteles. *& hercle ſatis ſapienter.* Tolluntur *enim magna de parte uitia, quæ tranſuerſum aliàs hominem agunt. Quod autem ingerit ſeſe* Carneades, *inutilis eſt uerborum pugna.* Nam Stoici, *cum ſuo* Zenone, *conueniunt ad hunc eundem ſcopum.* Veteris Academici de luctu.) Crantor Solenſis philoſophus, *auditor* Xenocratis, *edidit libellum de luctu, cuius etiam mentionem facit* Laertius, *ſed uerbo tantum, percelebrem.* Horatius *eum alicubi commendat, à doctrina utilis & honeſti.* Quæ παράδοξα.) Paradoxum, *Latine quidem inopinatũ dixeris, quia præter omnium opinionem aliqua admirabilis poſitio ſtatuitur. ut* Stoicis, *ſapientem eſſe regem ſolum, imperatorem, formoſum, hominem ſolum, præterea neminem.* Ad Senatum ſtarent.) Ad, *pro ante* Senatum. Sic *pro* Comœdo: Eius *teſtis fides ad iudicem infirmabitur.* Sic *quoq;* Suet. Eum *ad pedes ſtare paſſus.* Nec ea ciuitas.) *Synecdoche: partem enim accipit pro toto, ſequutus uocis etymologiam.* Ciuitas, *quaſi ciuium unitas, ut idem alibi exponit.* Bene *ſcriptum igitur, non dubitauiſſet quin eſſet urbs* Roma, *& eam ciuitas incoleret.* Vnum igitur par.) Poſterius *hoc ſubſtantiuè, pro duabus rebus, honeſtate uidelicet & uoluptate.* Quemadmodũ *in* Oratore, *uocat* Aeſchinem *atq;* Demoſthenem *nobiliſſimũ par oratorum.* Tertiam partẽ philoſophiæ.) Neſcio *quam partem nominet, non diſtribuit ita ſuperius.* Nam *ex naturalib. iam multa protulit: ex* Ethica *autem, uel* Politica, *nihil adfert. Quærit enim ubi in homine cognitionem ueri conſtituamus. apud ſenſus ne, ſicut* Epicurus: *an apud affectus, ut* Ariſtipus? *quod ſcilicet in natura conſtitutum eſt.* Planè *nouam tractationem non incipit, ut præfert locus: ſed epilogi lege repetit, quæ prius fortè paulo obſcurius dicta ſint.* Habuimus *enim de uiſis, de aſſenſionibus, de rerum omnium conditione.* Tum *uero mox deſinit etiam* Cicero. Quid igitur noui?) Recuſat *ſuo nomine quicquam*

in

in tot opinionibus decernere, congerit alios ſuper alios: eo quod ſcelus ſit, ut proximè dixit, dogma prodere. Protagoras autem, de quo loquitur, fuit Abderita, dictus ἄθεος. Dubitauit enim, eſſent'ne dij, quia rei ſumma eſſet incertitudo, & breuiſſima hominis uita, ut perquirere ſatis non poſſet, aut de iuſticia deorum perfectè iudicare. Quapropter exturbatus eſt ab Athenienſibus è ciuitate, librią; illius undique collecti in foro publicè cremati. fuit item alius Stoicæ diſciplinæ. Sed exiſtimo ſuperiorem induci. maxime, quoniam omnia dixerit eſſe uera. Nam id alijs quidem uerbis Cicero complectitur. In ipſum Platonem, qui fontem iudicij, ſedemq; perceptionis mentem dixit, nihil pronunciat. conſentit fortaſſe. nullus profectò uerius hic arbitratus eſt. Aut Xenocratem ſequitur.) Chalcedonius ille nobilis philoſophus, qui ſcortum Laidem continentia ſuperauit, ut ipſa ſe diceret non apud hominem ſed apud truncū fuiſſe. Cui etiam propter ſummam integritatem, in teſtimonio iuſiurandum Athenienſes remiſerunt. Commemorat omnino Laertius complures libros, quod ait Cicero. non tamen opus eſt illos enarrare. Nec enim intelligere poſſumus, quo in genere declinarit Antiochus à Xenocrate circa rationes naturæ. Pari modo loquor de Ariſtotele: niſi feratur illud, quod Logicen inſtrumentum eſſe ueritatis cognoſcendæ ſcripſerit. at animum oportet, ſenſus oportet, atq; ſtudium adhiberi. A Chryſippo pedem nunquam.) ſcilicet diſcedit. Figurata loquutio, pro conſentit cū Chryſippo conſtanter. Quaſi indecorum ſit, ad Stoicorum principem, à ſuorum Academicorum authoribus deſciſcere. Colligit enim: Si licet id illi: quare ſaluo officio & honore nobis idem erga noſtros in paucis non liceat? Doctore ſuo.) Nec ſolum Chryſippus à Cleanthe ſuo doctore diſſenſit, uerum etiam à Zenone ſuo inuentore: quod teſtatur Laertius. Non tamen cū cōtumelia.) Semper ab indigno. Potuiſſet unus multifariam, nos denique non poſſemus? qui ueteri Academiæ tam adſtricti non ſumus? Opinoſiſſimi homines.) Puto legi debere duo opiniosiſſimi. ut ſit, quemadmodum alij exponunt, opinionibus pleni, dum nihil certò comprehendunt. Sic enim etiam dicimus, homo ſuſpicioſus. ſed ut à uerbo ſtatim ipſo, opinor, formemus participiale, neſcio. Opinator quidem in hoc libro ſibi noſter dicitur. Occludi tabernas iubes.) Iocus, ne uidelicet me reus abdam alicubi: quod faciebant in inimicos aliquando Tribuniplebis ſeditioſi, tumultum addentes ad iniuriam. Nam quum extenſis digitis.) Geſtus Zenonis Stoici. quem ut apprehendam, cui ut aſſentiar, reuera nonis ſenſibus neceſſe habeo. Sed ita demum ſibi uidebantur ſapientes, ſi quàm abſurdiſſimè proponerent. Miror Laërtium

tium hic omnino tacere. κατάληψις autem, quod iam antè explanauit Cicero, comprehenſionem ſignificat. Qualem, i lector in auditorium Zenonis, & perquire: mihi meiq; ſimilibus non conſtat. Imò credibile, Ciceronem ipſum hærere. ridiculum enim quiddam ſubijcit: hac inquiens ratione, nec tu Catule uides nunc lucere, nec ſcis Hortenſi tu, nos in tua uilla eſſe. Sed ſi ſumma.) Redit huc deniq;, nos nihil omnino ſcire. libēter etiam faueo tantam ſapientiam uni iſti philoſopho. Zeuxis, Phidias, Polycletus, artifices à ſtatuis nobiliſſimi, uereor ut putarint, in arte ſua ſe ſciuiſſe nihil. Verum quoniam.) Finis libri, quo grauiter pronunciat indignum eſſe, magna quorundam ingenia tam inutili lite uerborum implicari, nec eas potius tractari res, quæ ſtudijs eſſent dignæ. Finit autē librum occaſione quaſi temporis, ut ſi ſtatim à mane ueſperum adu$q;ue cum Lucullo colloqutus eſſet. Et fortaſſe fuit colloquutus. parum enim refert, dum opus ipſum habemus. Ad patris reuoluor ſententiam.) Q. Catuli, conſularis, clariſſimi uiri, qui nihil poſſe certo percipi dixerat, exprimens Carneadeam ſententiam, hoc eſt nouæ Academiæ. Nam Carneades, licet plures haberet eiuſdem opinionis & ſectæ, celebres etiam philoſophos, ut Arceſilam, Philonem, tamen ob perpetuam contentionē, unus maxime titulū dogmatis obtinuit. Eoq; dicitur ab Ariſtotele regnum ſolitarium Carneades. Semper enim fermè rixoſos & pertinaces, fugiunt homines. Vnde tādem aduerſus ſe rixari incipiunt ipſi: quod quidem regnum uere ſolitarium eſt. Itaq; Plato ſcribit ad Dionem, Pertinaciam eſſe ſororem ſolitudinis. Per ἐποχήν.) Latine retentio, uel aſſenſus. quod inſigne miror Pyrrhoni tantum attribui, cū magis proprie ſit, ut hic teſtatur Cicero, Carneadis & Academicorum. Tollendum.) Hæc eſt illa demum concluſio. Tollit magnus author controuerſiam, quā do maxime debuit componere. Componere autem ſui iudicij grauiſſimo teſtimonio debuit. Sed partim ſcilicet inuidiam hominum reueritus eſt, partim etiam ueritatis armarium, unde contra locutuleios tela ſumeret, ignorauit. Lactantius certe Firmianus, ſcriptor eruditiſſimus, planè putat Ciceronem ſciuiſſe, quod pleraq; philoſophiæ uana eſſent, nec tamen id prætuliſſe. Quantum igitur potui per ſimplicitatem primum, deinde uero per exilitatem ſtudij præſtare, tantum equidem in hoc ſcripto præſtiti. Nec fallor, reſtare multa, quæ prolixius explicari debeant. Verum inutili cura nolui uel ipſum me, uel alios onerare. Quicquid annotatu dignum ſit, annotaſſe mihi uideor. Cætera relinquantur in medio.

FINIS.

IOANNIS LODOVICI VIVIS SOMNIVM, QVAE EST Præfatio ad Somnium Scipionis Ciceroniani,

AD R. P. DOMINVM ERARDVM Cardinalem & Archiepiſcopum Valentinum.

HESTERNA *nocte, ſtudioſi iuuenes, quum de enarrando uobis Scipionis Somnio cogitarem, Somnus me ſuam in ædem repentè induxit, ipſumq; ſomniantem oſtendit Scipionem, ex quo me iuſſit percontari totius illius lucubrati & uigilati ſomnij enarrationem. Operæprecium fuerit ſingula à capite ipſo cognoſcere, & deſcribere uobis templum illius dei, cui uos tam crebro tam libenter ſacra facitis, ne ignoretis eum locum, in quem pijs & condulcoratis animis operaturi ſæpe conuenitis. Arripuit me igitur Somnus, ſeu uerius ultro ſecuturum placidè blandeq; aduocauit, & per anguſtas uias, receſſusq; à luce & die remotiſſimos ad paludes Mæotidas perduxit, immerſusq; denſiori caligine profundisq; tenebris ibi me ſtatuit, ubi tũ perpetua nubium, imbrium, nymborum, niuium, caliginis opacitate, tum altiſſimis montibus, tum etiam ſubterraneis cauernis atq; habitaculis neq; ſol, neq; luna, neq; ſidus ullum aliud conſpicitur: gens illa Cimmeria nuncupatur, quæ noſtras iſtas dierum noctiumq; uiciſſitudines ignorat. una eſt ipſi ſemper eademq; & ſui ſimilis mundi cœliq; facies, atra uidelicet. Ibi ferunt Noctem, antiquiſſimam reginam, regni ſedẽ fixiſſe: quæ quum ex Herebo liberos liberasq; alterum et uiginti ſuſcepiſſet, Amorem, Gratiam, Laborem, Inuidiam, Metum, Dolum, Fraudem, Pertinaciam, Egeſtatem, Miſeriam, Famem, Querelam, Morbum, Senectutem, Pallorem, Tenebram, Mortem, Charontẽ, Diem, Aethera, et hunc noſtrum Somnum: ipſaq; Nox Terræ filia regnũ maternum obtineret, cæteras quidem regni ditionisq; prouincias cum Die filio ſuo communicauit, imperio ambobus æquato: non ut Q. Fabio & Minutio Ruffo, ſed ut Aemilio Paulo & Terentio Varroni bello Punico ſecundo. uicibus enim uterq; imperat ſuis. Certis uero muneribus et officijs earundem prouinciarum cæteros liberos ſuos præfecit. nul-*

E lamq;

lamq́; uoluit eſſe ciuitatem, nullum oppidum, nullum pagum, nullum cõ-
uenticulum, ac ne domũ quidem ullã, in quam illi ſui filij ius ac poteſta-
tem non haberent. ubiq; enim uiget dominaturq́; Amor, ubique Labor,
ubiq; Metus, Dolus, Miſeria, Egeſtas, Inuidia, Fames, Querela, et reliqua:
præter Louanium, à quo exulant inuidia, dolus, fraus, pertinacia: amo-
ris & gratiæ plena ſunt omnia. Cimmeriam uero regionem ſolam ſibi
Nox reſeruauit, nec in ea ditio eſt Dici ulla. in qua eſt tamẽ particeps re
gni atq; imperij Somnus filius, quemadmodum erat Titus Veſpaſianus
cõſors imperij paterni. Eo igitur in loco regiam ſibi ædificauit Somnus,
ex hebeno cõſtructam. neq; enim uel ipſi Somno, uel parenti Nocti alius
placet color, quàm niger. Atrienſis & domus præfectus ſunt, Quies et Si
lentium, qui procul à limine fragores, ſibila, ſuſurra, murmura, uoces o-
mnes, ſonos, ſtrepitus arcent: nulla humana illinc uox exauditur, nullus
equorum hinnitus, rugitus leonum, latratus canum, grunnitus ſuum, bar
rhitus elephantũ, mugitus boum, garritus auium. Gallinaceus cõticeſcen
tiam illam & altißimum Noctis ſilentium ſi ruperit, extemplò ſacer eſt
Nocti, gratißimaq́; ei deæ mactatur uictima. Anſerum etiam illic non a-
lius eſt uſus, quàm in ſacrificijs: luſtrales enim iſtæ ſunt hoſtiæ. nec ranæ
ullæ ſunt niſi Seriphiæ, nec cicadæ niſi Acanthiæ. Nullum ibi forum eſt,
nulli cauſidici, nulli aduocati, non iurgia, non lites, nullus clamoſus rabu
la, nullus rixoſus zelotypus. et quamuis incolæ bonũ bibant uinũ, nullus
eſt tamen præco, niſi quis fortè qui geſtibus indicet quale ſit uinum, non
boatu. Ac ne ullus ſit cardinis ſtridor, nullæ ſunt in tã ampla domo fores:
neq; enim fures illic timentur. nec ſunt aliquæ uigiliæ, uel excubiæ. Vnus
eſt autẽ perlenis ſtrepitus, et gratiſſimũ Lethæi fluminis murmur, deci
dentis inter lapillos, & præterlabentis cum maxima inuitatione ſopo-
ris. eiuſce fluuij aqua temperatur uinum, reliqua omnis aqua ominoſa il
lis gentibus, atque execranda eſt. Sed de culicibus præterij. admittuntur
& ij à deo Somno poſt maiora conuiuia, quum uino & Lethæo liquore
madent omnia. Sed mites iſti culices inermesq́; ſunt, ſine aculeis ullis, te-
nuißimoq́; cum ſuſurro circumuolitant lectũ Somni. Eſt enim lectus ipſe
Dei etiam ex hebeno contectus furuo, in quo ipſe iacet cum uxore ſua
Securitate. In proximo cubili ſunt filiæ iam nubiles, Ignauia, Inertia, Tor
por, Obliuio, Deſidia. Tertio in lecto magiſter Veternus altum ſtertens,
effuſus decumbit. Is quem ferunt bonum atq; opulentum fuiſſe ante Io-
uem natum, regem, potitumq́; rerum cum Saturno & Iano. Nunc, ex
quo Iupiter cœpit bella gerere, Græci contentioſum aperuere forum, Ser
uius Tullius æreum ſignauit numum, Phædon & Lydij argenteum &
aureum;

aureum: Romani tot leges accumulauerunt, Accurſius, Bartolus, Baldus tot gloſſas, Cepola tot cautelas, reliqui meras uafrices & malos dolos: exulat, & ſuo deuolutus regno tanquam Dionyſius *inferior aperuit ludum, docetq; totam Somni domum, & nonnullos ex noſtris ſpaciatoribus Louanienſibus. Somnus ipſe interdum oſcitabundus oculis identidẽ conniuentibus ſurgit, ut domum ſuam componat, ut ius dicat.* Non quod *accuſationes ſint aliquæ, aut lites: ſed ut ſingulos, quæ faciunt, facere perpetuò iubeat.* Quod *ſi lites ullæ afferrentur, nullus eſſet hodie iudex æquior deo illo. Arcta cognatione ac gentilitate Iuſticiæ tenetur, nullus eſt illi noſtrarum perſonarum reſpectus, neminem intuetur, clauſis oculis & in tenebris cauſas audit Areopagitarum more, ſiue rex ſit, ſiue mendicus, ſeruus, liber, uir, fœmina, puer, ſenex, omnibus pro meritis ius reddit. ut ſi bona ſit quis ualetudine, bene paſtus, bene potus, etiam ſi ſit ſeruus, humilis, abiectus, bene dormiat: ſin ſecus, etiam ſi ſit diues, & rex ipſe, uigilet, & crucietur: omnesq; quandiu in illo uerſantur foro, pares ſint, nec aliquid inter beatiſſimum & miſerrimum interſit.* Neſcio quid *in Somnum peccauerat* C. Mecœnas: *deprecabantur eius crimẽ apud Somnum* Vergilius, Horatius, Propertius, Tibullus, *omnes poëtæ, Aſinius* Pollio, Valerius *Meſſala, omnes oratores, princeps etiam Auguſtus, Mecœnas ipſe ſacrum quotidie Somno cũ tibicinibus & ſeruis Symphoniacis faciebat, iacebat in ſacrificio tota illa domus et familia abiecta, ſordidata, mœrens & ſupplicans ad pedes Somni. hæc omnia rigidã illam Somni iuſticiam nunquam flectere potuerunt. & quum per tres continuos annos innumeras immolaſſet uictimas, ne una quidem horula litare potuit, & pacem dei inuenire.* Quæ *quum ita eſſent, nec Somnus Mecœnatem ſuam in domum admitteret, ſoror Somni* Mors *aliquanto facilior, & quæ ſæpenumero adeſt non uocata, illum ſuũ in regnum detulit.* Hæc *eſt cauſa cur reliqui poëtæ, ne crimen patroni in ſe quoq; permãnet, toties Somni laudes decantarunt, edocti à Somni ſacerdotibus,* Endymione Care, Epimenide *theologo Cretenſi. illi enim in ſacris deum ipſum aliàs uocant mollem, aliàs ſuauem, aliàs dulcem, placidum, benignum, nutricium, gratiſſimum deorum munus, mirabiliũ artificem. canuntq; ei uerſus illos, quos mihi uidetur* Ouidius *memoriæ mandaſſe,*

Somne quies rerum, placidiſſime Somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſterijs mulces, reparasq; labori.

Tum & laudant eum, quod tam mitis manſuetusq; ſit, ut eos quibus ſit propicius, tales reddat: alios quos oderit, præferoces, immites, inhumanos, refractarios,

crudeles efficiat. Quod intelligens exemplũ illud Romanæ grauitatis et ſapientiæ Cenſorius Cato, ſeruos quantũ uellẽt ſinebat dormire, ne nimijs uigilijs animi atque ingenia eorum efferarentur. Hinc Somnus deligit ſibi ex tota rerum natura miniſtros. Primum ut in iſtis maximis domibus fieri ſolet, ut ſint pleriq; ocioſi, oneri magis (honori dixerim) quàm neceſsitati. qui ſi rogentur, cui ſint illic uſui? reſpõdere poſsint, ne domus ſit infrequens. neq; aliud agunt, quàm ingredi, egredi, ſpectare, maledicere, detrectare, comedere, potare, ludere aleam. ſcortari. Ita Somnus habet plerosq; amplis in illis ſuis ædibus tales, ij ſunt omnia animalia: ſtirpes uero, & ea quæ nihil ſentiunt, excluduntur, ut à domibus principum ij qui aſſentandi & adulandi ſenſum nullum habent. Iam ſunt ad ſecretiora munia famuli, qui feriati neutiquam ſunt. hos habet ex hominibus infantes, quamdiu ſunt in maternis locis, præter paucula quædam momenta: tũ et recentes ab ortu. Ex reliquis animantibus, glires hyemem totã, urſas 14. dies perpetuos à concepto fœtu, uitulos marinos magna temporis parte: iſtis familiarius utitur, quibus bona dat ſtipendia Reliquos uerbo tenus famulos ſatis habet, modo alat. Nec omnes tamen in illis ædibus quamlibet ſpacioſis diuerſantur: ſed uti uidemus in domibus iſtorum procerum, diſperſi habitant, totosq́; dies, noctes etiam uagantur, male feriati, anſati & enſati homines, efferato uultu: interim bene compti, præſertim quum amant: niſi ſi nacti ſint dominas quæ ferrum malint, tum fiunt Thraſones & Polypyrgonicæ, magnificis promiſsis et uerbis, tam inani crumena, quàm cerebro inſania differto. & quanquam ſe alere totam ciuitatem poſse iactent, hora tamen prandij aut cœnæ citius deſerant quoduis uadimonium, quàm domini aulam atque ollam. ita & Somnus famulitium ſuum permittit, quocunq; uoluerit loco habitare, modo tempore pabuli ne deſint. Alij famulorũ incolunt editos montes, proceras arbores: alij terram, alij antra & ſpeluncas, alij nidulos aut ſub terris, aut in parietibus: alij aquas, & ipſum mare. homines, et quadrupeda clauſis oculis & ſtertentia, paſcunt ſomnos, quos delphini & balenæ imitantur, cæteros piſces & inſecta ſola quies indicat paſci. Et quamuis tantis ſit familijs ac clientelis, nunquam tamen (quod raro inter nos contingit) uel factiones exercet, uel bellum gerit. Nam ſi quis ſuis parêre iuſſis, ſiue mortalis is ſit, ſiue deus, detrectat, protinus uirga illa ſua tactũ uincit, proſternitq́;. Sic dedit manus aliquando ipſe Iupiter, ſic domita ſunt nonnulla monſtra: Meduſa, Argus, & uelleris aurei ſerpens cuſtos. Illam eandem uirgam Somnus Mercurio ſæpenumero accommodat, Mercurius uiciſsim ipſi ſua talaria: quo fit ut frequenter Somnus non minus

quàm

quàm Mercurius, nűcius ſit Iouis ſũmi.ſicut uir ille cæco fortis teſtatur, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. Porro domeſticis rebus ita cõſtitutis Sõnus ipſe ſe ſibi breui deambulatiuncula reficit ac reparat, uſque ad hortulos ſpaciatus ſuos.in quib. mater Nox omne genus herbas ſoporiferas ſeuit, primum parentis ſuæ Cereris papauer perfuſum lethæo liquore, hinc la ctucas atras, & mandragoras, & ex leguminibus fabas, piſa, phaſelos: lentes uero illic non creſcunt, ac ne ſeruntur quidem. Et ſi hoſtia cæditur ueſpertilio, protinus cauent ne domi ſiccetur caput. neſcio enim quas tragœdias ferunt illic eſſe excitatas, propter caput aridum cuiuſdam ueſpertilionis. Itur hinc ad conuiuiũ, in quo frequentes adſunt Bacchus & Silenus, et M. Antonius, et filius Ciceronis, et Torquatus Tricõgius, et L. Piſo curator urbis, et ſi qui alij ſunt, qui capitale bellũ indixerunt aquæ, & in primis Axanex. Sedet ipſe Somnus medius inter Vitã et Mortem, ſed propior tamen Morti quàm Vitæ. nec mirum, quũ Mors ſit eius ſoror germana: Vita non ſit germana ſoror, ſed patruelis. idcirco ex familiarib. complures paruã eum mortem uocant. Somno, poſtquam iuit cubitum, cohors uigilum ad cuſtodiam excubat, admirabiles rerum formæ quæ cõ muni uocabulo Somnia dicũtur. id enim eſt gentile nomen. Cognominib. & prænominib. ut Romani, diſtinguuntur. eorum enim eſt, qui uocetur ἐνύπνιον, latine Inſomniũ: cuius eſt munus, ut falſa gaudia, triſtitias falſas humanis animis ingerat, ut quod in uigilia optent, uel timeãt, id ſibi per quietem cõtigiſſe putent. Hoc ἐνύπνιον regnum habet in eos qui amant, qui ipſi ſibi ſomnia fingũt: in meticuloſos, qui ſemper ſua feriri dorſa putãt, fugere perſequentẽ, & ſub linteaminib. deliteſcere male tutos: in auaros, qui ſingulis noctib. beneficio Somni ditati, poſtridie maleficio Diei et Lucis pauperes ſurgunt: in eos, quibus non adeò uel uinum uel ceruiſia diſplicet, qui ſibi integra exhaurire quadrantalia, & iucundiſſimè alios ad bibẽdum prouocare, prouocariq; ab eiſdem, quũ ſunt in Somni domo credunt, et ſciunt academicè. Eſt ex ſatellitibus alter, qui uocatur φάντασμα. Cicero, qui latine loquitur, uiſum dicit: quod ſenſibus noſtris ſe offert ſemiſomnib. quũ nec uigilamus, nec planè Somni obſequio totos adhuc noſtros artus tradidimus: ſed in confinio ſumus duorũ potentiũ regnorũ, Somni, Vigiliæq;. Hic filiam ducebat ponè ſequentẽ ἐπιάλτην, quæ quũ aliquem ex Somni miniſtris et famulis cõplectitur (etenim magnũ ſcortũ eſt, et tubitat libenter cũ uiris) ita eum opprimit, ut ſibi magnis turribus atq; ponderibus grauatus uideatur, nec inſpirare nec reſpirare queat, ac ne clamare quidem uel quiritare, & opem fidemq; deorum atque hominum implorare. Ad hæc eſt etiam grauis quidam & peritiſſimus Prome

E 3 *thei*

thei conſanguineus, qui uocatur Morpheus, potentior etiam quàm ipſe Prometheus. nam hic ex luto finxit homines, ſublato furtim igne illo cœleſti: Morpheus uero de nihilo facit homines, nec eos mutos aut nudos, ſed ornatos ſericis, & aureis ueſtibus, loquentes, diſertos. oratores etiã, quum nunquam declamarint. theologos, qui nec Louanij unquã neq; Pariſijs fuerint, nec ſcholas intrarint, uel Sorbonam uiderunt: reges quoq;, principes, mendicos, ſeruos, dominos. eos qui ſunt Louanij, facit cõuiuari Romæ: qui Romæ ius dicunt, medio in foro Louanienſi facit ſaltare. circulatores ipſi non ſunt tales artifices, qualis Morpheus ille. Proximus huic eſt Icelos, magnus auceps & uenator: incredibile dictu eſt, quàm multa genera ferarũ et auiũ quotidie capiat, leones, urſos, capras, damas, ceruos, apros, lepores, cuniculos. tum ex auibus ſiue ad eſum, ficedulas, perdiculas, turdos, anates, pauones, anſeres, gallinas, pullos gallinaceos, capos, coturnices, attagenas, turtures, columbos, ites: ſiue ad cantum, luſciniolas, merulas, turdos, caßitas: ſiue ad imitationẽ uocis humanæ, pſitacos, coruos, picas, ſturnos, cardueles, monedulas: ſiue ad alias capiendas, aquilas, uultures, circones, buteones, arſaloes, cymindes. Poſtremo Phantaſos ſigilla habet rerũ uniuerſarũ, quæ anima et ſenſu carent. quanta regna hic poßidet, dij immortales? quãtas opes? quàm multũ auri, argenti, margaritorũ, gẽmarum? quæ opes hoc ab ijs quas ueras ſolemus appellare diſtant, quòd hæ ut ueræ ſunt, ita ueros pariũt dolores, et cruciatus nõ fictos: illæ ut ſunt inanes fictæq;, ſic gaudia ſibi ſimilia, inania uidelicet gignunt, fictaq;. et alioqui ſunt qui ſimulata hæc & adũbrata ueris illis atq; expreßis anteponãt. Atq; his quidẽ omnib. ſunt ſua ſacra, ſuæ ceremoniæ, ſui ſacerdotes, ſuni oraculorũ interpretes. nam etiã prædicũt uentura. multi quidẽ cõiectores, qui ex ſomnijs admirabilia fata uni co in manũ accepto aſſe, aſſe autẽ, imò ſextãte aliquo numo, uel unciaria ſtipe pollicentur, quos nonnulli ὀνειροπόλους appellant. Sed honoratißimi tamẽ ὀνειροκριτικοί. Thelmißinus artis, ut ferunt, repertor: et Antiphõ Rhãnuſius Athenis orator, unus è decem illis celebratißimis: et Ioſephus Iacobi filius, Amphictyon, Tireſias Thebanus, Democritus Abderites, et horũ notarius Pappus Alexandrinus. quos ego aſpexi interdũ deſtomachãtes, et execrãtes reſponſa illa ſuorũ deorũ, deierãtes nihil ineſſe ueri, nihil ſinceri, nihil certi, omnia eſſe mẽdaciorũ et uanitatis referta. Nullus mihi uiſus eſt certior cõiector Tireſia Thebano. eſt hic ſeniculus quidam periucũdus, quẽ ſuperba illa et rabioſa Iuno, quod olim eo iudice inferior diſceſſerat, luminib. orbauit. Is quoties cõſulitur, illud præfatur, Quod uaticinabor, aut erit, aut non erit. Aiunt eũ nondũ mentitum, nec ullũ præ-

ſentius

ſentius antidotũ cõtra mẽdaciũ. Verſabãtur et in eadẽ Somniorũ cella me
dici pleriq; qui de ualetudine ex oraculis ſomniorũ iudicium profitebãt:
idq; nõ uſquequaq; male. Sed cũcta ſomnia erãt adeò pota, ut mirareris q̃
funderẽt nec cohærẽtia, nec uera, nec uero ſimilia: interim tamẽ certiora
etiã, q̃ quæ interdiu uigilantes uidemus, ac tangimus. ut de cane illo qui
ſomniabat ſe fuſtibus cædi & cædebatur: et de illo homine, qui quũ de le-
cto deuolueretur, ſomniabat id ita accidere. P quoq; Cor. Rufum, qui Coſ.
cũ M. Curio fuit, narrari audiebã, uiſum amiſiſſe, quũ id ſibi accidere ſom
niaret. Sed hæc rara exẽpla. Frequẽtiora illa, quòd uſqueadeò ſunt ſomnia
illa fallacia, ut nihil tã exiguũ ſit, quod non ingẽs ipſa prædicent. de rebus
quoq; quæ adſunt, quæq; ſentiuntur, non erubeſcunt apertiß.me mentiri.
Auditur exilis aliqua uox tonare, corruere montes, frãgi et decidere gran
des arbores, ſubuerti domũ ipſam aiũt et aſſeuerant. Aſcẽdit ad palatũ ali
quid dulcioris liquoris, quicquid eſt ſaccari & mellis te comedere affir-
mãt. Supereſt in gutture aliquid uini, aut cereuiſiæ ex pridiana potatio-
ne, totos cereuiſiæ culeos, ſolida uini dolia ſequiculearia te bibere aſſeue-
rãt. Incaluerũt paulo plus ſolito corporis partes aliquæ, circundatũ te i-
gnib. & per uiuas ambulare prunas iurant. Hic de oraculis ſomniorũ ma-
gnã uidebã in curia diſſenſionẽ, non inter ſenatores ſolũ & doctos philo
ſophos, ac uelut maiorũ gentiũ patres, ſed inter minorum quoq; gentiũ, et
conſcriptos allectosq;. Conſulebatur ſenatus à Manio Somniorino Conſule
inter curas uarias, inter Spem atq; Metum ſedente. Et quoniã in trepidis
rebus ſententiæ erant dicendæ, non acceptis pignorib. ſed datis, per deos
omnes, qui ei tẽplo in quo ſenatus habebatur, præeſſent, P.C. Conſul ob-
teſtatus eſt, ut quod quiſq; ſentiret, quodq; è Rep. futurũ exiſtimaret, id
fortiter cõſtanterq; diceret. Primi igitur rogati ſentẽtiã uiri cõſulares, &
multis maximisq; honorib. functi Pythagorici, Socrates, Plato, Platonici,
Stoici ueriß. illa et ſacroſancta uideri ſibi oracula reſponderũt, nec in eis
uicij quicq̃. in nobis culpã ineſſe omnẽ, qui cibo potuq; infarcti et obruti
quieti nos tradamus. quo fit ut ea pars animi, quæ mentẽ conſiliũq; obti-
net, ſopita ſepultaq; crapula iaceat cæca, nec intueri quicq̃ ualeat. Nã qui
ſalubri et moderato cultu, dicã Platonis ſentẽtiã Cic. uerbis, qui inq̃ eiuſ-
modi cultu atq; uictu quieti ſe tradiderit, ea parte animi quæ mentis &
cõſilij eſt, agitata et erecta, ſaturaq; bonarũ cogitationũ epulis: eaq; par
te animi, quæ uoluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti
(quorũ utrũq; præſtringere aciẽ mẽtis ſolet, ſiue deeſt naturæ q̃ppiã, ſi
ue abũdat, atq; effluit) illa etiã parte animi in qua irarũ exiſtit ardor, ſe
data atq; reſtincta: tũc eueniet, duab. animi temerarijs partib. cõpreßis,

ut illa

ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & ſe uegetam ad ſomniandum, acremq́ præbeat. tum ei uiſa quietis occurrent tranquilla atq; ueracia. In hanc ſententiam non pedibus ſolum, ſed manibus quoq; et capitibus tranſierunt, ex Græcis quidem Alexander magnus, radiculam qua Ptolemæus ſanatus eſt, manu geſtans. Dionyſij ſuperioris & Phalaridis Agrigentini matres, filiorum magnitudinem ſæuitiamq́ oſtendentes. Xenophon, præuiſa per quietem militia ornatus, inſignisq́. Eudemus Alexandri Pheræi mortem indicans, ſuumq́ poſt annos quinq; in domum patriamq́ reditum æternam. Sophocles Herculis admonitu pateram prodens. Simonides dilata nauigatione lætus, & exultans. Crœſus Lydorum rex Atym maiorem filiorum haſta transfixum lugens. Alcibiades Athenienſis amiculæ pallio inuolutus. Chryſippianus ille ſomniator inuento per oui indicia theſauro, diues repente factus. Himæra Syracuſana, cuius nocturnum uiſum Syracuſæ magno ſuo malo nimis uerum fuiſſe expertæ ſunt. Archas ille Stoicianus, uindicaſſe mortem ſocij glorians. Ex Romanis uero Tarquinius Superbus rex, nimis magno impetu arietatum ſe ab ariete illo lamentans. Publius Decius Mus, & Titus Manlius Torquatus, uictoriam de Latinis, & deuotionem pro patria ſuam ſubinde commemorantes. Lucius Attinus homo de plebe, quem neſcires triſtiorem'ne diceres amiſſo filio, an lætiorem recuperata ſanitate. C. Sempronius Gracchus in ſimile ruens fatum, inuitus & reluctans, quo Tib. frater. Arterius Ruffus eques Ro. ceu piacularis pro mirmillone trucidatus, & ſe minus monitis Deorum parentem, & amicos nimis importunos execrans. Ciceronis nutrix, ſalutem Reipub. primumq́ & uerum patriæ patrem à ſe alitum iactans. Calpurnia Cæſaris dictatoris uxor, coniugem ſuum multis confectum uulneribus, in gremio ſuo depoſitum eiulans & lugens. Cn. Octauius & Accia Auguſti parentes, filium mundi dominum ſuccollantes. Arterius Auguſti medicus, principem orbis uno inſomnij ſui oraculo ſeruatum demonſtrans. Ad hæc ex barbaris, Hecuba Priami uxor, incenſam face ſibi oſtenſa Troiam cum rabie commemorans. Cyri ſuperioris mater Mandane, urinam ſuam Aſia tota tanquam matella exceptam præferens. Cyrus ipſe, uitæ ſuæ annos digeſtis in ordinem numeris colligens. Hamilcar Pœnus, longe alio quàm animo præſumpſerat apparatu atq; affectu mœſtus, Syracuſis cœnans captiuus. Hannibal itidem Pœnus tot prælia, tot Romanos, tot Italos partim cæſos, partim captos, tantam Italiæ uaſtitatem Romanis exprobrans. Multitudine uidebantur & authoritate hi uincere. Itaq; ſenatus conſultum in eorum ſententiam iam incipiebat ſcribi, quum ſubito Volupius

lupius

lupius Epicurus trib.pleb.intercedere ſe profitetur · quo factum eſt, ut Conſul in exquirendis patrum ſententijs neceßariò pergeret. Ita rogatus Ariſtoteles, longe ſibi aliam eſſe mentem dixit. Somnia ex ſe nihil habere ueritatis. ſibi uideri, ſi quando uerum prænuncient, non id protinus uera eße ſomnia arguere. quippe quum ſingulis ſomniemus noctibus, mirandum non eſt ſi aliqua uerum dicant. collimet aliquando, uel totius artis iaculandi rudis omnino ac ignarus, neceſſe eſt, ſi totum diem iaculetur. Quid quod nos uarijs interpretationibus pro libito noſtro cõfictis efficimus, ut uerum prædixiße ſomnia uideantur. Hinc Carneades, *cum magna Academicorum manu, quum aſſurrexiſſet:* Et licet, inquit, *Somnorine loqui de* Republica? Negare pleriq; conſulariũ, extra ordinẽ *ius eſſe cuiquam in ſenatu ſententiam dicere. timebant uidelicet inuictã illam hominis eloquentiæ uim, qua eſſent plerunq; conuicti et confutati. quem uirũ tanti eſſe in diſputando acuminis affirmabant, tantæ artis, ut nullam unquam rem eſſe defenderit, quam non confirmarit: nullam oppugnarit, quam non euerterit. Conſul uoluntatem principum ſecutus, quieſcere illum iußit.* Appellat tunc ipſe tribunum Epicurum: *qui quod eſſet* Carneades *legatus ad* Romanos *deſignatus, poteſtatem ei quæ uelit, dicendi facit. ille inuitis aduerſarijs in hunc modum diſſeruit, ut totam penè fidem oraculis ſomniorum adimeret. Si enim, inquit, uera ſomnia* P.C. *mittuntur à deis, falſa à quibus mittuntur? an à uulpeculis, quæ fallere & aſtu eludere conſueuerunt? an potius uera ſunt à* Ioue *deo ueraci, falſa uero à* Mercurio *mendaciorum præſide? Quod ſi dij uoluntatem ſuam ſomniantibus declarant, quanto magis eorum & maieſtatem deceret, & beneficentiæ congrueret, non dormientibus ea ſtertentibusq; nunciare, ſed uigilantibus atq; attentis? Quanto etiam beneuolentiæ illorum erga nos magis eßet conſentaneum, non obſcuris & flectilibus ſignis, quæq; coniectore indigeant, ludere genus humanum, ſuſpenſumq; cura & metu, ut tu nunc es Somnorine, irridere, uerum aperte & dilucide mentem nobis ſuam enunciare?* Productus eſt *ab eo ſub finem orationis* Protheſaurius *quidam* Carboninuentor, *qui fletu et lachrymis ſuis magnopere ſenatum miſericordia mouit, ingentemq; Somnijs inuidiã fecit. Querebatur enim ſe de theſauro mane inueniendo ſomniaſſe, non ambigioſè & per inuolucra, ut fecerat Chryſippianus ille, cui per uitellum albumine contectum aurum argento circundatum ſignificatum eſt, ſed ſimpliciter & apertè. at quum lætus ſurrexiſſet, inueniſſe carbones quauis pice atriores.* Sicine *uos Somnia iuuat nobis illudere, & ueteratorijs ueſtris artibus ſimplicitati noſtræ imponere? Emerã iam apud me ex theſauro mihi à uobis*

 oſtenſo

oſtenſo fundos, uillas, hortos, ædes. parauerã ſplendidam & delectabilem uitam, deſtinaram filiabus magnas dotes, filijs amplum patrimoniũ. Iam me inter principes meæ ciuitatis, atq; adeò totius regionis connumerabam. En ad quantam inopiam fucis & mendacijs ueſtris hæc omnia reciderunt? Quis ergo poſt conditum æuum afflictus & proſtratus poterit dici, ſi non ſum ipſe immani calamitate de faſtigio opũ dignitatisq; deturbatus? ſi non ſum unus ex omni memoria miſerrimus repente factus ex feliciſsimo? Minuit hæc oratio apud pleroſq; patrum non mediocriter Somniorũ authoritatem. Pyrrho uero & Herillus incertæ erant mentis atq; ſententiæ. multum animaduertebant, multum cogitabant, magnopere conſiderabant, diu cunctabantur, accuratè expendebant quid eſſent acturi, in utram ſe partem prorepturi. modò iſtis decreuerant aſſentiri, & toto impetu in eorum ſubſellia tranſibant: ſed medio in curſu, neſcio quo ipſos altrinſecus, quaſi unco retrahente, ſiſtebant aliquantiſper, & in diuerſam ſe partem poſt paulum conferebant properè, neque perueniebant tamen. nam utrinq; quantum hinc attrahebantur, tantum illinc extrudebãtur. Quumq; id fieret paribus hinc inde uiribus, neceſſe erat eos uelut ferrum in conditorio Arſinoës ſuſpenſos in medio detineri, nequicquam alterutris ſe coniungere conatos. idq; non ſemel. Vix hæc fueram intuitus, quum audio duos uiros cantillantes, alterum græce, eumq; cæcum: alterum latine. cornua neſcio quæ, ac elephantos prædicabant. Græcus hunc in modum,

Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσιν ὀνείρων·
Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχατε, αἱ δ' ἐλέφαντι.
Τῶν οἱ μὲν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος,
Οἵ ῥ' ἐλεφαίρονται ἔπε' ἀκράαντα φέροντες.
Οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε,
Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.

Quos uerſus latinus Poëta hunc in modum ſuos faciebat:

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua ueris facilis datur exitus umbris.
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes.

Ita aſſerebant fore, ut ſi per cornu illud, quod ſplendorem lucemq; admittit, facies illæ & formæ eorum quæ in quiete uidentur, exirent, certa eſſent omnia, perſpicua, clara, indubitata. ſin uero per elephantum, cuius quamlibet tenuiſsima lamina denſitate ſua lucẽ omnem excludit, con

fuſa.

*ſuſa, perturbata, falſa. Memini hoc dictum uehementer eſſe à compluri-
bus comprobatum. ſed dolebant cornua iſta nuſquam penè inueniri, niſi
in illo Cornucopiæ, ubi etiã lactis gallinacei hauſtus poſſit inueniri. Erãt
qui crederent de cornibus lunæ Vergilium loqui. qui ſibi uidebantur face
tiores, de cornibus hominis currucæ neſcio quid cauillabantur. Aethiops
quidam Iouis Hammonij ſacerdos, poëtas de Hammonis cornu locutos
cenſuit: ea gemma eſt inter ſacratiſſimas Aethiopiæ, colore aureo, quæ
arietini cornu ſpeciẽ reddit, quale eſt cornu Iouis Hammonis, quẽ illi arie
tem eſſe putant. hãc gemmã pro comperto habent, traduntq; Aethiopes,
nocturna uiſa oraculi modo certa ueraq; efficere. Dum hæc aguntur, ri-
xoſo altercatorũ clamore excitatus Somnus, Quietem Silentiumq; gra-
uiter increpat, quod tam garrulum genus hominum intromiſerint. Proin
de antequam ſeriò ſuccenſeat, abigãt expellantq; illud protinus. Quies
& Silentium ante Somni thorum prouoluta, culpam flebili uoce cum la-
chrymis deprecantur. Narrant ſophiſtas eſſe illos Lutetianos, à quibus
ſibi eſſet infeliciter impoſitum, quippe quum nec græce loquerentur, nec
latine, nec lingua aliqua quam ipſi noſſent (nouerant autem humanas
omnes) diuinam uero ſolam ignorarent, putarunt iſtos plus eſſe quàm ho
mines, deos planè quoſdam, qui ſic loquerentur. nõ potuiſſe aliter facere,
quin & reuerendiſſimè eos, non ad ipſius quidem Somni, ſed ad Somnio-
rum cubiculum, quò peruenire magnis conatibus contendebant, intro-
ducerent. Hic Somnus: Sit ſatis ſemel peccaſſe, poſthac ſcitote illam non
eſſe linguam humanam, multo minus diuinam, ſed ſtrepitum & interpel
lationẽ totius quietis. eijciantur hinc primo quoq; tempore. Et quũ ipſe
deus in ſe relaberetur, ſuppreſſit uerbum quoddam, quod ego non potui
ſatis percipere, an eſſet græce* εἰς κόρακας, *aut* εἰς κόλακας, *an latine in
cloacas. Simulac auditum eſt, iubere Quietem uerbis Somni, ne intra moe
nias menſis pirocali, quæ erant poſtridie futuræ, ſophiſta ullus in So-
mni regia appareret, pertumultuoſa excitata eſt ſeditio. omnia propè
Somnia abitura ſe cum congerronibus ſuis profeſſa ſunt. Ibi ſophiſtæ am
plexari chariſſima ſibi Somnia, & dicere illud amarũ ualete: Somnia re-
tinere amiciſſimos ſuos. O triſte ſpectaculum. confuſus iam erat fletus,
& utrinq; exortus plangor horribilem reddebat audiẽtibus plangorem.
ibi manifeſtò intellectum eſt, quàm grauis, quamq; acerbus eſſet amico-
rum diſceſſus, & quaſi diuulſio à ſeſe. Fuere ex Somnijs, qui & Noctem
& Herebum, & quicquid eſt deorum deierarent, ſe, niſi libere cum ſo-
phiſtis abire permitterentur, clauſtra ipſius regiæ refracturos. Somnus,
modo aliqua ad miniſteria neceſſaria obeũda reſtarent, alijs abeundi quò*

 uellent,

uellent, fecit poteſtatem. Ita ſophiſtæ cum magna parte ſomniorũ à quiete eiecti ſunt. Quumq́; quærerent, quó nam gentium conferrent ſe, ſophiſtæ reſponderunt ſe nihil magis ignorare, quàm mũdum quem incolerẽt. ſi in cœlo eſſet peregrinandum, nulla uia, nulla ſemita, nullum compendium, oppidum, uiculus, mons, flumen, palus, fons, lacus, ignoraretur: omnia illa cœleſtia tenere ſe in digitis. Quot autem millibus diſtet ſanctus Dionyſius à Lutetia, id omnino ſe neſcire. Ne ex paruo quidem ponte ſatis compertum habere, quà uertendum ſit ad noſtræ Dominæ. Proinde orare atq; obteſtari Somnia, ut ſe præbeant duces. Ex Somnijs nonnulla in Bactra contendere, ad inueſtigandam Eumetridem gemmam ſilici nõ abſimilem, quæ dormientis capiti ſuppoſita, certiſſima facit uiſa. Alia in Aegyptum ad uenandos crocodilos, quorum ſiniſtrum armum præſentaneam uim habere perhibent, ad immittenda quæ uelis, & quibus uelis, ſomnia. Alia, ea quidem quæ ſimultates partim occultas, partim etiam apertas cũ Quiete præfecta prætorij Somni exercebant, quæſitũ ierunt ſemen pygmocomi, ad tumultus & turbas in quietem Somni cõcitandas. Iam percurrerant Somnia orbem totum. reſtabat Thaſos inſula una ex Cycladibus, & Atlantici in Africa populi. Thaſij à Somnijs illis gentem ſuam infici nolebant, uineas idcirco à Sole inuentas plantarunt, quæ omnia depellerent ſomnia. Sed Nox tantam miniſtris filij ſui iniuriam fieri, pati non potuit. Quo factum eſt, ut quæ uites interdiu plantarentur, eæ Somnia propellerent: quæ uero noctu, conciliarent. Tum ad Atlantes, feros homines, atq; adeò uix homines, non fuit conſilium ire. Quumq́; impenſius rogarent ſophiſtæ, quí nam hominum eſſent Atlantes iſti: dictum eſt eis, gentem eſſe beluinã in Africa, quæ ritu humano non uiuat. ſolem & naſcentem execrentur, & occidentem, neque nominibus proprijs ſignati & diſtincti ſint. Proh ſumme Iupiter, inquiunt, cuiuſmodi genus hominum ad ponendos caſus, omnes poſſent uocari a, & b. Hæc eſt peregrinatio Somniorum, in qua cum omnibus populis gentibusq́; fœdus & amicitiam iniuerunt, præterquam cũ deteſtabilibus illis Atlantibus. Nec ſolum cum hominibus, ſed quum beſtijs etiam pleriſq; iuncta ſocietas eſt. Declarant hæc latratus canum dormientiũ, caudæq; agitatio. Ex hominibus uero aliarum gentium quàm Atlanticæ, ſunt quidam ingenio uſq;adeò contumaci, ut comprehendi in amicitia illa et fœdere cum Somnijs noluerint, ut Thraſymedes, ac Cleon Daulius: quos interdum pœnitet ſui erroris, & pœnas dant illius, ſeras quidem, ſed permagnas. neque enim datur in amicitiam recipi, niſi prægraui indicta multa: alijs uehementi aliquo morbo, alijs etiam morte ipſa. quam rem ad terrorem inimicorum

ſcribi.

ſcribi ab Ariſtotele placuit,& in publicum nundinis omnibus proferri. nam formulæ huius theatris magnopere congruunt. Atq; in hunc modũ compoſitis rebus, antequam hyeme opprimerentur, autumno cuncta Somnia domum reuerterunt,oſtenſa unicuiq; ex amicis et ſocijs uia,qua facillimè eò peruenire poſſet. Magna erat in domo illa lætitia, reuerſis ijs,qui peregrinationem pro Rep. ſuſcepiſſe ſe iactitabant. nam iactantiam didicerant à comitibus ſuis ſophiſtis, quorum plerosq; reliquerant prope Athenas in Cynoſarge,eosq; ſenes maximè.Nam iuuenes uſqueadeò cum Somnijs complexi ac complicati erant,ut citius ab igne calorẽ, quàm à Somnijs ſophiſtas abſtraxiſſes.Et quanquàm edixerat Quies,ne ſophiſta ullus Somni aulam introiret, iuuenes tamen iſti uſqueadeò ſe totos Somnijs tradiderant,ut nihil differre iam ab ingenio, natura, effigie Somniorum uiderentur.ouum non eſt tam ſimile ouo,quàm iſti Somnijs. Ita decepto cuſtode qui illos nihil præter ſomnia cernebat eſſe,ac propemodum non fallebatur,imò uerò planè non fallebatur,illuc ſe iuuenes inſinuauerunt.ſenes eodem uti dolo nequiuerunt,quoniam tametſi magna ex parte Somniorum faciem induiſſent,tamen reliquerant detecta nõnulla,quæ humana eſſe facile erat cuiuis deprehendere. Iuuenes uero illi imprudenter aſtutuli,& ridicule doloſi,totos à uertice ad pedes,intus,exterius,Somnijs ſe non modò conueſtierant,ſed reconcinnarant, refinxerant,reformarant,maiore cum ſimilitudine,quàm uel illi Seruilij gemini, uel Menæchmi Plautini,mater quos nõ internoſſet ſua, quæ mãmam dabat:neq; adeò mater ipſa quæ illos pepererat.ita ut dignoſci nulla ratione poſſet,utrum iuuenes ſophiſtæ eſſent uerſi in Somnia,an Somnia in iuuenes ſophiſtas.Cæterum quomodo res cunq; haberet,ſatis conſtabat, et iuuenes ſophiſtas eſſe ſomnia,& per conuerſionem ſimplicẽ ſomnia eſſe iuuenes ſophiſtas.Iam me incipiebat tædere tãtæ in domo illa Somni moræ.Et Somnus ipſe in ſoporẽ totus reſolutus,obliuionẽ mei exorbuerat. tum ad ipſum deum accedo perquàm reuerenter, præfatusq; pacem & ueniam,oro,ut mihi Scipio oſtendatur. Arriſit Somnus,ut eſt deus humaniſsimus, & cum primis comis. Iam tibi, inquit, longa uidetur iſta in æde noſtra mora.Bona,inquam,uenia ſecure Somne, oppidoquàm libenter domi tuæ uerſor.Sed ſollicitum me reddit iuuentus Louanienſis, quæ eſt me cras auditura.noſti hominum genus uigilantiſsimũ.Apage,inquit, iſtud dictum:nulla iuuentus mihi eſt acceptior, nulla libentius miniſtrat nobis.Aſpice,inquit,ad dextram.et oſtendit mihi cõplures ex uobis,qui identidem annuebant. Sed tu ἐνύπνιον duc Viuẽ iſtũ ad cubiculũ tuum. Accepit me Inſomnium,& quum attentius perſpexiſſet,agnouit conger-

ronem. Papæ tu es Viues, inquit, cui ego ſoleo ſæpe perſuadere cum modò cũ Cicerone, modò cum Quintiliano, tum Parrhiſijs, tum Valentiæ, tum Athenis, cum Ariſtotele, Platone, Socrate uerſari, & ſuauiſsime diſputare? Ipſiſsimus inquam. Sed ad Scipionem quæſo te celerius. Patebat cubiculum, ibi innumera iacebat turba, ex qua tota Somnij, quum alios permultos, delegerat ſibi colluſores, compotores, compranſores, conſibulones, uelut Ochamum, Suiſethum, Gregorium quendã Ariminenſem, Paulum Venetum, Hentiſberum, conterraneum meum Petrum Hiſpanũ, Accurſium, Bartholum, Baldum: tum uero ad ſingulares ſummasq; delicias Ioannem Duntem Scotũ ſibi adiunxerat, quo homine ferebant Somnium uſq; ad inſaniam delectari. Nec Scotum ipſum faſtidire Somnium, ſed cum eo uerſari longe libentiſsimè, ſociare cum eo ſermones, conferre ſeria, ioca, triſtia, læta, præterita, præſentia, uentura, humana & diuina, luſitare, certare, luctari. Somnium uiciſsim credere ipſi ſacra & profana, publica & priuata: ſomniantes ei committere, & commendare, ut ueteranus ſomniator tyrones in eo ludo doceret, atq; exerceret. Reliqui omnes illi iam huic, etſi ſodali, etiam multorum de illo grege magiſtro, perditè inuidere, captare reprehendendi et detrahendi locũ. Sed ille Somnij artibus bene inſtructus, non tutus ſolum erat, uerum ſecurus quoque, illosq; contemnebat omnes præ ſe, & magno cum faſtidio, oculis, ore, uerbis aſpernabatur. Si inſtabant procaciores, unica ex ſomnianis nebulis quam poterat maximè denſa & maximè uana obiecta illis ob os, non ſecus atque oſtenſo Gorgonæ capite, ſic ſtupefaciebat, ut nec uocem emittere, nec anhelitum recipere, nec annuere quicquam, & ſignis quæ uellent declarare poßent. Niſi ſi qui fortè erant qui diſcuſſa caligine illa & nebula, & uelut ægide quadam Palladis, totius ſapientiæ deæ obiecta, Somnij commentum intrepidi ac ſine periculo perſpicerent. Cum his erant illi moleſtæ rixæ, aſini & beſtiæ uolabant, ſi altius aſcenderant, hæretici quoque: contentio eiuſmodi in pugnos fuſtesq; ſolet exire, cum minis igneis. Erat hoc quidem ſpectaculum iucundum, ſed mihi non uacabat ſingula diſpicere. Ita cum ſomniantes alios luſtrarem, quendam ex toga prætexta & ſeueritate uultus, ex querna corona, ex gemina laurea, ex habitu toto corporis, et filo, alijsq; non malis coniecturis deprehendo Scipionem eſſe. Excitatusq; à me, quum rogaſſet, quiſnam eſſem, cognouiſſetq; Viuem eße Hiſpanum, Viuem non agnouit. Hiſpanum uero ubi audiuit, ſubueritus nonnihil eſt, ne Numantinus aliquis eſſem, qui pœnas deletæ patriæ à ſe repeterem. Quem ego bono eſſe animo iußi, et ut quæ ſomniauerat, declararet, rogaui. Ille indignatus, quod bono animo ut

eſſet

eſſet, dixiſſem: Abi hinc, inquit, cum tuo iſthoc uerbo. tot hoſtes armatos, totam concionem populi Rom. *infeſtam non timui, timuiſſem te? Abi, inquit, quamprimum. nam nec ſatis ſcio quæ ſomniarim, nec uacat mihi in præſentia, ut ſomnijs animum intendam. totus ſum in* Papyria *rogatione diſſuadenda, obſiſtendoq; conatibus* Gracchi *&* Fuluij. *Sed quum illum enixius orarem, indicauit hominē exerta aurea lingua, quem Arpini natum pater tenerum adhuc in urbem tranſtulerat, ut tantas dicendi opes colligeret, quantæ ſatis eſſent ad regnum in libertate occupandum: quibus effecit, ut et Senatum, & forum, & totam Remp. gubernaculo linguæ uerſaret ac regeret.* Quumq; *homo eſſet imperioſus, nemo tamen non parebat ei uolens & libens: extorquebatq; à ſubditis ui, quæ uolebat. illi orando impetraſſe eum, ſe uero ſponte ſua conceſſiſſe arbitrabantur.* Hic *mediusfidius, inquam, eſt* Cicero *ille, cum quo ego ſomnians iucundas ſæpe noctes tranſigo.* Cantillabat *uerſus neſcio quos, quorum principia teneo, cætera exciderunt:* O *fortunatam,* Cedant *arma,* Principio *æthereo.* Tum *& ex ſoluta oratione,* O *præclaram laudem mei conſulatus,* O *ſolem ipſum beatiſſimum: aliaq; nonnulla, inter quæ minimè conſiſtebat, ſed citato gradu neſcio quò celerabat ire.* Cicero, *inquam,* Marce Tulli, *orator, princeps patronorum, rex forenſis. non reſpiciebat.* Pergo *eum alijs nominibus compellare,* Conſularis, Catilinicida, Imperator, Vindex *coniurationis,* Antonij *proſcriptor,* Patriæ *pater. hanc demum uocem exaudiuit. conuerſusq; rogauit ilico cuias eſſem, & quarum partium?* Quæſo *te, inquam,* Cicero, *cuias tibi uideor?* Mihi *uero, inquit, ſermo tuus neſcio quam* Romani *faciem uidetur præ ſe ferre, uocis concentus peregrinum quiddam reſonat.* Nihil *eſt, inquam, orator, quod ob eam rem non iudices me ciuem tuum.* Nam *ipſi etiam nati hodie in umbilico* Romanæ *urbis,* Gothicum *potius, aut* Vandalicum *quippiam concinunt, quàm latinum, uel quod tu uis eſſe exactius & urbanius,* Romanum. Omitte *iſta quæſo, inquit. dic potius, an ciuis* Romanus *ſis? mininiè, inquam, ſed* Valentinus. Latine, *inquit, uoluiſti dicere, quod ego dixeram græce. neq; enim ignoro:* Romam *noſtram à* Latina *iuuentute* Valentiam *eſſe olim nuncupatam.* Verum *nunc'ne rectà è* Roma? *inierunt conſulatum* D. Brutus *&* Plancus? Quid *moliuntur* M. Brutus *&* C. Caſſius? *quid* Sextus Pompeius? Filius *meus non parat uindicare mortem meam?* L. Antonius *amores & deliciæ* Po. Ro. *petit conſulatum?* Fuſius Calenus *dominatur in* Senatu? *ô tempora, ô mores.* Ego *uero* Ciceronem *ſine ullo meo mendacio facile ſum paſſus decipi, uſuramq; illam opinionis & beneuolentiæ erga me ipſius gaudens arripui.* Ac *quo maio-*

rem

rem apud eum gratiam captarem, Pompeianum me eſſe profeſſus ſum: obortisq; lachrymis,& excitatis ſingultibus narro illi interijſſe D. Brutum, Lepidum triumuirum pro Bruto factum eſſe conſulem cum leuiſſimo homine, Munatio Planco: Brutum & Caßium magnos & instructißimos exercitus habere: Sex. Pompeium ædificaſſe numeroſam & fortem claſſem: à Cicerone eius filio occiſum eſſe C. Antonium in caſtris Bruti: In hos quatuor Reip. ac bonorum omnium animum, mentem, oculos conuerſos eſſe, ac defixos. L. Antonium deſignatum eſſe conſulem cum Seruilio Iſaurico. M. Antonium dies & noctes perpotare in uilla Fuſij Caleni, in qua quum M. Varro proſcriptus deliteret, ſeruatus eſſet ab Antonio in gratiam hoſpitis. Hæc ut intueretur Cicero, in domum fatorum repentè proripuit ſe. nam Zeno & Chryſippus Stoici, quoniam Cicero tã multa aduerſum ipſos de fato & diuinatione diſputarat, à Ioue multis precibus impetrarant, quo diſputatio tota finiretur, fidemq; tandem haberet Cicero ijs ſaltem rebus quas intueretur, ut liceret ei fata cernere, non ſolum ea quæ ſub terris uitas ſtatusq; hominum, animantum, regnorum, populorum nent atq; regunt: ſed illa etiam ſuperiora cœleſtia, ex quorum notis ſignisq; tum præterita, tum futura nobis incognita uates canunt. Aſſectabar & ego Ciceronem, quanquam non paßibus æquis. Ianitor me non excluſit, arbitratus unum eße de eius famulis. Simul primũ ingreſſus ſum, ingentes audio clamores, acerba conuicia. ſpectabat res ad ferrum & pugnam. mirum quàm pœnitebat me inermem uenißе, nec tuliſſe mecum ſaltem meam ſemiſpatham. Quid eſt, inquam, quid eſt? Tace tu, inquit quidam ne ſis domi alienæ tam ardelio. Clotho eſt, quæ domi ſuæ inſanit: tu quum fueris in tua, euertas eam ſi uolueris, licebit tibi. Licebit, inquam: ne ſtudere quidem per quoſdam homines licet. Non licet ſanè, inquit, magnis & claris ingenis, ne ab his facibus cincindellæ illæ obſcurentur, ac opprimãtur. Tuo uero ingenio ſtupido bardoq;, et à quo ipſi ſuo nil timent, quiduis licet. Verum, ut ille dixerat, inſaniebat planè Clotho. Nam perſuadere Lacheſi omnino connittebatur, ut ne dißimilia unquam præſentibus fila traherentur. Atropos incredibili moleſtia & tædio ſexcentorum ac prope mille annorũ affecta, quibus omnia tam obſcura, tam ſordida, uana, ſtulta, inepta, abſurda, puerilia, indocta, iniqua, miſera fuere, talia reuocari cupiebat ſæcula, qualia ante mille fuiſſent annos. Multi mortales Clotho, multi homines Atropo fauebant. et maximis contentionibus ſtudijsq; agebatur, intentusq; cunctus ille populus erat, quem tandem euentum res ea eſſet acceptura. Ad ſuadendum diſſuadendumq; innumeri prodibant, obſcuri homines, filij terræ: de Atlantum,

lantũ, ut credo, genere, ſine nomine, ſine ordine, proletarij, capite cenſi, cum Clotho faciebãt. nihilq; clamabant aliud, quàm nõ oportere aliquid mutari, non eſſe uetera propter noua relinquenda. Coierãt apud Atropũ optimi & nobiliſſimi quiq;, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Chryſoſtomus, Ariſtoteles, Plato, Demoſthenes, Cicero, Vergilius, Plinius, Seneca, Liuius, Quintilianus, omnes deniq; magni & clari primæq; claſſis uiri. Qui quum capita ſimul cum Atropo contuliſſent, communis uniuerſorum conſenſio atq; ſententia Ciceroni mandauit, ut pro cauſa publica uerba faceret. Gaudebat Cicero, quod ſibi optimo patrono non pro Gabinio aliquo, aut Vatinio, aut Horeſtino, ſed pro optima cauſa dicendum eſſet. Ita ex conſilio rectà ad roſtra illa Fatorum diſceſſit: in quibus ubi primum eum Clothici conſpexerunt, magno cum murmure cœperunt indignari, dehinc compellare eum grammaticum. Atq; huic honorifico quidem nomini, ſed quod ipſi grande putarent eſſe conuicium, addebant alia, quæ reuera & conuicia & probra erant. Nam iſtorum hominum natura talis eſt, ut loqui nequeant niſi ſui ſimillima. & clamabant identidem Clotho. Quod quũ eloqui ſatis diſerte non poſſent, ſunt enim omnes partim blæſi, partim balbi, pleriq; infantes, pro Clotho Clodium ſonabant. Ad quam uocem Cicero perterrefactus eſt, arbitratus aliud ſibi iudicium Milonianũ parari: ac ſubinde circunferebat oculos, ut uideret, an armis circumſepiri concio inciperet, ſederet'ue Pompeius ad Saturni. Id cognoſcentes patricij, refectum prius eum ac recreatum, aut de ſcripto dicere more uetuſtiſſimorum oratorum, more etiam quorundã in ſenatu cenſentiũ, aut perbreuem orationẽ habere iuſſerunt, ut antequã iterũ acclamaretur, finiret. ſimul nonnulli ex ijs qui poſt Gothorũ in Italiam incurſionẽ literas procul aſpexerunt, qui quidẽ fuerunt bene rari, docuerunt eũ nihil eſſe dictũ de Clodio, ſed de Clotho. ac ne imperitia geticitatis falleretur, conſuluerunt ei, ut aliquẽ ſibi ſumeret interpretem. offerebant ſe nonnulli, ſed conſultiſſimum uiſum eſt, Ouidium euocare, qui apud Getas pluſquam annos octo exul degerat. Is in medium productus, rogatus eſt de patria & ordine. Sulmonenſem ſe eſſe reſpondit, quod eſt in Pelignis municipium: ex ordine autem equeſtri. Cicero delectatus eſt homine eiuſdem ordinis, & cœpit de ſuis erga illum ordinem beneficijs loqui. Sed Socrates importunum ſermonem commoda interrogatione interpellauit. De ætate quæſiuit: natum ſe eſſe reſpondit Hirtio & Panſa Coſſ. Ad horum mentionem Ciceroni lachrymæ defluxerunt, et de ſuis grandibus prætextatis multa parabat dicere. Socrates rurſum interuenit, non ſine Ciceronis ſtomacho, qui indignabatur non licere ſibi

homini ſeni, ſenatori, cōſulari, quæ uellet dicere, de beneficijs, de gratitudine, de querelis Reip. Socratem rogatiunculis ſuis et quaſi punctulis ac quieſcent, perpetuas orationes aſpernari. Tum Socrates: Non ſolū facile ferremus te M. Tulli, pluribus horis de quacunque loquentē cauſa quàm tulerunt iudices Cluentij Habiti, ſed audiremus longe libentißime, ſi nos huius temporis negotia aliò non auocarent, ut uides, & quaſi iniecta manu retraherent. Hic Zeno Stoicus: Et tu Socrates dum oratori ſilentium imponis, incipis fieri orator, quæſo ad id quod inſtat. Itaq; rogatus eſt. Ouidius, an ſciret Getice. Ad hoc uerſibus reſpondit,

Ipſe mihi uideor iam dedidiciſſe latine,
Nam didici geticè barbariceq; loqui.
Ah pudet, & ſcripſi getico ſermone libellum,
Structaq; ſunt noſtris barbara uerba modis.

Hoc ergo comitatus Cicero conſcendit roſtra, & pallens ac rigens & tremens incipit fari. Nunquam putaram futurum Quirites, ut dicturo mihi. hic multis ex partibus cōcionis, clamor eſt coortus, ſe non eſſe Quirites, quid nominis hoc eſſet? ibi in ipſis roſtris cœptum eſt capi conſiliū inter eos qui aderant, quo nomine eſſent cōpellandi. quod quum non expediretur facile, Socrati qui fremitu & clamorib. turbæ nihil terreretur, uenit in mentem, paucis & breuißimis quæſtiunculis uniuerſam concionem irretire, etiam aſtantibus illic Scoto, Suiceto, Enzineo, & alijs eius notæ. Tribuni plebis quum Socratem uiderent iam expedientem ſuas plagas, iuſſerunt eum pro poteſtate categoricè loqui. is accepit iuſſa, modo etiam concio categoricè reſponderet. Tum Socrates, Cur non uultis mutari aliquid de Rep. & conſtitui? CONCIO. Quia hæc maiores noſtri reliquerunt nobis fixa & ſtatuta. uolumus nos eſſe prudentiores noſtris maioribus? Soc. Qua de cauſa exiſtimatis maiores ueſtros ſapientiores fuiſſe quàm uos? Con. Id uero manifeſtum eſt. So. Qua cauſa? erant neſſeniores? Con. Minime. So. Quæ ipſi uiderant, legerant, audierāt, non'ne multi ueſtrûm uiderunt, legerunt, audierunt, & plura? Quod ſi nunc pleriq; ex illis reuiuiſcant, quos adeò ſuſpicitis, puderet profectò uos huius reuerentiæ. intelligeretis enim alios fuiſſe imperitos, alios dementes, alios nequam & flagitioſos. Iam uero tandem quos uocatis maiores? eos'ne qui ab hinc annos centum uixerunt, an qui ducentum, an qui mille? Con. Omnes. So. Atqui ij qui fuerunt centum ab hinc annis, imperitiæ atq; imprudētiæ ſe damnant præ ijs qui annis ducentis antea uixerunt, & hi ipſi præ ijs qui annis mille. deniq; ætas omnis maiores ſuos ſuſpicit, ut appareat uicium eſſe noſtræ opinionis, non iuſtam & legitimam.

gitimam querelam. Sed ſtatuite nunc quæ conueniunt, tum eritis uos po
ſteris ueſtris maiores, quàm priores fuerunt uobis. Con. Noli tranſgre
di terminos quos poſuerunt patres tui. So. Optime, redeamus igitur ad
illos quos patres noſtri poſuerunt ab hinc mille annorum. Vos non ſini-
tis mutari quæ quadringentis annis imperiti homines inuexerunt: cur ſi
iſti priora non ſolū mutarunt, ſed etiā peruerterunt, uultis manere maio-
rum autoritatem. uos me ad patres et auos reuocatis, ego ad proauos &
abauos, qui uerius ſunt maiores. Con. Omnis mutatio & nouitas adfert
ſecum motus & inquietudines, nec poteſt fieri ſine offenſione. So. Cur
ergo mutatio in deterius nihil attulit motuum, ſed placidè irrepſit? Con.
Quia uicium naturæ noſtræ eſt conformius. So. Prauæ quidem naturæ,
& corruptæ. Quid ergo cenſetis ei eſſe indulgendum, & non potius re-
cta eſſe introducenda, Prauitate inuita & reclamante? Con. Ita eſt ſa-
nè. ſed non'ne noſtra hæc pòtiora ſunt, quàm quæ uos uultis inuehere?
So. Longum eſſet de ſingulis artium ac diſciplinarum diſputare, nimi-
meq́; concioni conueniens: ſed uos ipſi inter uos, & unuſquiſq; cum ani-
mo ſuo reputet, qui ſit uſus earum artium quæ nunc diſcuntur, quis fru-
ctus: intelliget olim fuiſſe magnum atq; uberrimum, nunc nihil eſſe illis
inanius atq; ſterilius. Tribuni plebis conſideraturum de hoc unūquemq;
reſponderunt. ita Concio ſoluta eſt, nec rogatio potuit perferri. Poſtridie
factioſi quidam de plebe ad Socratem & proceres ſeparatim & clam ue
nerunt, pollicentes quiſq; pro ſua factione, ſi illi ſe uellent applicare, perfe
cturos ſe copijs ſuis ac uiribus, ut lex maiore centuriarum ſuffragatione
acciperetur. Quod ſi in commune uellent cōſultum, anniſuros ſe ne quid
ſanciatur: in eo decus atq; authoritatem ſuam uerti. Cæterum re diu &
uarie agitata, intellectum eſt, hiſce tribunis plebis nullam bonam legem
poſſe per quietem ſtatui, expectandum ut abeant magiſtratu: nouis tri-
bunis ſpem eſſe rem poſſe confici. & erant futura comitia tribunitia an-
te quintum diem Calendas Muſias, indicta à Prætore Gloßio ex authori-
tate patrum. Adelphius timebatur interceſſurus: et interceſſurum ſe erat
profeſſus, ſi eſſet deſignatus. ſed huic de Senatus conſulto prouincia erat
Mexica demandata, extra ordinem, ſine ſorte. Sedato iam tumultu tanto
& tam uario, adeo reuerenter Ciceronem, illumq́; quàm poſſum uerbis
blandißimis oro, & per manes Tulliolæ obteſtor, ut exponere mihi ne
grauetur, quæ ſomniaſſe Africanum confinxerit. Ad quæ ille: Nihil mihi
gratius poteſt contingere, quàm ut quemadmodum me uiuo, ita & mor
tuo, ex ingenij mei operibus plurimum & ad iuuentutem noſtram utili-
tatis, et ad imperij nomen gloriæ accedat. Quo fit, ut quum monumenta

mea in manibus haberi, euoluiq́; à uobis cæterisq́; hominibus audio, incredibili lætitia uoluptateq́; afficiar. Quare nec tibi id me roganti deero, nec ulli mortalium alteri, qui ex meis libris uel copiam facundiamq́; ſermonis noſtri, quæ per nos quantum potuimus tum exculta, tum aucta eſt: uel philoſophiam, præceptaq́; bene & beate uiuendi parare ſibi ſtudeant. Quæ nos effecimus, ne inaudita ignorata'que auribus noſtri populi eſſent: ne'ue quum reliquis penè maximis & præclaris artibus, Græcis eſſemus ſuperiores atq; præſtantiores, hac una ab illis facile uinceremur. Nam pro uirili parte mea opes illas literis & ſermone Græcorum reconditas & abſtruſas, in noſtram ciuitatem transferre conatus ſum: ne quum alijs propè rebus omnibus noſtræ Reipublicæ conſuluiſſem, hac ſola ipſe, qui inter alios non omnino nihil poteram, illi deeſſem. Et perfeci, niſi uehementer fallor, ne quicquid eſſet philoſophiæ, ſolis græcis literis contineretur, quæ iam uelut Romana ciuitate per me donata eſt. qui niſi de ea ſcripſiſſem, tota etiam nũ apud Græcos reſideret, latinoq́; ſermone elinguis et muta prorſum eſſet. Nam de Varrone quid ſentiam, in Academicis libris aperui. Pro quo beneficio audio dementes neſcio quos, homines'ne an beluas, & hominum prodigia atq; portenta, iniquam mihi referre gratiam, qui nihil quod meum ſit philoſophiam eſſe exiſtimant: omnia grammatica eſſe, unica ſententia pronunciant. quorum errorem neſcio reprehendendum magis atq; inſectandum habeam, an miſerandum, quoniam ex ignorantia oritur rerum pulcherrimarum. Quum igitur philoſophiam in noſtrã ciuitatem transferre multũ diuq́; cogitarem, non mihi minorum gentium philoſophos propoſui, quorum præcepta ſcriptaq́; exprimere, latinisq́; literis conſignarem atq; mandarem: ſed principes illos, Platonem, Ariſtotelem, Zenonẽ, Theophraſtũ, qui omnes ex ſacro illo & perenni Socratico manarunt fonte. quumq́; permulta ad eorum imitationem ſcripſiſſem, locum illum prætermittere non eſt uiſum, qui eſt de formanda Repub. magnus, & philoſophiæ proprius, ab illis quos modo nominaui, totaq́; Peripateticorum familia tractatus uberrime. Itaque primis temporibus mei conſulatus, cum occulta eſſent adhuc conſilia Catilinæ, coquereturq́; ſecretè tanta coniuratio, tantum ciuile bellum appararetur, tanta pernicies ſtrueretur patriæ, ſuccifiuis horis, quantum per immenſas Reip. occupationes licebat aliquid de Rep. ſcribere inſtitui. Nec enim putaui ullũ eſſe poſſe aptius tempus, quo de ipſa uel ſcriberẽ, uel legerẽ, uel cõmentarer, quàm quũ ea me totũ ad ſui curam tutelamq́; impoſita Conſulis perſona reuocabat & trahebat. More igitur ac modo Platonis, quemadmodum alijs in libris meis feceram,

ceram, loquentes introduxi eos quos exiſtimaui optime de eo ipſo quod ageretur, poſſe diſſerere. Illosq́; aſciui qui paulo ante, ſed proxime noſtrã memoriam fuiſſent, ne hæc mea tempora & recordationem communiũ miſeriarum attingere & tractare cogerer. Dedi igitur ſermonem Scipioni Africano poſteriori, & amico eius C. Lælio, illi qui cognominatus eſt ſapiens: & Manlio, & Furio Pilo, uiris conſularibus, quibus omnibus non tulit ullos noſtra ciuitas aut gloria clariores, aut autoritate grauiores, aut humanitate politiores. Scipioni uero ipſi nemo poſt conditã urbem fuit, ſiue prudentia, ſiue autoritate, ſiue innocentia, ſiue belli gloria par. Occaſionemq́; collocutionis cepi, quod quum Sempronio Tuditano & Aquilio. Coſs. geminus ſol eſſet conſpectus, quod portendebat oriri alterum in cœlo ſolem, pro eo quem noſtra Reſpublica amiſſura eſſet: eo enim anno Scipio ciuitatis noſtræ ſol extinctus eſt: ad id expiandum de conſilij & pontificum ſententia nouendiale ſacrum eſt indictum. quibus ferijs fingo Scipionem in hortos ſuos cum Lælio ſeceßiſſe, cum quo & ſeria & ioca, tum publica tum priuata, domi foriſq́; tractare conſueuerat. ueniſſe eódem Manlium, Pilum, Tuberonẽ, Aemiliæ Africani ſororis filium, & duos Lælij generos Fanniũ et Scæuolam: ibiq́; eſſe illos de optimo ſtatu ciuitatis, deq́; optimo ciue cõmentatos. Sermonemq́; in nouẽ et libros et dies primũ diſtribuerã. Sed quũ poſtea hi libri mihi in Tuſculano legerentur, audiente Saluſtio noſtro, non illo flagitioſiß. adultero & turpiß. ganeone, qui hiſtoriã ſcripſit, quiq́; probri gratia ordine noſtro motus eſt, ſed alio quodã probiß. ciue, amico noſtræ familiæ maximo, admonitus ſum ab illo, multo maiore autoritate illis de reb. dici poſſe, ſi ipſe loquerer de Rep. præſertim, quũ eſſem non Heraclides Ponticus, ſed conſularis, & is qui in maximis uerſatus in Rep. reb. eſſem, quæ tam antiquis hominib. attribuerem, ea uiſum iri mirifica eſſe. Nam oratorũ ſermonem, in libris de Oratore meis, Craſſo & Antonio me aßignaſſe neminẽ mirari, quod ad eos retulißem, quos ipſe uidiſſem. Ariſtotelem deniq́;, in ijs quæ de Rep. & præſtante uiro ſcribat, ipſum loqui. Commouit me, & eo magis, quòd maximos motus noſtræ ciuitatis attingere nõ poterã, quòd erant inferiores, quàm illorum ætas qui loquebantur. Ego autem id ipſum tum eram ſecutus, ne in noſtra tempora incurrens offenderem quempiam. Hæc me ambiguum nonnihil reddiderant, conſtitueramq́; ipſe loqui cum Q. Fratre. Sed poſtremo redij ad primum conſilium, nihilq́; ex eo mutaui aliud, niſi quod quum nimis multi & dies & libri illi uiderentur: neq́; enim fuiſſet uériſimile, nouẽ continuos dies uiros illos fuiſſe ſimul, ſemperq́; ſermonem eorum in eodem argumenti genere eſſe uerſa-

uerſatum. Idcirco *dies ad tres contraxi, libros ad ſex, quibus eo genere dicendi uſus ſum, ut dignitati illorum ſplendor & eruditio orationis defuiſſe non uideatur. Quod quanquam ſcire uos non poteſtis, ad quos temporum inuidia, ut alia permulta, tum mea, tum etiam aliorum, ita et illi ſex libri nō peruenerunt: ex ipſo tamen Scipiōnis ſomnio, quod de tanto uelut naufragio, ſubmerſis tot opibus ſolum enatauit, peruenitq́; ad littus, coniecturam facere ſatis firmam atq; certam poteſtis: in quod mihi tantum rerum, tantum ſententiarum, tantum reconditæ & arcanæ eruditionis conieciſſe uideor, quantum totidem uerbis capi & comprehendi quauis ratione & uia poterat, dictionis tenore ac facie: quæ tantū habet maieſtatis, quantū & res ipſæ de quibus agitur, & ipſi tres, Scipiones duo, &* Paulus Aemilius, *principes omni æuo noſtræ ciuitatis, qui diſſerunt. Cuius argumentum cum conſilio meo breuiter accipe.*

ARGVMENTVM SOMNII SCIPIOonis Ciceroniani.

ETSI *profeſſus ſum, ne illos à quibus aliquid ſumpſi, diſsimulem, reddamq́; mutuum eis, à quibus accepi, me in his de* Rep. *libris Platonis comitem eſſe, multo tamen quàm ille aliam meæ ciuitati clauſulam adieci, alia etiam hominum reſpectans ingenia.* Nam *ſi eſt unuſquiſque homo animal uariæ ac multiformis naturæ, quanto magis in ipſo humano genere diuerſa & longe diſsimilima eſſe ingenia par eſt. hæc enim ad uirtutem ſeruiliter trahuntur metu, ſeu deterrentur potius à uicijs: alia, ea quidem generoſiora, præmijs ſequūtur inuitata. inuenias nonnulla præſtantiſsima atq; excelſa, quæ ſuapte natura ad uerum ipſum & germanum bonum propenſa ſunt. Quocirca* Plato *in ordinatione ſuæ ciuitatis homines à facinoribus atq; flagitijs abſterret, oſtenſis ijs cruciatibus & pœnis, quæ malos homines uita iam functos manent.* Ego *uero* Roma*norum generoſiores animos in ſpem ſempiternæ felicitatis erigo, ac tanta propoſita mercede ſtimulo ac incendo, ut patriæ benefaciant, atq; in placidiſsima pace ciuitatem regant, & tueantur.* Excitat *à mortuis* Plato Herum *quendam* Pamphilium *militem, qui in acie ceciderat, quo ſit dictis maior fides, eo narrante qui uiderit.* Ego *grauiſsimas perſonas induco,* Paulum Aemilium *& duos* Scipiones Africanos, *quibus ſit penè ne fas non credi. Et ex ijs quæ per quietem Scipioni futura prædicuntur, quorum ueritatem euentus ipſe comprobauerat, ad ſequentia fides captatur.* Porro *ne inſcitia uideantur errare, qui futura illa bona pollicentur, diſſerunt ex intima philoſophia de curſibus & conuerſionibus cœlorum*

& ſi-

& ſiderum, de iuſticia, de æquitate: ex quibus uelut fontibus, uires ſuas
haurit recta ueráq; fortitudo. Ita ut non aliam ob cauſam uideatur hæc
quæſita & parata, quàm ut bonum & ſanctum ſuo in ſtatu perpetuò cō
tineri atque ſeruari poßit. nec debet alia res arma porrigere uiro forti,
quàm iuſticia, quàm in deos, in patriam, inq; totum genus humanū pie-
tas. Cuius rei non opes & gloria ſunt præmia, ſed uita illa ſempiterna fe
licitate comitata. At uero ne homines uideri quàm eſſe boni malint, totiq;
ex populi ſermonibus pendeant, quo fieret, ut ſæpe ambitione tranſuerſi
agerentur, tota gloriæ cupiditas, qua plerunq; magni atq; excelſi animi
accenſi feruntur, ex mente Scipionis, qui ad diuinam illam uirtutem in-
ſtruitur & formatur, fortißimis eluitur argumentis. Et ipſe ueram ex-
preſſamq; iubetur gloriam ſperare, quæ & latißimè patet, nec unquam
caſura eſt. Poſtremo ne ſi interitus ullius animorum timeretur, inania ui-
deantur hæc tanta promiſſa, & uanitatis plena, magnis argumentis im-
mortalitas animæ colligitur. Atq; obiter ne ſecuritas atq; impunitas ma-
leſactorum neglectum pariat uirtutis, ijs duntaxat animis, qui nihil altū
atque excelſum cogitantes, præſenti corporum oblectamento, tanquam
pecuina quadam mercede ſunt contenti: cruciatus & pœnæ ſpurcis, fla-
gitioſis, conſceleratis hominibus proponuntur, ut omnes aut uirtutem
ultro ſectentur, aut à uicijs pœna deterreantur.

IOAN. LODOVICI VIVIS IN VIGILI-
am, quæ eſt Enarratio Somnij Scipionis, Præfatio.

LIBROS de optima conſtitutione Reipublicæ M. Tul
lius Cicero in conſulatu ſuo nouem à primo conſcripſe-
rat, quos ad ſex poſtea reductos legit poſteritas, uſq; ad
urbē à Gothis captā. nam Lactantius et Auguſtinus lo-
ca ex illis nōnulla ſcriptis ſuis inſerunt. Poſt id uero tē-
pus qui ſe uidiſſe affirmaret, aut qui ex illis citaret aliquid, nemo fuit. E-
quidem uehementer & miror & doleo, tot epiſtolarum authoris illius li
bros eſſe ad hanc uſque ætatem conſeruatos, opus autem illud tantum et
tantopere dignum lectione intercidiſſe. Mea quidem opinione inconſul-
ta cuſtodiendi libri illius cura eum perdidit, dum exemptum è publicis bi
bliothecis aliqui immodicè atq; incōſultè curioſi, ad priuata ſcrinia tran
ſtulerunt, ubi paratior eſt à multis caſib. iactura, à ſitu, à tineis, à furib.
à canib. à pueris, à puellis, ab omni deniq; ignorantia, quæ quid dilaceret
aut perdat, nec conſiderat nec aſſequitur. Seruatū eſt hoc fragmentū Som
nij Scipionis cum commentarijs Macrobij, quum iniuria temporū minus

læde

lęderet quod negligentius habebatur. mirum dictu, quanta in eo ſit magnarum & pulcherrimarum rerum tam paucis uerbis comprehenſa copia, ac uelut theſaurus quidam, ut hic Cicero non aliter uideatur floſculos uniuerſæ eruditionis quàm apis diligentiſſima delibaſſe ab hiſtoria, ab aſtronomia, geographia, arithmetica, à philoſophia morum & naturæ. Hinc deſumpſit ſibi Macrobius locos aliquos, in quibus copioſiſſime homo Platonicus ſeſe diffunderet ac dilataret. quæ uero ſunt ab illo omiſſa, ea uiſum eſt mihi paucis attingere. nam quæ ab eo iam ſunt tractata, ſuperuacuum eſſet repetere, quùm ſit author bene notus & frequens in manibus: niſi quod interdum quædam uel immutaui, uel addidi. Scipionem loquentem facio, eundem quem ipſe M. Tullius. idcirco nihil attingo ætate ac memoria illius inferius, ut ſeruetur conſtantia perſonæ. Platonicum autem libellum, & authorem Platonicè expono, non Peripateticè: paucis tamen locis leuiter quædam ad certiorem deflecto ueritatem, hoc eſt ad religionem noſtram, ne lector conſilium meum ignoret, uel admiretur dici nonnulla Platonicè, quæ ſubtilius ac ueriſimilius poſſent ex Ariſtotelis ſententia tractari: tum etiam alia quæ non ſatis conſentiunt cum uera pietate, meminerit profanos eſſe qui loquantur, nec eis maiorē habendam in ſacris diuiniſq; rebus fidem, quàm ſolemus & par eſt haberi alienis à Chriſtiana pietate ſcriptoribus. Non concidi orationē meam in fruſtula more aliorum ſcribentium Commentarios, ſed perpetua oratione atque uno uelut contextu ſum uſus, ſimul cum Ciceronis uerbis ac ſenſu progrediens: & opuſculum Ciceronianum Ciceronis uerbis & dictione, quatenus à me præſtari potuit, enarraui, æmulatus Ciceronem nō ſenem, & cuius iam (ut idem ipſe teſtatur) caneſcebat oratio, et fiebat lenior, ſed illum mihi & ætate & ætatis ardore ſimilem, quum oratio eius in ripas efflueret, antequàm cohibita & coercita illius ab Apollonio Molone redundantia intra alueum eſt reducta. Vt autem oratione uterer perpetua, id à me factum eſt ea mente, ne mea hæc expoſitio duobus hominum generibus ad reprehenſionem ac uituperationem patēret: quorum alterū minime grammaticum uideri affectat, alterū nimis. Noſtris enim recentib. philoſophis nullū ſcriptorem enarrare illa ratione commentarij potes, etiam ſi ex intima philoſophia de reconditiſſimis diſputes rebus, quin opus tuum inauditum, incognitum, grammaticū pronuncient, & tanquam rem uilem nimis, abiectamq; contemnant atq; aſpernentur. De qua iudiciorū inſolenti iniquitate ſæpenumero ſum conqueſtus. Grāmatici porro noſtræ ætatis, ut magna pars iſtorum hominum uicio parum ſani iudicij laborat, ſi quid prætereas quod dici potuiſſet, neceſſarium

rium tamen non ſit, tam aſperi ſunt & ſæui rerum omnium æſtimatores, ſegnem, dormitantem, oſcitantem, ſterilem interpretem appellant. ſin alicui non ſatisfacias loco, hallucinatum clamant. ſi quo (ut nemo unus poteſt omnia) fueris falſus, ibi dij immortales quibus uerborũ ponderibus exaggerant rem, & ex leuißima faciunt grauißimam atq; intolerabilem? Pericles omnes dicas, ita fulminant & tonant. Quem non terreant iſta? error fuſtuario dignus, erratum uix flagro eluendum, prodigium maioribus hoſtijs expiandum, inſania cui nullæ Anticyræ ſuffecerint, hallucinatio carcere & exilio digna, commiſſum furca eluendam & cruce: & alia, quorum ſola commemoratione horreſcit animus. Et quum grammaticus ille unũ aliquod dictum diligentius ſe putauerit examinaſſe atque excußiſſe, quàm tu feceris, poſtulat maiorem ſibi illo ſolo gloriam, quàm tibi totis ſolidis Commentarijs, in quibus multum operæ, multumq; olei non tam collocaſti, quàm (ſiquidem tam iniqua refertur gratia) perdidiſti. Quid uero ſi uoculam aliquã deprehendant, quã ſe apud aliquem ex antiquis & legitimæ autoritatis ſcriptoribus parum meminerint legiſſe? ibi nulla excogitari poßunt tam impio & nefando ſceleri ſatis condigna ſupplicia, omnes apud inferos omniũ et Siſyphi, et Tantali, & Ixionis, & aliorum ſimul pœnæ non ſuffecerint. Hic dij ue ſtrã fidẽ, quantæ excitãtur tragœdiæ? liber ille cum authore ſuo ex toto cõſortio generis humani eliminandus eſt, et deportandus in inſulã quampiam, ubi ſolæ degant feræ: aut in illas Aphricæ deſertas harenas, ubi nihil naſcitur præter uenena. Quum interim uocabulum illud, aut loquendi proprietas, de qua mouetur tam atrox tumultus, quo tota rerum natura confundi debet, apud Ciceronẽ legatur, uel Cæſarem, uel Liuium, uel Plinium, uel Quintilianum, uel aliquem ex illis illorum temporum ſcriptoribus primæ, ut aiunt, claßis: idq; nõ ſemel. Neq; eſt mirum. non enim potuit grammaticus ille omnia uel legiſſe, uel attentus legiſſe, uel complecti ac tenere memoria. multa ſunt ei nõ lecta, atq; utinã non plura quàm lecta. multa legit aliud agens, parum cõſiderans, parum animaduertens. multa excidunt partim ob tantam rerum & uerborum copiam, partim ætate, quæ aufert omnia. Sed argumentum hoc deſtinatum eſt mihi alijs uoluminibus, quæ ſpero me de lingua latina editurum: ubi oſtendã quanta noſtris temporibus per recentes grammaticos inuecta in latinum ſermonem ſuperſtitio eſt, ueterum authorum religioni aduerſa atq; contraria. Hæc uero ſint à nobis dicta ad noſtros grammaticos commonefaciendos, ut ſi fieri poßit, ne uelint pro lege eſſe in latino ſermone, qui latius patet quàm putẽt, quicquid ipſi ſe legiſſe non recordẽtur. Nunc ad id quod

inſtitueram, redeo. Hoc ergo cõmentarij genus, & philoſophis non tam grammaticum, & grammaticis magis rhetoricum uidebitur, ſimul illi dignam rem exiſtimabunt quam legant, ſimul hi minus dignam quam reprehendant, utpote ſua profeßione ſuperiorem. Sed iam ad rem ipſam accedamus. Quum ferijs nouendialibus C. Sempronio Tuditano, C. Aquilio Coß. in hortis Scipionis poſt colloquium duorum dierum, tertio die, poſteaquam multa de optimo Reipub. ſtatu eſſem à Scipione ipſo, C. Lælio (qui appellatus eſt ſapiens) Manlio & Furio diſputata, iuſtitiæq; cauſa eſſet à Lælio cõtra accuratam Furij orationem, quam ex Carneadis legati diſputationibus repetierat, defenſa, excußumq; longis diſputationibus, iuſticiam eſſe in primis in optima Repub. colendam: tum de illius deq; cæterarum uirtutũ mercede ac præmio cœpit Lælius inquirere, mirariq; quod P. Cornelio Naſicæ nullum eſſet datum præmiũ optimi illius facti, quo Remp. ſeditione et propè tyrannide Tiberij Gracchi propinqui ſui liberarat. Africanus uidens Læliũ ex uulgari hac et populari ſapientia, non ex perfecta illa atq; diuina id quærere, ut quæ bonos uiros maneant bene actæ uitæ præmia, quæ ipſe non à mortali aliquo & in tenebris corporis uitæq; huius ignorantia laborante, ſed ab immortalibus iam & diuinis Scipione Africano, & Paulo Aemylio Macedonico accepiſſet, edoceret, huiuſmodi orationem habuit.

IOANNIS LODOVICI VIVIS IN SOmnium Scipionis, ex ſexto de Republica Ciceronis, Vigilia.

LVCIO *Licinio Lucullo, Au. Poſthumio Albino Coß. quum per Guluſſam Maſiniſſæ filium patribus nunciatum eſſet, delectus Carthagini haberi, ea cauſa ſatis magna iuſtaq; Catoni uiro conſulari atq; cenſorio, Carthaginenſiumq; perpetuo & peracri hoſti uiſa eſt, propter quam bellum Africæ inferretur. P. Scipio Naſica ille, qui iudicatus uir optimus, bis conſul & cenſor fuit, ad pacem, manſuetudinem, clementiam magis propenſus, nihil temerè, nihil contra fidem & fœdera mouendum cenſebat. ita is annus contentionibus patrum, diſſenſioneq; duorum principum conſularium extractus eſt. Conſules poſtea ſunt creati noſter hic M. Manlius, & L. Martius Cenſorinus. quo anno, quum noſtris legatis Carthaginenſes non paruiſſent, ſed contemptis ſenatus iußis prælium cũ*

Ma-

Maſiniſſa amico uetere et ſummo noſtro commiſiſſent, Cato apud ſenatũ perfecit, ut per magiſtratum aliquem ad populum ferendum cenſeret, de bello Carthagini indicendo, idq́; plebs iußit. His ego conſulibus ex Hiſpania in Africam ueni, miſſus à Lucullo, ſub quo merebam tribunus militũ ad quartam legionẽ: nihilq́; in mandatis habebã potius aut prius, quàm ut à Maſiniſſa ad Hiſpanienſe bellum elephantos aliquot nomine Imperatoris mei poſtularem. Eodem die quoad eius caſtra perueni, Haſdrubal Imperator Carthaginenſis cum Maſiniſſa cõtulit ſigna, isq́; à rege ingenti prælio ſuperatus eſt. duos uero potentiſſimos exercitus concurrentes ſecurus ipſe ac libens ex edito colle uelut è theatro deſpectaui, ingentiq́; uoluptati ſpectaculum mihi illud fuit. Digreſſum ab acie Maſiniſſam conueni uictorem, qui incredibile memoratu eſt, quantũ congreſſu noſtro ſit lætatus, non aliam ob cauſam magis, quàm quod me Africani amici ſui nepotem cerneret. Acceperat enim regem hunc Africanus in amicitiam po. Rom. noſtraq́; Reſpub. & in pace & bello bono ac fideli ſocio ſemper illo uſa eſt. Nec degenerat à uirtute patris Micipſa hic, qui in Numidia nunc regnat. Erat igitur Maſinißa multis beneficijs (ut ſcitis) affectus ab auo meo Scipione, reuerebaturq́; rex eum ſimul, & amabat mirifice, adeò ut Sophoniſbæ quoq́; amores & noua cõnubia in eius gratiam repudiarit. Ergo ita quum primum me ſenex uidit, complexus me arctiſſime, cœpit præ ingenti gaudio collachrymare, pauloq́; pòſt ſuſpiciens ad cœlũ gratias egit Soli, Lunæ, Ioui, Marti, cæterisq́; dijs et deabus qui cœleſtia illa delubra incolunt & ornant, quòd antequam ex uita ad eos cõmigraret, frueretur ea uoluptate, quã poſt Scipionis ex Africa diſceſſum ſemper primam concupiſſet, ut uideret aliquem de familia & gente noſtra, quam ipſe ita tenere uniceq́; diligebat, ut nõ modo Scipione aliquo, ſed ipſo ſolo audito nomine recrearetur & uelut repubeſceret, uſq́; adeò hærebat infixa eius memoriæ admiratio illa et amor Africani. Quo uiro nullum hæc Reſpublica tulit meliorem domi, feliciorem militiæ, ut ad cõſeruandum hoc imperium natus fuiſſe uideatur. Ego uero quem tametſi iuuenem, non tamen iuuenilium rerum multa tenebat cura, ſed noſtræ Reip. ſed regnorum nobis ſociorum, noſtrarumq́; prouinciarum, rogaui primum quàm feliciter eius regnũ ageret? Ibi de iniurijs illi à Carthaginẽſibus illatis plenius cognoſco. Ille me uiciſſim de ſenatu noſtro, deq́; populo percõtatus. ita dum ipſe mihi de bello cum Carthaginenſibus ſuo, ego illi de noſtro cum Hiſpanis narro, quod ſupererat diei conſumpſimus. In ſequenti nocte eo apparatu ſumus excepti, & qui regem uictorem decebat, & quem ille decere arbitrabatur nepotem Africani, filium Aemy-

lij Pauli. Multa in eo conuiuio locutus eſt penè nonagenarius ille ſenex: ſed de ijs rebus omnia, quæ Scipioni contigerant. Sumus nos ſenes omnes natura loquaces, libenter'que facta noſtra, aut noſtrorum amicorum narramus. Talis fingitur ab Homero Neſtor, talis erat Panætius noſter, talis Cato. Commemorabat igitur ſenex nō acta modo Africani, qualis in pugna ad Trebiam fuiſſet, quum penè prætextatus in uno homine tot perſonas ſeruaſſet, ciuis, conſulis, imperatoris, patris clariſſimi & ſanctiſſimi uiri, ut quernam coronam repudiaſſet, quod officium ſe illi immortali facinore præſtitiſſe non beneficium contuliſſe diceret. Illi enim reddidit uitam, à quo ipſe acceperat. Quid poſt Cannenſem cladem? quū iurare iuuenes nobiles coëgiſſet, ipſos Italiam non relicturos. qualis imperator in Hiſpania, qualis in Africa, quanta moderatione dictaturam & perpetuum conſulatum recuſaſſet, quàm pius legatus fratris, quàm mitis in exilio. non hæc tantum facta referebat, ſed dicta etiam, uelut illud, Nunquam ſum minus ocioſus quàm quū ocioſus: & alia permulta. Prouecta erat nox, & me quamuis hominem nō admodum ſomniculoſum, feſſum tamen de uia, et quia tantum poſt laſsitudinem uigilaram, grauior ſolito Somnus fatigabat. Diſcedere tamen non decebat me iuuenem, antequam hoſpes meus in cuius regno et regia eram, ſenex uenerabilis, ſuapte ſponte cubitum concederet. Ille autem laborum patientia iuuenes omnes ſuperabat. ſumma erat in eo corporis ſiccitas, admirabile neruorum robur, omnia regis obibat munia, nihil ex ijs operibus quæ adoleſcens ſuſtinere aſſueuerat, ſenex remiſerat. Sed iam tandem cubitum diſceſsimus, me altiſsimus ſomnus totum complexus eſt, placidiſsimoq; ſopore ita ſum perfuſus, ut non mirer, quum tam uaria partim læta, partim triſtia, partim admirabilia, partim horrenda per quietem uiderim, me non eſſe affectu aliquo excitatum. Erant nimirum omnia Somni uinculis bene illigata atq; diſtricta, nec facile fuiſſent ſoluta. Ac quoniã uigilans de Africano tam diu audieram, & tam multa, is mihi dormienti ſeſe obtulit. Hoc enim nulli noſtrûm non uſu uenit, ut ſi de re aliqua multum uigilans aut cogitarit, aut fuerit locutus, hæc ei res quieſcenti in mẽtem ueniat, præſensq; obuerſetur. Simile mihi quiddam Q. Ennius ſibi narrabat contigiſſe, quem ego ſenem peradoleſcens interdum audiebam. Nam quum natura ſua ad carmen poëſimq; eſſet propenſus, & ſi artem non multum in hoc populo honoratam, conareturq; pro uirili parte ſua, ut lingua noſtra hac in parte inops & manca non eſſet: nam antea præter Liuiũ Salinatoris libertũ, nullũ habebamus, niſi quis forte Saliorũ carmina, & quædam indigetamenta, atque alia nonnulla, qualia Fauni uatesq;

teſq; canebant, aliquid eam ad rē pertinere credit. Dabat igitur Ennius magnam Homeri libris operam, ut diuitias illas græcas in hanc (ſi poſſet) urbem transferret. Nam Liuij poëmata relegebat ille quidem frequēter: quoniam ſcripturus erat. conſulebat tamen nobis, qui nihil eramus in uulgus edituri, ne lectum relegeremus, non eſſe tanti ea carmina ut bis legerentur. Idem de quibuſdam Næuij poëmatis cenſebat, quæ tum primum in apertum proferebantur. Itaq; quum per aliquantum temporis nihil in ore, nihil in mente præter Homerum eſſet, uiſus eſt ſibi cum Homero in Parnaſſo Phocidis bicipiti monte uerſari. Cuius alterum uerticem, quem Thitoreon uocant Græci, Baccho ſacrum eſſe ferunt: alterum Hyampæum, Apollini. totū uero Muſarū eſſe domiciliū. quin & potare affatim de fonte illo Caſtalio ſibi uiſus eſt, cuius liquorem poëticos illos ſpiritus atq; furorē tradunt fundere. Hocq; ſomniū tale fuit, ut poſtridie annales & præclara illa poëmata, quæ nunc ſunt in manibus, cœperit ſcribere. quod ſomnium ſcriptum legitis illo carmine, Viſus Homerus adeſſe poeta: alijsq; deinceps uerſibus permultis. Eodem penè modo & mihi Africanus eſt uiſus, ea facie, ut illum eſſe potius ex ſtatuis & imaginibus eius, quas in atrio uetere conſuetudine habemus, conijcerē, quàm ex memoria ipſius, à me aliquando conſpecti. Neq; enim poſſum eius meminiſſe, qui anno poſt me natum obijt, L. Portio Licinio, P. Claudio Pulchro Coſſ. Catone Cenſore. Quo anno mortuus eſt etiam Plautus, & Annibal ueneni hauſtu ſe ipſe in Bithinia ſuſtulit: quum ego natus ſim Tuditano & Appio Claudio Coſſ. Sed ut Scipionem eſſe cognoui, non tam quod mortuus homo ſe oſtenderet, quàm ueneratione tanti uiri non mediocriter cohorrui, ac perterritus ſum. At ille, Nulla eſt hic Scipio timendi cauſa, reuoca animū tuum, qui extra te eſt pauore perculſus: ſis præſens, mandaq; memoriæ, quæ tibi prædicam euentura. Erat uero Scipio in altiſſimo quodam loco, non modo per ſe claro, ſed etiam admirabilibus illuſtrato facibus. illinc, quod facile erat factu, indicat mihi Carthaginem: nam & ego in eodem mihi ſtatui uiſus ſum. Vides (inquit) urbem illam, quæ altero Punico bello, quod contra fœdus, contra æquum nobis Annibal intulit, à me uicta, ſubacta eſt obedire noſtræ Reipub. ac ſtipendium pendere Po. Rom. nunc priſtina illa duo reuocat bella: nec ſua pace contenta poteſt quieſcere, nata ad exercendam Romanam uirtutem, ad rumpenda noſtra ocia. ad eam tu nunc oppugnandam uenis tribunus militum, hoc eſt paulo plus quàm miles. Quamuis in eo munere ita te geres, ut ſæpe ſaluti ſis militibus noſtris, neſterq; conſul Manlius cum ſuo exercitu magno ex diſcrimine per te liberetur, atq; ſeruetur, coronaq; ab

ipſo & cohortibus eius graminea doneris, monumentum uitæ & ſalutis conſilio & uirtute tua receptæ. Ita ut Catoni homini ingenio maledicen tiſsimo, noſtræq; familiæ non amico, uox illa Homerica *de te exprimatur:* Hic *ſapit ſolus, reliqui in Africa militantes umbræ uolitant. Talisq; erit in urbe ſermo ac opinio de te, ut contra ueteres leges populus te conſulē creare nitatur, tametſi non perficiet.* Nam *Martius qui comitijs præerit, omnino in ea ſententia perſtabit, ut ne nomen hominis tam iuuenis recipiat.* Ita Conſules *fient* Calpurnius *Piſo, &* Hoſtilius Mancinus. *Proximo anno petitor ædilitatis deſcendes in campum, renunciabere conſul ingenti ſuffragiorum conſenſu, non tribuum modo, ſed ſingulorū etiam hominum: addito de plebe quidem collega, cæterum ex honorata familia,* Liuio Druſo, *quem ob egregiam pro* Senatu *proq; optimatum dignitate aduerſum nepotes meos operam, patronum ſenatus uocabit.* Quumq; *de te ortæ fuerint contentiones, quod contra legem annalem factus ſis conſul, legibus te populus ſoluet: tibiq; extra ſortem* Africum *mandabitur bellum.* Quo *anno magna uirtute & ſumma diſciplina militari atque imperatoria Carthaginem expugnabis, & urbem quæ à* Phœnicibus *condita, magna et in pace & in bello gloria per ſeptingentos annos claruerit, euertes, incendesq;. Durabitq; decem & ſeptem dies incendiū illud.* Tum *nomen iſtud* Africani, *quod per filium meum, qui te adoptauit, ſimul cum hæreditate ad te tranſijt, erit tibi tua uirtute & armis quæſitum.* Tunc *appellabere* Africanus, *etiam ſi in familiam noſtram aſcitus non eſſes.* Romam *regreſſus* C. Cornelio Lentulo, L. Mumio Achaico Coſ. *incredibili omnium ordinum lætitia triumphum illum ages, quo* Imperium Pop. Rom. *certum ſecurumq; confirmabitur ac ſtabilietur.* Illa *enim urbe deleta nihil ſupererit, quod noſtris armis orbem inuadentibus tanquam moles obijci poßit, ac reſiſtere: maria & terræ nobis patebunt parebuntq;.* Fies *poſt hæc cū* L. Mummio, *qui* Corinthū *euertet,* Cenſor. Et *quamuis futurū ſit ut ita tuus tibi uilcat et diſpliceat collega, ut in concione te omnia pro maieſtate* Po. Ro. *in cenſura fuiſſe geſturū affirmes, ſi tibi in eo magiſtratu collega datus aut eſſet, aut omnino non eſſet, cum illo tamen magnæ continentiæ uiro ſumma cum laude & gloria cenſurā geres, luſtrumq; condes multis & factis & dictis inſigne.* At *quum ſublato eo populo, qui unus metum noſtræ* Reip. *facere poterat, ſenatus populusq; noſter, orbis terrarū imperium mente & cogitatione inuaſerit, nihilq; niſi altū, niſi excelſum cœperit cogitare, quomodo leges uere humanas cunctis gentibus & nationibus ferat, quomodo uictus & humanitatis rationē barbaris & efferatis populis cōmunicet, quomodo linguæ cōmercio,*

mercio, & tanquam uinculo diſperſum genus humanum congreget & deuinciat: mitteris ipſe legatus ad Aegyptum, Syriã, Aſiam, Græciamq́;. Nam quod Antiochus iunior Alexandri Syriæ regis filius aduerſus Demetrium bellum geret, cui bello Ptolemæus Euergetes rex Aegypti ſe immiſcebit, uexabunturq́; Ionathas & alij Iudæi ſocij atq; amici noſtri, delatis iſtarum rerum querelis ad ſenatum, ibis tu ad eas regiones, eo quidem prætextu, ut autoritate tua inſpicias, componasq́; res ſociorum, ſed re uera uti prudentia tua ſpeculeris, quale nam genus hominum ea regna terrasq́; incolat, bellicoſum an imbelle, armatum an inerme, ſimplex an uafrum & aſtutum, opulentum an inops, frequens an rarum. ut deliberari facile poßit, quibus copijs atq; exercitu debellari gentes illæ, noſtroq́; imperio & romanis legibus adiungi queant. Proficiſceris legatus comitatus unico amico Panætio, qui cum de grauibus diſſeris rebus, quem conſulis, & ſi conſilij minime indigus: à quo philoſophiã doceris, maximasq́; & præſtantißimas artes. Qui cum bene ſæpe libenter

Menſam, ſermonesq́; tuos, rerumq́; tuarum Comiter impartis. *Et,*

Cui res audacter magnas, paruasq́;, iocumq́;

Eloqueris, quæ tincta malis, & quæ bona dicta

Euomere, ſi quid uelles, tutoq́; locare,

Quo cum multa uolup' ac gaudia clamq́; palamq́;: ut noſter inquit Ennius. *Defunctus legatione inuenies Remp. graui bello & ignominioſo implicitam atq; intricatam. Sedigenſes enim, qui eſt in Hiſpania populus, manus noſtrorũ imperatorũ elapſi, ad Numantinos ſocios, ueteresq́; cõſanguineos ſuos refugient. Eſt porro Numantia in Vracis ſita accliui colliculo, Spartæ Lacedæmoniæ uiris munimentisq́; urbis non abſimilis, niſi quod Sparta quàm Numãtia aliquanto maior eſt. Sed in utraq; fortißimi ſunt uiri, neutra turres habet, neutra muros. Hæc ciuitas quũ Sedigenſes illos hoſtes Po. Ro. in urbẽ, domosq́; ſuas acceperit, illosq́; protexerit, rebus uniuerſis iuuerit, armis etiam Magara duce fuerit tutata, bellum ei à noſtro Populo indicetur, multosq́; annos ita à noſtra iuuentute illic pugnabitur, ut maxima cum ignominia & dedecore recedamus uicti, interdũ (quod non minus horreo, quàm pudet dicere) à quatuor millibus triginta milia noſtra fundentur, fugabuntur, adigenturq́; ad pacẽ fœdusq́;. quæ erit nota & macula noſtræ Reip. diuturna. idq́; nõ ſemel, nec ſub uno imperatore accidet. Confugietur ad te, tanquã ad eum qui natus ſis ad terrores Reip. tollendos, ad ſecuritatẽ tuæ patriæ parandã. obtrudeturq́; tibi ſecundus conſulatus recuſanti, obijcientiq́; legẽ Annalẽ, quæ eundem magiſtratũ, ni interſint decem anni, capi ab eodẽ homine uetat.*

Verum

Verum ingenti conſenſu & una totius ciuitatis uoce, ſolueris iterum legibus, ut conſul cum Cn. Fuluio Flacco ignominiam labemq; patriæ abſtergas. ad bellumq; in Hiſpaniam profecto tibi maius cum tuis militibus quàm cum hoſte certamen negotiumq; erit, in illis ad ueram illam diſciplinam militarem, qua nos tot reges, populos, gentes domuimus, reducendis. Sed nihil non perficiet & uincet tua uirtus, & conſilium, oſtendesq; rem Romanam ſcientia Imperatorum potius quàm fortitudine militum ſtare. Eiſdem enim illis militibus uictis prius & profligatis à Numantinis, quiq; antea non arma ſolum, ſed ne uocem quidem, & terribilē Numantini hominis aſpectum ſuſtinere poterant, tu Numantinos franges, urbem ipſam Numantiam per quatuordecim annos à quatuor uirorum milibus fortiſsime propugnatam atq; defenſam dirues, & incendes. triumphabisq; iterum de gente poſt Carthaginenſem ferociſsima, et quæ fœdiores Romanis exercitibus clades attulerit, quàm alia ulla. De gente (inquam) triumphabis: ſed quod nunquā antea contigerat, nec unquam poſtea continget, nomen duntaxat tecum in urbem inuehes, non captiuū aliquem, non aurum, non argentum uel factum uel infectum, non prædæ genus ullum, nihil deniq; præter ipſius oppidi ſimulachrum. Tuisq; militibus uſqueadeò & uenerabilis erit tua maieſtas, & ad imitationē propoſita continentia, ut ſedecim milia pondo à te poſt uictoriam eis omnibus diuiſa ſatis ſint. Nec mirum. quippe qui te Imperatorem ſuum prius conſpicient, quum munera à puero Antiocho Syriæ rege accipies, non illa more cæterorum ducum occultare, ſed in publicas referri à quæſtoribus tabulas iubere, profeſſum ex ijs te fortes uiros donaturum. Hic erit finis tuarum militiarum. Et ætas deinde tua, & uſus neceſsitasq; Reip. te ad res urbanas cunctū reuocabunt. Nam de duodecim liberis, quos Cornelia probiſsima & ſanctiſsima filia mea minor T. Graccho P. F. illi qui bis conſul, bis triumphalis, & cenſor fuit, progignet: duo illi qui ſuperer unt uirilis ſexus, obliti & paternæ et meæ uirtutis, pietatis, gloriæ, quū poſſent tum nobilitate generis, commendationeq; ueterum & clariſsimarum imaginum, tum etiam eloquentia, bonisq; artibus & ingenio, quibus imbuti ac præditi erunt, magni & clari in Rep. eſſe, ſplendoremq; à maioribus relictum geſtis ſuis rebus augere, malent tamen ita populares uideri, ut quietam & bene conſtitutam Rempub. turbare atq; labefactare connitantur rogationibus legum agrariarum, quæ in noſtra ciuitate & fuerunt ſemper & erunt poſthac magnorum motuum malorumq; cauſæ. Et maior quidem illorum Tiberius ab agnato & gentili noſtro Scipione Naſica Pontifice Max. in Capitolio pro Rep. occidetur, te in

Hiſpa-

Hiſpania gerente bellum. cædemq; eius uerſu illo Homeri comprobabis
ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅς τις τοιαῦτά γε ῥέζοι.
Cum minore Caio milite tuo propoſitum tibi certamen proſpicio, iuuene impigro, ſtrenuo, factioſo, uehementiore et calidiore quàm frater fuerit. Cuius Caij in III. uiratu collega C. Papirius Carbo legem trib. pleb. ferret, ut eundem tribunũ populo quoties uelit reficere liceat. Hanc tu grauißima oratione diſſuadebis. ſuaſuq; & hortatu Caij Gracchi, à tribuno homine populari, turbulento, diſertißimo, ad inuidiam tibi atrocem concitandam rogabere, quid de Tiberij Gracchi nece ſentias? reſpondebis, Iure tibi uideri cæſum. reclamantem atq; obſtrepentẽ ferociter, ut nunq̃ aliàs, concionem uultus autoritate uoceq; increpabis et ſedabis. Sed illud tuum de Tiberij cæde uerbum atq; iudicium altius in pectus C. Gracchi, Carbonis, Fuluij, uxoris etiam tuæ Semproniæ Gracchorum ſororis, aliorumq; affinium tuorum, quàm quiſquam ſuſpicari queat, deſcendet. Hinc C. Gracchus Tiberij fratris ſui ueſtigia ingreſſus, excitatis intermortuis illius reliquijs, agrariam illam peruetere m Liciniam legem, de quingentorũ agri iugerũ poſſeßione, de centũ maioris armenti capitib. deq; quingentis minoris, olim à Licinio Stolone latã, addito capite, ut agri ad id tempus iniquè poſſeßi ſimul cum fructibus ueteribus ueris germanisq; reſtituantur poſſeſſoribus: à fratre ſuo aliquot antè annis per ſummam contentionem atq; uim perlatam, ita tuebitur, ut III. uir ipſe cum Flacco & Carbone turbet atque affligat domi foriſq; omnia, deq; cauſis agrarijs cognoſcere ac iudicare cũ collegis tentet contra ius omne, contra bonum æquumq;. Quis commemorare uel poßit, uel ſuſtineat, quantas turbas, quos tumultus importuna illa tempeſtas in ciuitatem im portabit? qua tempeſtate agitabitur & concutietur, non modo populus noſter, ſed uniuerſa etiã Italia, atq; omnes propè gentes et nationes? His tu fluctibus, hac procella oſtende Scipio, patriæ noſtræ, quantus ſis gubernator, quanta ſit in te regendæ in tempeſtate nauis peritia. Nam te unum, tuam ſapientiam, ingenium, conſilium, tanquam ſidus aliquod ſpectabunt omnes: te duce, uelut Cynoſura illa, uel Elice, omnes ſe nauigaturum, atq; hanc tempeſtatem euitaturũ ſperabunt. ad te tanquam ad ſalutis portum, aram unicam ſubſidij, uelut non minus ſalutarem, quàm Tindaridas illos Dioſcuros, refugietur. in tuum ſinum tuamq; fidem tota ſe Reſp. effundet et tradet. Verũ hoc uitæ tuæ curriculi loco, ita conſtitutã diſpoſitamq; rationem ſiderũ intueor, ut quũ uitæ tuæ ſepties octonos anfractus accliues arduosq; aſcenſus & ambagioſos progreſſus regreſſusq;, hoc eſt ambitus perfectos ſolis, quos ipſi annos appellatis, imple-

Aquilio Coſs. ſunt aſtra quæ tibi uiuendi finem uiolentè acerbeq; præſti tuant. Erunt ſiquidem in cœlo, non minus quàm in ciuitate noſtra, ſiderũ pugnæ, fatorumq; diſsidia, quæ portendet terris Sol ille geminatus, qui eo ipſo anno mortalibus ſe oſtendet. Nec uero de illis ipſe loquor fatis, quæ mente ſunt ac prouidentia rectoris huius uniuerſitatis clauſa et comprehenſa, quæ cauſis alijs ex alijs definitis atq; profectis ſempiternã ueritatẽ continet. Nam hæc & non minus nobis iam hic in ſumma felicitate, & rerum plurimarũ, maximarumq; ampliſsima, certiſsimaq; agentibus cognitione, quàm uobis, incognita ſunt: nec lege ulla uel euitari queunt, uel immutari. In illis autem eſt fatis hæc ambiguitas, illorũ eſt anceps duplexq; uia, quæ à uiribus orta cœlorum, ita conſtituta ſunt, ut tametſi difficile, poßint tamen arte aliqua & ratione euitari. Quæ re uera fata dicenda non ſunt, ſed potius, quaſi fata quæpiam. ſolum enim imaginem quandam habent fatorum. Hæc ergo tempore illo egreſſum tibi ex iſta mortali minantur uita. Sed quemadmodum in Repub. ueſtra, interceßione & unica illa tribuni plebei uoce, Veto, impediuntur rogationes, antiquantur leges, turbantur ſenatuſconſulta, tolluntur decreta iam & conſtituta: ita in cœleſti illa Rep. multorum aſtrorum certũ propoſitum, conſiliumq; unius ſtellulæ interuentu & tanquam interceßione euaneſcit. Interim dictator ille Princeps mundi aliter fieri iubet, quàm minores magiſtratus ſtatuerant. Iuſsumq; illud uere eſt fatum, reliquorumq; fatorũ lex. Quod ſi beneficio aliquo & ſingulari in noſtram Rempub. ſiue aſtrorum ſiderumq;, ſiue optimi illius & ſummi Dei amore fata illa non uiam exitium tibi corporisq; mortem portendentem, ſed alteram illam fuerint ingreſſa mitiorem ac benigniorem, totius noſtræ ciuitatis ſalus ac uita in te uno innixa & ſita erit, te unum tuumq; præſidium S.P.Q.R. implorabit, in te tuumq; nomen, autoritatem, conſilium, uirtutem cunctus ſenatus, boni omnes Sempronijs legibus perculſi atq; afflicti, Latini, ſocijq;, qui colonijs nouis prementur, & uexabuntur, totum deniq; noſtrum imperium ſe conuertet, deſperatis & comploratis rebus omnibus, niſi tu ſalutarem opem afferas, ſisq; omnibus propitium ac proſperũ numen. Ac ne multa hic mihi uerba conſumantur, memoria reuocabitur dictaturæ. qui magiſtratus in principio libertatis ad graues & difficiles noſtræ ciuitatis caſus, magnaq; pericula & diſcrimina Latinorum exemplo inuentus, poſt bellum iſtud, quod ego confeci, Punicum intermiſſus, tibi mandabitur. Vt ſummo imperio inſtructa et adiuta incredibilis tua uis animi, atq; uirtus, Remp. lapſantem ac propè cadentem ſiſtat & fulciat, ægræ ac ſauciæ medeatur, eamq; refectam & recreatam in priſtinum illum dignita-

*tis quietiſq; gradum reducat, inq; eo repoſitam confirmet & conſtabi-
liat. ſi modo C. Carbonis, C. Gracchi, uxoriſq; Semproniæ, cæterorumq;
affinium ac propinquorum tuorum, quos iudicium tuũ de Tiberij Grac-
chi cæde exagitabit & accendet, manus atq; inſidias detur elabi. Quid
ſibi uult iſta exclamatio, mi Læli? Quid uos Manili, Pile, alijq; ingemui-
ſtis? Quid eſt Tubero? quid Muti? timetis mihi illas inſidias, & doletis
me in tantum uitæ diſcrimen alieniſſimo Reipub. tempore uenturum? an
non potius gaudetis, aliquando tandem mea opera atq; induſtria Reip.
ſtatum meliorem & commodiorem fore? Verum amabo uos, ne me ſtrepi
tu & clamore ueſtro à ſomno excitetis. patimini me diutius ſomniare, au
dite reliqua. Pergit enim Africanus idem, uenitq; ad id quod ut refer-
rem uobis, idcirco altius ſomnium iſtud repetij. Quanta mala Tiberius
Gracchus excitarit in noſtra ciuitate, quid attine tcommemorare? quan-
tam perniciem moliebatur, non libet dicere, abhorret à commemoratio-
ne animus, nolo uulnera illa male illigata ſoluere, & renouare. Cunctan
tibus ergo conſulibus, & ſegnius Reipub. quàm illum magiſtratum dece
bat, conſulentibus, Scipio Naſica priuatus ſenator, ſequentibus patri-
bus in Capitolio exitium illud ſuſtulit. Quæ nam fuit igitur per deos im-
mortales, quærebas Læli, huius tam præclari facinoris merces? quo ipſe
perpetuò hanc ſibi Remp. deuinxit, totamq; noſtri populi poſteritatem
demeritus eſt? odiũ intolerabile populi, legatio libera, qua Aſiam petijt,
ut oculos ingratorum ſuorum ciuium uitaret. nec illi uiro locus in ſua ci
uitate quò ſepeliatur erit, per quem effectum eſt ne libertas totius popu
li uno horæ momento ſimul cum ipſa Rep. ſepeliretur. Quid ergo iuuat
benefacere, quum maleficijs & ſceleribus præmia ſint opes atq; hono-
res? beneficijs uero dedecus, exilium, miſeria? Non eſt ita. Audite maxi-
mum magiſtrum Africanum. Sed ut ſis (inquit) Scipio alacrior ad defen
dendam tutandamq; Rempub. nec te Naſicæ caſus deterreat, ſcito, non
ſtatuas iſtas ueſtras, neq; magiſtratus, neq; honores, neq; poſſeſſiones,
neq; diuitias & opes eſſe uirtutis & benefactorum mercedem. Hoc arbi-
trantur, qui perexiguam iſtam ueſtrã ſolum curant uitam, nec ullo tem-
poris puncto de ſempiterna hac uita uenit illis in mentem. Illa omnia flu
xa ſunt & caduca, quæ aut unica belli, ignis, inundationis, etiam uenti
uis, unicus impetus euellit & perdit, aut certe pauculi anni diſſoluunt &
abſumunt. Eſt ergo longe ſecus, quàm populi uanitas cenſeat. Nam omni
bus qui patrias ſuas in extremis caſibus, ac iam propè ruentes cõſeruaue
rint, laborãtes feſſaſq; adiuuerint, exiguas tenueſq; auxerint, atq; inſtru
xerint opibus, dignitate, iuſticia, pace, bonis legibus atq; inſtitutis, ijs ſua*

eſt

eſt certa merces, ſuum præmium, non cum laudibus ſenatuſconſulta, non in celebri loco ſtatuæ, ſed certus ac conſtitutus in hoc cœlo locus, in quo extra omnem ſortis uiciſſitudinem beati non aliquot annis, ſed æuum im mortale agant cum ſumma et perpetua lætitia. Princeps enim ille mundi, qui unicus omnipotens eſt, parens primum reliquarum mentium, & tan quam minorum deorum, deinde cœlorum hominumq́;, atque huius quem uidemus uniuerſi mundi, uoluntate ac iuſsis illis ſuis æternis hanc munda nam ciuitatem temperat ac gubernat. Nec ulla res eſt tam exilis in hoc toto uniuerſo, cuius non ipſe curã agat. diuinæq́; illi rationi, menti, legi, uoluntati, terræ, maria, uenti, cœli, mentes, homines, animantia cuncta, atq; inanima, omnia deniq; obtemperãt. eius uniuerſum hoc eſt templũ, & quidem natura & auſpicijs. cernis enim quàm latè pateat, & quàm multa apertè circunquaq; contemplemur. tum auſpicata ſanctaq́; ſunt o- mnia ab illo ſacrata, qui condidit, & præſentia ſua decore ac maieſtate ſempiterna imbuit, redditq́; auguſta & uenerabilia. Quocirca ſanctè re ligioſeq́;, et ſacerdotum ritu ac more uiuendum illis omnibus eſt, qui hoc templum ingrediuntur. in eo toto deus ipſe eſt, id totum ipſe complet, in eo toto adoratur & colitur. Nihilq́; illi gratius iucundiusq; in terris eſt, quàm quod homines ipſius progenies, parentis, quoad eius fieri poſſit, imitari uirtutem: atq; conſilium, deriuata ad ſe parte aliqua illius æternæ legis & gubernandæ Reip. *rationis ac prouidentiæ concilia ſibi & con- uentus inſtituant, coagmentent, ac uinculo illo iuſticiæ copulent & a- ſtringant, quod omnem ſocietatem tum bonam reddit, tum ſtabilem con tinet. Hæ enim congregationes ciuitates appellantur, quæ ad exemplum diuinæ huius ciuitatis, quam nos incolimus, formatæ et compoſitæ, mirũ quàm principi noſtro approbentur. Atq; illæ demũ ſunt, quæ uel immor- tales, uel profectò diuturnæ admodum permanent. ij qui eas in tanta iu- ſticia uel regunt uel conſeruant, non ad inferos, ut poëtarum dementia confinxit, populusq́; magnus erroris magiſter perhibet, ſed huc reuolãt, nempe ad domicilium ſuum, ueram germanamq́; iuris & ciuitatis pa- triam, ex qua ad terras fuerant uelut ad exilium quoddam deiecti. Eſt enim origo noſtrorum animorũ cœleſtis, non ex terra. Quocirca æquius multo eſt, ut boni uiri ad ſuam originem, naturalemq́; locum ingenti cũ gaudio tanquam ab exilio in patriam redeant, quàm ut in alienum, maxi meq́; à ſuo remotum detrudantur, hoc eſt longius relegentur, ſimq́; ma- gis extorres, quod fieri niſi cũ graui dolore cruciatuq́; non poſſet. Nam cum eo maiorem percipiant uoluptatem, quo propius ad hanc ſuam pa- triam accedunt: profectò mœror, quo longius abſceſſerint, eſſet gra-*

ſanctiſsime atq; optime, tibi et uitam iſtam felicitatemq; gratulor, & tecum perpetuò eſſe cuperē. Deſiderium namq; tui, diutius iam ferre non poſſum. uellē idcirco huc ad uos cōtinuò uenire, tum ut tecū mi pater, et cū auo meo Scipione uerſarer, noſtriſq; maiorib. tū quod ſicut de Scipione modò audiebā, iſta ueſtra ſola eſt uera, nō adumbrata uita: facile mortem ipſe inueniā, quæ eſt uia, ut puto, qua huc ad uos uenitur. Eſt quidē mors (inquit ipſe) uia, ſed non quæuis mors, non illa uiolenta & accerſita, quā ipſe tibi obtuleris: ſed illa, qua dominans ipſe et moderator mūdi te ad ſe reuocarit. Si in uigilia, aut in ſpeculatione, aut in acie Lucullus te tuus Imperator *locaſſet, auderes niſi idē iubeat, inde abire?* Non ſic à *te ſum edoctus mi pater, inq̄: hoc enim eſſet uiolare diſciplinā militarē, prodere exercitū,* Remq; pub. *Macte uirtute, inquit.* Ita à Deo illo imperatore *uniuerſorum ſuæ ſunt rebus ſingulis aſsignatæ ſtationes, duræ quidem illæ, etenim tota uita ueſtra grauis quædā & permoleſta militia eſt: ſed tamen neceſſariæ, & quas non citra periculum graue deſeras. Sunt enim confecti & conſtituti homines ex duabus partibus diuerſis, atque adeò contrarijs, & inter ſe pugnantibus, animo corporeq;. Quorum illū habemus cognatum naturæ ingenioq; aſtrorum, quorum forma etſi interior iſta, quā uos ſpectatis, quemadmodū & cœleſtis caua eſt, exterior tamen eſt tumida et globoſa, quæ figura ſpeciesq; eſt, qua cœlos ignesq; iſtos æternos præditos eſſe cernis, eosq; ignes ſidera uos & ſtellas appellatis, duobus nominibus: quorū illud amplius eſt hoc, atq; capacius. Sunt enim ſtellæ omnes ſidera: ſigna uero cœleſtia ſingula ſingulæ ſtellæ non ſunt, ſidera ſunt. Quæ omnia ex puriſsima ætheris parte* Deus *ille mundi ſolertiſs. effector procreauit: quæ nihil aduētitiū, neq; alienū admiſtū habēt, calidaq; ſunt et perlucida, ignesq; uitales et ſalutares cōſortes mētis ac diuinitatis. Animū enim fabricator ille huius tāti operis de ſua mente progenitū ſparſit per cœlos omnes, ſiderib. cōmunicauit, ut eorū ſingulis ſinguli eſſent animi, ſeu uerius mentes: nobis uero ex ſiderū ignibus mētes deſumptæ ſunt, ut eſt uobis traditū à* Platone. *Idcirco ut illa nō ceſſant micare, agitariq;, & perpetuò uiuere, neq; extinguūtur, uel intermoriūtur, ita nec animus noſter interquieſcit unq̄, quin dies et noctes ſiue uigilante corpore, ſiue dormiēte, ipſe cōtinenter aliquid cogitet, meditetur, moliatur, agat. nec uiciſsitudines illas ſentiat uel requirat laboris, requietisq;. quandoquidē nec eget quiete, cuius actuoſa uita eſt, alimentū et cibus opus, et motus. Mors autē eſſet ei ceſſare. ſed nec ceſſabit unq̄, neq; extinguetur. & tam diu futurus eſt, quàm gens illa ex qua ipſe eſt, aſtrorū ac ſiderū uiuet, uigebit, curſus orbesq; ſuos celeritate illa ſua conficiet, cuius*

operis

*operis nullus unquam erit finis. Altera hominis pars longe diuerſi ge-
neris ac ingenij, grauis, moleſta, pigra, tarda, de terra ſumpta, &
proinde terræ ſimillima, quæ toties intermoritur, toties reuiuiſcit, to
ties illuſtratur, toties obſcuratur, planè carcer quidam, & uincula ani-
mis ueſtris circundata: qui animi idcirco hinc ad terram delapſi ſunt. de-
finitoq́; unicuiq; & certo temporis curriculo in ea morantur, ut impe-
rante Domino illo atq; autore huius uniuerſitatis excolant, tueantur ter
ram ipſam, nec obſoleſcere, & ſitu ſqualoreq́; contegi patiantur, & con
tabeſcere. Quæ terra in hac uniuerſi orbis hominũ deorumq́; communi
ciuitate, ſeu potius templo (nam omnia ſunt ſacra) media ſita eſt. Itaq;
ignis ille animorum de cœleſti deciſus, conſeruat, alit, auget, ſuſtentat ue
ſtra corpora, uitaq́; afficit, & ſenſu. Siue igitur miſsi ſunt animi noſtri in
corpora, tanquam legati ad munus aliquod obeundum: ſiue tanquam mi
lites ad cuſtodiendum & præſidendum loco alicui, ſiue tanquam ſerui in
uincula ergaſtuli coniecti & detruſi, manendum ibi eſt, nec uoluntariò
abeundum, nec fugiendum, neu perfringenda uincula, ſed expectandum
quoad uel reuoceris, uel à magiſtratu illo & legitima poteſtate emittaris
exẽptus. Ne uel tanquã legatus qui demandatũ munus cõtempſerit, uel
miles qui locũ & ſtationẽ deſeruerit, uel fugitiuus quiſpiã, quod omnium
miſerrimum eſt, ingentia ſupplicia luas: proq́; loco illo quẽ turpiter ſiue
dereliquiſti, ſiue refugiſti, ſiue deuitaſti, in alium intrudaris, quod omen
Princeps auertat mundi, acerbiorem, in quo des æternas ſceleris tui pœ-
nas: & dum uitam per uoluntariam corporis mortem quæris, in aliam in
cidas mortem ipſius animi quamlibet immortalis. Sempiternus namque
apud Orcum cruciatus, non is tibi magna uidetur animi mors? Quæ quũ
ita ſint, deſine de uia illa cogitare mi Publi, quæ non huc ducit in deorũ
concilium, ſed præcipitem agit ingredientẽ in tenebras, locumq́; tetrum,
calamitoſum, horribilem. Perſta in loco tibi à Deo aſsignato, neu contu-
maciter quicquam ſeu ſegniter capeſsiueris, ac negligenter, ſed quàm po
teris optima fide atq; induſtria officium tibi demandatũ exequerere. Ac
interim dum uerſaris iſtic, in copula & tanquam nodo humanæ ſocieta-
tis coniunctionisq́;, iuſtitia, qua eximia uirtute tota Reſpub. continetur,
quæq́; uiuendi diſciplinã mortales edocuit, te exerce: & ex ea in illa præ
cipua eius ſeu parte, ſeu ſocia & comite pietate, quæ magna quidem eſt
erga parentes atq; amicos, ſed multo profectò erga patriã maxima. Pa-
tria enim & parentes ipſos, & amicos, et uniuerſos ciues complectitur,
comprehenditq́;. nec ſolum eos qui in præſentia ſunt, uerum & poſteros
quoq;. eaq́; omnes omnium charitates, pietatesq́; una in ſe continet. Ita*

ut

ut de noſtris ſanctiſsimis ueteribus fuerint, qui filios ſuos pro patria occiderent: alij ſeipſos certis uerbis deuouerent. Illos tu igitur in diligenda patria in omni etiam iuſtitia imitare. quanquam nihil neceſſe habes pedem extra limen ponere, ut quos imiteris quæras, domeſticis enim abundas exemplis. Scis quanta continentia, quanta æquitate, quanta animi moderatione geſſerit ſe ſemper auus hic tuus, ut maluerit ſua ſponte ſolum uertere, & Lintherni uiuere, quàm patriæ libertatem quietemq́; interturbare. Ego uero, Fili, quid fecerim, tu ipſe cōſcius et teſtis es. Ex Macedonica gaza Perſeo deuicto, quum ita urbem atq; ærariū repleſsem, ut ab eo tempore tributum ſolui deſitum ſit, quid inde in domum penatesq́; noſtros præter nomen gloriamq́; deriuauimus? Ex auctione meorum omnium bonorū uix redactum eſt, unde dos matri tuæ redderetur. Duorum tuorum fratrum intra ſeptem dies mortem, quod pro patria inuidiæ fortunæ obiecti uidebantur, quanto animo tulerim, quid opus eſt dicere? quum ipſe tu totusq́; ſenatus & Po. noſter tam probe recordemini. His auus tuus, his ego uirtutibus, his alij quum ex cæteris gentibus populisq́; permulti, tum uero ex Romano quamplurimi, in hoc noſtrū unde deceſſeramus domiciliū rediuimus. Hæc una, nō honores, nō opes, non uani plauſus, non ſuperbia & faſtus eſt huc uia, in has ſedes eorum qui uita iſta ueſtra optimè & innocentiſsimè peracta, nunc uere & beatiſsimè uiuunt, illumq́; inhabitant circum, quem uides fulgentiſsimum inter aſtra illa, flammasq́; cœleſtes. qui quoniam eſt ſtellarum refertiſsimus, ideo tam inſigni eſt præter cæteros ſplendore, nec mente ſolum cogitationeq́; capitur & comprehenditur, ut illi paralleli, ut ſignifer, ut finitor qui Græcis ὁρίζων dicitur, ſed oculorum ſenſu percipitur & notatur. Cuius latitudo ab eo profecta ſidere, quam uos Caſsiopeiā nuncupatis, ad caudam illius, quem Scorpium, pertingit, longitudine uero pleriq; à circulo eum boreali ad terminos tantum auſtrales ambire rentur. Sed totum reuera circuit cingitq́; cœlum, non ſatis tamen uobis conſpicuus: quoniam procul à ſedibus ueſtris abſcedit, quum in auſtrales illos borealesq́; ſe tractus immergit. γαλαξίαν Græci, Latini lacteum appellant orbem, à fulgore tā denſo, ut lactis præ ſe ſpeciem ferat. Quin & more illius gentis, ne nihil non reſtet fabulis fœdatum, commentum tradunt, Iunonem Mercurio infanti inſciam qua matre eſſet natus, mammā præbuiſſe: quem quum è Maia natū reſciſcet, ſubtraxiſſetq́; mammā, ſubito effudiſſe inter aſtra multum de lacte ubertim defluente. idq́; eſſe illius ueſtigium, quod uos ſerenis noctibus ſpectatis. Alij non Mercurio, ſed Herculi attribuerunt fabulam. qui cum Iunonis nouercæ uber auidius ſugeret, non capiente infantili ore

K *tantum*

tantum lactis, in cœlum decidiſſe, quantum à uobis nunc cernitur. Sunt qui de Rhea & Ioue neſcio quæ referant. Sed ea omnia ocioſis, ut puto, ſunt auribus atque animis conficta. Quid mirum eiuſmodi eſſe ab ijs inuenta, quorum totum erat ſtudium uanitati & ſtultitiæ multitudinis ſeruire, quum Philoſophi nonnulli etiam de grauiſsimis parum ſcite de eo ipſo circulo diffinierint? Pythagorici nanque uiam illam exiſtimarunt eſſe, quam incendit errore ſuo Phaëton Solis filius. Primum rem afferunt commentitiam, tantisq; philoſophis indignam. Deinde ut in gratiam illorum totam illam Phaëtontis fabulam ueram eſſe fingamus, ſi Solis currus uſq; adcò partem illam inflammare potuit, qua aberrauit, orbita illa, qua ſol perpetuo per duodecim ſigniferi commeat ſigna, quamobrē non multo eſt incenſior, & candidior? Anaxagorici uero, & Democritici, ea quæ ſol ſplēdore ſuo colluſtrat, aſtra fulgētia micantiaq; eſſe perhibent: quæ ſecus, hæc uelut concretum obtinere lumen, & ceu lacteum quendā nitorem, qui eſt ſtellis omnibus proprius. idcirco quem cœli tractum obiectu terrenæ molis ſol nō contingit, cum ita lacteum per noctem à nobis conſpici. Verum id quo fieri poſsit modo, non uideo. tum quod terræ umbra ſupra eum non extenditur, quem Mercurium dicitis: tum quod mutato Sole, circulum ipſum lacteum aliò transferri neceſſe eſſet. Non ſunt ergo hæ, quas illi attulerunt, tam lactei ſplendoris cauſſæ: ſed ea cuius paulo ante memini, quod ſcilicet denſiſsima ſint eo loco minorū agmina ſtellarum. Hæc ille quidem dixit, ego uero ex eo loco cœpi & circumſpectare, & deſpectare ſingula, facíesq; ipſa mundi tum demum pulcherrima mihi uiſa eſt. & merito iudicaui κόσμον *à Græcis dictū, quaſi ornatum & elegantem: à nobis mundum, quaſi lautum, purum, nitidum. Nihil erat obtutui meo, tanquam obex oppoſitus, non mons, non ſyluæ, & nemora, non nebula uel caligo, non terra ipſa, quæ exiguitate ſua impedimento mihi neutiquam erat, quo minus ex illo excelſo loco aduerſum illum auſtralem uerticem deſpectarem: omnia mihi erant expoſita & patefacta. Itaq; eas ſtellas uidi, & quæ in inferiore hemiſphærio fixæ conſpici à nobis è terra non poſſunt, et quas etiam in ſuperiore illo hebes noſter obtutus non cernit: quum ſint ipſæ uel quæ à nobis exiſtimantur minimæ, incredibili magnitudine & uaſtitate. Quis enim fuiſſet unquā ſuſpicatus, minimam illarum omniū ſtellarum maiorē eſſe hac tota noſtra, quam tot gentes populiq; incolunt, terra? Atqui ita eſſe illic perſpexi, riſíq;, ut alijs plerisq; in rebus, ita & in ea ipſa Epicurum, cui Solem ſtellasq; non multo quàm uideantur maiores eſſe placuit, & ipſa terra perexigua mihi perq; breuis uiſa eſt. Adcò ut pœniteret, pigeretq;*

me

me maiores noſtros, nosq; ipſos propter rei tam anguſtæ anguſtiſsimam tenuiſsimamq; partem tot bella ſuſcepiſſe, tot tumultus, labores, ærumnas perpeſſos eſſe. Hæc mecum reputans contemplabar terram, conijciebam oculos in Italiam, in Siciliam, Hiſpaniam, Africam, minorem Aſiam, Illyrium, Græciam, quas ego uix in terra diſcernere poteram, quæ exilia puncta tot nobis mala tot clades peperiſſent. uidebamq; omnia nō fuiſſe uel minimo bello, ex ijs quæ geſsimus, digna Tum Africanus, Mi Scipio, inquit, etiam'num te illa humana deſpicatiſsima tenent, & ad ſe retrahunt? nec reputas tecum, quem in locū ueneris, in quæ tam ampla tamq; magnifica & auguſta templa adductus ſis: quæ nemo poteſt incolere, niſi ſacris bonæ mentis & erectæ, illaq; uilia deſpicientis initiatus Hic omnia ſunt ſacra, tu prophana illa adhuc ſpectas? ad illa fereris? An non conſideras quibus ex rebus cōſtent ſancta hæc mundi domicilia, delubrumq; hoc ex uniuerſitatis natura compactum? quod totum Deus ipſe progenitor eius dominusq; implet, in quo toto ſacra illi & ceremoniæ perpetuæ ac ſempiternæ fiunt. En tibi omnia tanquam corpus unum ex nouē compoſita & connexa ſunt orbibus, ſeu ut aptius dicam, ex nouem ſphæris ſiue globis. Latine enim ſic uocantur qui formam hanc rotundam ſortiti ſunt, tanquam ſibi cum primis decoram & congruentem ſiquidem ea ſola omnes figuras continet, nihilq; habet aſperitatis, nihil offenſionis, nihil incluſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum. neq; hanc æqualitatem motus, conſtantiamq; ordinum in alia forma facile ſeruare poſſet. Primus eſt ille ſupremus nidus (ut ita dicam) totius naturæ rerum, atq; adeò natura ipſa, extra quem nihil omnino, intra quē ſunt uniuerſa, quæ ipſe circumflexu & ambitu ſuo tegit, ac fouet, magnum & uenerandum numen tot ſtellis; hoc eſt animis, mentibusq; diuinis atq; immortalibus ornatum & aptum. quod motu ſuo cæteros ſecum rapit, & circumagit globos. uiciſsitudines diei noctisq; uobis oſtendit: ſparſam orbe toto naturam cogit, moderatur, temperat uirtute illa ſua immenſa atq; admirabili per uniuerſitatem mundi diffuſa, & ſingulis rerum pro ſuo cuiq; captu diſtributa. in eo & cum eo torquentur, uertunturq; ſidera illa inerrantia, & fixa curſu æterno, nec quieſcunt unquam. Quando ea eſt illorum igniū uis et natura, ut in uigore, motu, actione uiuant, extinguanturq; ſi torpeant, ſi ceſſent, ſi uel momentum temporis reſiſtant. Ab hoc ſummo globo, quem & mundum & cœlum uocant, ſeptem illi comprehenſi ſunt. qui quanquam illa inſuperabili cœli ui quotidie rapiuntur, in occidentemq; ex oriente ſupra uos, ſub uobis ex occidente in orientem contorquentur & conuoluuntur, ſuo tamen

K 2 quiſq;

quiſq; inceſſu ac progreßu longe diuerſa atque adeò cõtraria itinera ſpaciaq; conficiunt. uidelicet ſupra uos ab occaſu in ortum, ſub uobis ab hoc in illum, errantesq; à nobis eæ dicuntur ſtellæ, quoniam è græco uertitis planetas, quum nihil minus agant quàm errare. Certi ſunt enim illorum ſiderum meatus, definitaq; lege & ratione comprehenſi. Verum errant, id eſt uagantur, quod quum ſingula ſtatis ſuis temporibus aliàs recedant, aliàs antecedant, aliàs abeant, aliàs ſubſequantur, aliàs celerius moueantur, aliàs tardius, quandoq; ne moueri quidem, ſed ad quoddam tempus inſiſtere uideantur, fit ut tum inter ſeſe coëant, tum ſe obliquè reſpectent, tum à ſe longis interuallis dißita & diſiuncta ſint, qui ipſorum mos et modus cauſam græcis nobisq; præbuit, ut ea errantia uocaremus. quorum altißimum, eamq; ob cauſam minimum uidetur illud, quum ſit ingenti mole etiam alijs collatũ, quod Saturni eſſe uos mortales dicitis. Talia enim nomina nos hic in cœlo non noſcimus. ſed feriata Græcorum leuitas non contenta templa illa ueſtra marmorea eiuſmodi impijs fœdaſſe & conſpurcaſſe deliramentis, etiam hæc in noſtra cœleſtia uoluit penetrare. Neque enim Saturnus ille rex Cretæ, neq; eius impius in patrem filius Iupiter, neq; cruentus & crudelis Mars, neque turpe illud ſcortum Venus, neq; Mercurius ille fur, nec quis alius ex cœtu illo facinoroſorum & conſceleratorum hominum, non dico ſtellæ non ſunt, neq; enim poſſunt, quũ hæ ſempiternis fuerint ſæculis, illi paulò ante excidium Troiæ uixerint. Sed nec in has beatorum ſedes conſcendêre, ad quæ niſi optimis & innocentißimis uiris aditus nulli patet. Quod ſi quis ueteres illos, & ut noſter Ennius ſolebat appellare, caſcos, tum noſtros, tum Græcos aliquid nominibus illis uelaſſe ac texiſſe crediderit, quod uulgus imperitum ignoret, ut Panætius tuus reliquiq; Stoici arbitrantur, libens eam priſcis hominibus ſapientiam in gratiam noſtrorũ maiorum tribui patiar. Ita ut ſit ſtella illa Saturnus, quaſi ſaturans ſe annis: uel quod inter uaga ſidera plurimos conſumit annos, antequam curſus atq; orbes ſuos peragit, triginta uidelicet: uel quod ipſum eſſe uoluerunt, qui rationes temporum contineret. Idcirco κρόνον eſſe dictum, quaſi χρόνον. Ex ſe ergo natos annos uorat, quia conſumit ætas temporum ſpacia, annisq; præteritis inſaturabiliter expletur. φαίνος quoq; à Græcis uocatur, hoc eſt apparens, quod mirabiliter ſe aperiat & occultet, modò antecedendo, modò retardando, modò ueſpertinis temporibus deliteſcendo, modò matutinis ſe rurſus oſtendendo, nec paucioribus per ſingulos annos diebus triginta uobis ſe ſubducat, nec pluribus quadraginta. Cuius candidus eſt fulgor liuore admiſto, gelidæ ac rigentis naturæ, iratæ atq; infeſtæ terris & corporibus

ribus humanis. Hunc ſequitur Iouis, ut populus exiſtimat, ſiue Saturno & Ope genitus Cretenſis ille, ſiue Arcas patre Aethere, ſiue alius Arcas itē patre Cœlo, qui Athenis regnauit, populosq́; illos ſimulacra Deis ponere docuit. Quorum nullius eſt ſtella illa, quā Iuppitrem multi uocāt, quaſi iuuantem patrem. Et utrunque enim eſt Iupiter & Iouis: hinc ſui ſunt utriq; caſus. Eſt enim haud dubie ſidus illud iuuans pater, claro illo ſplendore benignum, amicumq́; generi humano, duodecim annis percurrit ſpacia, uiamq́; ex æterna lege rectoris omnium præſtitutam. φαέθων etiam à Græcis hæc ſtella, quaſi lucens dicitur: adduntq́; fabulatores illi, hunc fuiſſe pulcherrimum omnium eorum hominum, quos Prometheus de luto finxerit. idcirco immortalitate donatū eſſe. Solis fuiſſe filium tradunt alij, qui inſcitia aurigationis de curru delapſus, incenderit maria & terras. Poſt hunc ſequitur rutilus ille atque igneus, uiolentusq́; Mauors, quaſi magna uertens. Inde eliſis aliquot literis Mars, & Marſpiter uocatus, qui præſidere ui atq; ardore ſuo, bello creditur. nec ſine ratione Magna uertens nominatur. Quæ nanq; res maiora uertit & commutat quàm bellum? Quid quod nullius ſideris minus eſt obſeruabilis curſus quàm iſtius? Et bello eſt'ne aliquid magis uariū, anceps, lubricum, præceps? Herculis eſſe nonnulli hoc aſtrum dicunt, quod ille bellis, uiolentijs, raptibus, direptionibus, latrocinijs, & alijs quæ bellum fieri gaudet, multum delectatus ſit, multùm orbem infeſtarit. Qui quum talis fuerit, quis niſi & ipſe cum illo eodem Hercule inſaniat, in hæc ſanctiſsima domicilia & innoxiorum hominum ſedes perueniſſe credat? Neq; enim per cruorem ſtragemq́; generis humani aſcenditur in cœlum: quum humanitas, benignitas, māſuetudo ſola penè ſit in hunc locū uia. Qui namq; fieri poteſt, ut officio illo ſuo hominum generi à Deo commiſſo, & mandato is rectè fungatur homo, cuius facta quàm lōgiſsime ab humanitate, hoc eſt à natura ipſa hominū recedant? Inducti ſunt in mundū homines, ut alijs alij proſint, opemq́; & auxilium indigentibus ferant, omnesq́; ſe mutuò in commune iuuent. Quomodo igitur poteſt uel homo eſſe is, qui tam multos lædit? uel non eſſe crudelis fera, cui eſt cum tanta humanæ gentis parte ſuſceptum bellum, quiq́; illi permagnam attulit iacturam cla demq́;? Neq; uero ipſe tam multa Carthaginenſium millia occidi: ſed quū patriam tueri ac ſeruare conor, cæci illi atque furentes in mortem irruerunt, ut nocerent. Nihil enim mihi magis erat in uotis, quàm illos omnes ad ſaniorem præſertim reductos mentem, conſeruare: ſed ipſi in mucronem gladij mei, quem pro patria tanquam murum oppoſueram (neq; enim alius proderat murus) ira atq; odio dementati ſe coniecerunt. Cæte-

rum ad ſtellam redeo. πυρόεις hæc ſtella à Græcis nominatur, quod exiguo corpore non diſſimilis ſit prunæ, ex cuius nimio ardore & Saturni frigore Iupiter ille eis interiectus temperatur, fitq́; uſqueadeò mitis, manſuetus, beneficus deus. Situs eſt in medio ſtellarum errantium loco ſanctus ipſe Sol, cuius permagnam uoluit pater ille uniuerſitatis in tota natura uim eſſe et poteſtatem. De quo ſidere nunquam poſſent pro dignitate ſatis multa dici. Accendit enim Deus ille ſummus Solem tanquam facem, non mortalibus tantum, ſed uniuerſo etiam mundo, ipſisq́; adeò uniuerſis ſideribus. Omnia enim ab eo lumen mutuantur, etiam quæ ex ſeſe lumine non carent. Ipſeq́; Sol uelut ductare uidetur choræam hanc cœleſtem, ac moderari & regere hæc diuina lumina. Etenim tanquam præfectus mundi, terras, elementa, cœlos, tempora gubernat ac tuetur. Ab eo uiciſſitudines illæ ueſtræ exiſtunt dierum et noctium, hyemis, ueris, æſtatis, caloris, teporis, frigoris, frondium, florum, fructuum, menſium, annorum. Hunc ſapientiſſimi uiri merito mundi eſſe animum, ſeu uerius mentem affirmarunt, omnia exaudientem, omnia intuentem, prouidentem omnia, & lumine caloreq́; illo ſuo maſculo & ſaluberrimo uniuerſæ rerum naturæ conſulentem. Ita ut nonnulli ex Græcis ſapientiæ ſectatoribus, non aliam ob cauſam inductos eſſe in mundum mortales cenſuerint, quàm ut ſolem admirandum Dei opus intueantur, & cõtemplentur. Falſo quidem illi, ſed tamen ſic opinati ſunt ex admiratione tanti ſideris. Sol dictus eſt à nobis, uel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus, uel quia quum eſt ortus obſcuratis omnibus ſolus extat & apparet. Græci multis uarijsq́; eum nominibus nuncupant. Eſt enim Delius, quod omnia δηλοῖ, hoc eſt aperta & manifeſta ſuo lumine atque ſplendore monſtret. Et Phœbus, quòd omnia φοιβᾷ, hoc eſt purget. & Nomius, quod uniuerſa νέμει, hoc eſt uel paſcat, uel ſuis certis temporibus diſtribuat. Et Vlios apud Mileſios, quod omnia οὐλῇ, hoc eſt ſanet. Hinc noſtræ Veſtales indigetant, Apollo medice. Sed Apollo, quod frequentius apud illos eſt, nominatur uarijs de cauſis. tum à iactu radiorum, quæ iacula illi confingũt eſſe (idcirco apud Homerum ἑκηβόλος, & ἑκατηβελέτης, & ἑκάεργος, pharetram ei appingit cum arcu et ſagittis aureis) tum à pernicie, quam in peſte affert animantibus. Ex tuis Stoicis ſunt qui putent ἀπόλλωνα nominatum, quaſi non plures ipſe, uel alij ſimiles ſint, ſed unus ſolum modo: ex quo fonte perhibent nonnulli à nobis eſſe ſolem dictũ. Sub ſole Venus locum obtinet, non Cypria illa è ſpuma procreata, flagitioſum et proſtroſum ſcortum. Nec illa è Cœlo & Die nata, nec ex Ioue & Dione progenita, nec Syria Cirrhoq́; concepta, quæ dicitur Aſtarte Adonidis coniunx.

ſunx. Ex *quibus quæ fuerit peſſima, deliberari non poteſt, omnes (ut pu to) fuerunt nequitia & flagitio pares. Sed cœleſtis illa hominum & diuûm uoluptas, quæ diurno exortu genitalem illum ſpargit rorem, quo nō terrarum modo conceptus implet, ſed animantiū quoq; ſtimulat. ideoq; etiam alma eſt ab alendo nuncupata. conſpicua magnitudine & luce: ita ut ad ſerum lunæ, ad matutinum ſolis æmula ſit. Sequitur enim occiden tem ſolem, & tunc* Veſperus *uocatur, ut dicit familiaris noſter* Ennius: *ut* Plautus, *Veſperugo. Præuertit ſolem orientem, tunc* Lucifer *à nobis, à Græcis* φώσφορος. *Claritas in hoc eſt tanta, ut unius huius ſtellæ luce umbræ reddantur, quæ fulgori emergentis ſolis aliquandiu conſpicua nō cedat. Neq; is nitor eiuſdem eſt et ad ueſperum coloris, et ad mane. matu tinus namq; eſt candens, & gratiſſimo refulgens albore. ueſpertinus eſt rutilus: taliſq; conſpicitur, quoniam diurno ſolis feruore aër ille ueſter incenſus eſt. Græci aſtrum hoc alij Iſidij, alij* Iunoni *dederunt, alij* Marti, *plures* Veneri. *Sunt qui non Venerem uelint eſſe, cæterum quendam Auroræ & Cephali filium, qui de forma cum Venere certauit. Sed ſatis erat à ſerijs negotijs Græculis illis ocij, quum hæc comminiſcerentur. Proximum Veneri eſt ſidus: ut uos dicitis, Mercurij.* Nos *Mercurium illum ex Maiæ ſtupro genitum, paleſtræ inſtitutorem, furtorum deum, nunquam hic uidimus. neq; enim furtis fauent dij. Minus eum cui Cœlum fuit pater,* Dies *mater. quo quid dici poteſt obſcœnius? Nec impoſtorem hominum* Triphonium, *Valentis & Pherondis filium. nec alterutrum Aegyptiorū* Triſmegiſtum. *Græci ſtellam hanc Stilbontē nominant: bene illi quidem, ſi modo à lucendo uel ſplendendo dictam putant. Sin uero hunc è* Dionyſio *&* Proſerpina *productum uolunt, illum qui in* Nyſa *recens à patre condita educatus ſit, tale eſt hoc qualia reliqua, ineptum ſcilicet & pueri le.* Paruum *eſt hoc aſtrum ſi cum* Lucifero *componatur, acuto & radiante fulgore, uerſatili ingenio atq; natura. qualiſcunq; enim fuerit cui ſe adiungit planeta, tale & ipſum continuò redditur.* Ea *res locum aperuit fingendi, nuncium eſſe* Mercurium *& miniſtrum deorum, quando eorum uiribus poteſtatiq; obſequitur. Atq; hæc quidem duo ſidera Mercurij & Heſperi ita comitantur Solem, ut quum tria reliqua interdum quarta, interdum tertia ſigniferi circi parte, nonnunquam ſignis ſex, hoc eſt dimidio ſignifero, partibus'ue centenis octogenis à Sole abſcedant,* Ve*ſperus uero nunquam pluribus ſenis quadrageniſq; ſeparatur, hoc eſt ſeſ qui ſigno. Sunt qui plures huic cumulo partes addant, ſed nulli duo ſigna excedunt, ne attingunt quidem integra. Mercurius modo ſeptem & uiginti, ut quum occidentalis eſt in* Leone: *modo duodetriginta, ut orienta*

lis in Capricorno, in quo ipſi altiſsima abſis eſt, nunquam longius partibus triginta, id eſt ſigno uno ſeſe abducit, tum anteuertens, tum ſubſequens. Tantaq; hæc ſolis uicinitas ab incurſu turbinis terrenæ illius umbræ Mercurium tuetur. Itaq; deficere nulla ratione poteſt. Siquidem ſol in aduerſam ſibi partem terræ umbram ſemper iacit, qua in parte nunquam Mercurius deprehenditur, comes perpetuus ſolis, ac uelut aſſecla. Vltima ex ſideribus eſt Luna, inſtabilitate & mutatione perpetua ſua penè monſtro ſimilis, à lucendo appellata. Eadem enim eſt Lucina, & Diana, quod noctes quaſi dies efficiat. Nam in remedium tenebrarum ab architecto mundi Deo inuenta eſt, quæ ex ſe nihil omnino lucis habet. Solida moles eſt, denſaq; admodum, ſed leuis tota, æquabilis, terſa. Quo fit, ut uibratum in ſe ſplendorem, quoniam aſperitatis nihil habet, ubi hærere queat, totum refundat ac reuibret. quemadmodum in glalijs armiſq; prænitentibus uidetis fieri. Accipit igitur, quicquid blandæ illius & fœmineæ lucis ad uos tranſmittit, à fratre ſuo Sole. Hauriunt quidem & reliqua omnia ſidera lumen ab hoc luminis copioſo, puro, perenni fonte. ſed non id totum quod habent, Luna uero totum: nam ex ſe obſcura eſt. quod uobis à terra ſereno cœlo recentiq; Luna attentius ſpectantibus cognitu perdifficile non eſt. Quumq; impari celeritate Sol et Luna meent, quum Luna ſoli ſubijcitur, tum præuertens paulum ab eo ſeiungitur, tum aduerſa illi opponitur, tum ſequens ad coitum redit, qui curſus Lunam tã multiformẽ mortalibus oſtendit. Nam quũ coëunt, Lunaq; ſilet, ea ipſius facies, quæ uobis conſpicua eſt, non illuſtratur. illa tota lucet, quã nos hic intuemur, ut quinto decimo hinc die, quũ è regione oppoſita aduerſaq; omnino Soli eſt, ſignisq; ab eo ſex diſtat, cœleſtis facies obſcura eſt, terreſtris tota fulget. Interluniũ porrò maius nunquam eſt duobus diebus. Tertio die nouam formoſamq; faciem oſtendit terris, idq; ab occaſu Solis. nec unquam illa nocte integram horam ſeſe fruendam præbet. quantumq; tunc uobis illuxit, tantum in ſingulos dies ſibi ad moram uobiſcum addit, uſquedũ plena eſt, ita ut interim naſcentis adiuuet Solis lucem ex pleno ſuo orbe. Contrarijs gradibus illis quibus uenerat, ad coniunctionem ſolis remeat. unde fit ut cornua creſcentis orientem, occidentem decreſcentis ſpectent, auerſa uidelicet à Sole ſemper. Huius enim ſplendor in quam partem Lunæ incurrit, totam eam ſemicirculo maiorem ita colluſtrat, ut contingere ſe coni uideantur. Incidit enim lux ingentis globi in materiã multo minorẽ. In altera uero portio illuſtrata metas ſuas iacit, effigiemq; cornuum reddit: uulgoq; ſic appellatis, intra quæ lux illa nõ penetrauit. quæ cornua, quum nulla putatis eſſe, tunc nos uidemus. Neq; enim ullũ

tempus eſt, ac ne horæ quidem momentum, quo Luna omnes eas facies, quas uobis intra quindecim dies profert, non retineat, ſimul & cornicu lata, & æqua portione facta, & dimidio maior, & plena eſt: ſed uariè uarijs in locis, niſi dum mucro terreſtris umbræ in eam ingruit. quo tem pore, ut Sulpitius Gallus commilito in Macedonia tuus, patre hoc tuo Imperatore, uos docuit, laborat, lumenq́; amittit. Quo magis miror fuiſſe non qui hæſitarint modo, uerum & qui aſſeuerarint, Lunam terra maio rem eſſe, quum tota ipſa Luna terreſtris umbræ inuerſo turbine, etiam tam procul extenſo (quum is quo longius abit, hoc arctior atq; acutior fiat) comprehendatur. Hoc eſt igitur ſidus, quod quum ſit remotiſſimũ à cœlo, mortalibus caducisq; rebus proximũ, minus de uirtute illa & præ ſtantia diuinitatis ſortitũ eſt. Ideo nec lucem ex ſe ipſum habet ullam: & qua beneficio Solis ornatur, & inſtruitur, maleficio umbræ illius tene brarumq́; ſpoliatur orbaturq́;. Infra Lunam omnia ſunt fluxa, decidua, ſenio, morbis, uicijs, caſibus, mortiq́; expoſita atq; obuia. Nec natura eo rum, etiam ſi externa uis abeſſet, ſineret illa eſſe admodum diuturna, nedũ ſempiterna. Sunt enim ea conditione ac lege progenita, ut ſuis ſtatutis certisq́; temporibus, uitam illam ſuam tanquam mutuum reponant, & ei quæ credidit naturæ reddant, atq; ſoluant. Soli humani animi, quo niam de mente illa cœleſti deſumpti ſunt, æternum etiam perdurant, & uiuunt non minus quàm ignes hi cœleſtes, quorum gente & cognatione tenentur. Neq; enim fas eſt, nec unquam erit, partem aliquam diuinæ mentis naturæq́; interire. Eſſent enim hi omnes cœli, omnia hæc aſtra in luctu, ſi quis ex gente et familia ſua extingueretur. At in hoc cœleſti tem plo non modo perire nihil, ſed neq; mœror, neq; planctus, neq; lachry mæ, nec ulla denique perturbatio excitari poteſt. Hæc in terris ſunt mul ta, & uaria, & perpetua. huc nemo uenit niſi purgatus earum rerum nõ tantum uoluntate, uerum facultate etiam ac poteſtate. Ecce tibi ſedes & templa noſtra, in quibus geniti ſumus, ad quæ uirtute duce reuolamus. Hæc quum molitor ille ac fabricator tanti operis coniungere connecte req́; cum terrena ſoliditate uellet, nullum inuenire potuit aptius uincu lum, quàm id quod proportione quadam ex ſe, atq; ex ijs quæ copulat, unum efficit. Tunc enim demum perficitur, ut coniunctio ac conſtructu ra diſſolui haudquaquam facile poſſit. Quumq́; unicum medium inter tam diuerſa extrema quæ coagmentari cohærereq́; oportebat, nullam ſa tis congruam proportionem obtinere poſſet, duo ſunt media quæſita, & interiecta, aër & aqua, tam commode inter ſe apta & commiſta, ut ſi ex hoc loco in terram deſcendas, totum iſtud interuallum unũ dicas eſſe

L corpus,

corpus,quod ſenſim fit terra. Si enim ex terra huc aſcẽdas,unũ putes eſſe corpus, quod ſenſim fit cœlum, uſq; adeò nihil ex abrupto cum alterius diſsidente natura compingitur,& aptatur. Suprema enim aëris pars raptu feruoreq́; cœlorum inflammata, cœlum adhuc uidetur eſſe, ſed degenerans,& tanquam nothum. Media non omnino ignis exiſtimabitur,ſed neq; nebula prorſus,caligoq́;. infima denſitate ſua aquæ ſimullima ſit. Extima porrò aquæ facies aër potius habeatur,quàm terra. Aquæ illa pars quæ terram attingit & lambit, ſic lutum eſt, ut citius terra iudicetur, quàm aqua. Hæc eſt mundanæ uniuerſitatis artificioſa ſtructura,ſapientiſsima & uenerãda machina. Nouem ſunt globi,cœleſtes octo, terrenus eſt nonus: aqua & aër,& hic proximus cœlo ignis, qui ſpirabilis naturæ pars eſt,ſed incenſa et ardens,media, ſiue uincula ſunt cœlorũ ac terræ,quæ mediũ locũ totius mundi occupauit et inſedit,qui in rotunda forma infimus eſt,quũ ambitus ſit ſupremus. quacũq; enim ex parte terrã ſpectes,humillima omniũ eſt. Cœli ſemper ſunt excelſi, ſublimes, ſummi. Idcirco undique ex omni mundi parte res leues euolant, aſsurguntq́; in cœlum,pondera uero ſuapte pronitate præcipitãtur ad terram,et utrunque lineis rectis,paribus angulis. Neq; enim per latera terræ altrinſecus grauia deferuntur,alioqui uel ad cœlũ uſq; peruenirent, uel penſilia aëre hoc medio ſubſiſterent,quod fieri nequit. At uero moles ipſa terræ in medio naturæ quaſi librata ſempiterna quiete torpet. nam moueri eam uel ante uel ponè,uel ad læuam,uel ad dextrã,uel ad id quod uobis uidetur, ſurſum uel deorſum,ingenium mundi non ſinit: quia quoquò uerſum moueretur,aſcenderet. At in ſe torqueri & reuolui parum conuenit,quoniã ueſtigia tũ hominũ,tum cæterorũ animantiũ cõſiſtere in illa cõtinua uertigine firmariq́; nõ ualerent. Sic ille. Mihi uero illa omnia uſq; adeò magna mirabiliaq́; uiſa ſunt,ut ſtupens et attonitus mei obliuiſcerer,dum ea contẽplor. Quũ ergo hæc dixiſſet Africanus,paulumq́; inſtitiſſet,ego uelut eius excitatus ſilẽtio ac quiete (uſu enim uenit,quibus ex tranquillitate et cõticentia obrepſerit uel ſomnus,uel ſtupor,eos ſonitu aliquo ſolere expergefieri: quibus ex ſtrepitu ac murmure, eos expergiſci,ſi is ſtrepitus conquieuerit.) Quũ igitur ex altiſsima illa admiratione ad me rediiſſem,audiſſemq́; cõcentũ,cũ quo nullus ex noſtris iſtis mortalib. ſiue magnitudine,ſiue ſuauitate cõparari ulla in parte poteſt,rogaui,quis nã eſſet is ſonus? Hic eſt,inquit Africanus,qui ex motu cõfrictuq́; cœleſtiũ corporũ excitatur. Rerũ enim ipſa natura fert,ut omnia quũ agitãtur ac ſeſe cõtingũt corpora,ſonitũ emittãt,ſiue ea dura ſint,denſaq́; et cõpacta, uelut ferrea,aurea,argẽtea,terrea,ſaxea, lignea: ſiue mollia,raraq́;, ue-

lut aquea, aërea. Quod ſi illud ueſtris in prætenuib. perq́; exiguis conſue uit molibus contingere, quanto magis ex iſtis tantis magnitudinibus ſonus incredibilis reddetur? Tanto profectò maior, quanto hæc & maiora ſunt, & celerius quàm illa agitãtur, maioreq́; ſeſe atterunt ui. At ſoni iſti, quũ à diuinis oriãtur corporib. optimaq́;, diuina, atq; immortali naturæ parte, quæ nunquã temere agitatur, abſurdos eſſe, horridos, tetros, incõpoſitos, inconditos, inconcinnos, exiſtimari fas non eſt. quum de crepitaculis, crotalis, cymbalis, fidibus ueſtris dulciſsimi edantur concentus, & humanis auribus gratiſsimi: quod ſi numeroſa ars ad harmoniam requiri ritur, qui motus excogitari poſſunt æquè ordinati, uel ad numerorum congruentiã, ſic apti deſcriptiq́;, ut cœlorũ? Namq́; maximus ille uniuerſitatis huius autor & ædificator, inferiora iſta ueſtra abiectiſsima et deſpicatiſsima numeris quæq; ſuis quum diſtinxerit, ſuauiq́; conſonantia & harmonia, uti Græci dicunt, inſtruxerit & decorauerit, pulcherrimas iſtas moles, immortalibusq́; & diuinis mentibus animatas ſine harmonia, ſine concentu, ſine compoſitione illa cum recta & undiq; ſecum conſentiente numerorũ proportione reliquiſſe, quis poßit credere? quũ ne corpora quidem ueſtra, quæ ex terra uinculisq́; temere agitata, & caducis conflata & concreta ſunt, concentu hoc carere poßint. Admirabilis enim cõcinentia eſt in corde, pulmonib. cerebro, oculis, neruis, uenis, omnib. deniq; membris corporis et partibus. Quanquã cõſonantia hæc ab animo in corpus demanat. quod uel ex eo manifeſtum apertumq́; eſt, quod in cadauere totus hic cõcentus et tam apta ſibi numerorũ iunctio, & conſtructura extincta apparet prorſus & diſſoluta. Atqui animus ex hoc ſuo domicilio in terram corporaq́; hominum deturbatus ac depreßus, & muſicos motus certa ratione numeroq́;, quos hinc ſecum detulit, ſeruat, in corpusq́; transfundit, & muſicis cantibus ita exhilaratur atq; excitatur, ut memor domus ortusq́; ſui, ad eum ſe exiſtimet redire. Quod uehementius manifeſtiusq́; faciunt pueri, qui quum recentes hinc diſceſſerint, melodiam et concentum ſupra modum attenti auſcultant, admiranturq́;. Nam quum ſimile quiddam illis ſonis percipiunt, quos hic ſoliti erant audire, tunc uelut admoniti & tacti recordatione harum rerum, ſtupefactiq́;, comprehendere & dignoſcere nequeunt, quem in locũ tam ſuæ naturæ alienum atq; contrarium, tam inſolitum & perturbatũ demerſi ſunt. Eoq; magis animi noſtri de hac ſua patria cogitãt, et memoria repetunt, quo & cantus illi cœleſtibus iſtis ſimiliores, & ipſi animi generoſiores & ſublimiores ſunt. Effert namq; concentus, nobiles præſtanteisq; animos, abiectos uero & colluuioni ſordibusq; corporis im-

merſos, ad uoluptates magis ſpurcitiasq; propellit, ac deprimit. In cœlis porrò omnis ſuauiſsimæ ſymphoniæ, quæ concludi et comprehendi inter acutiſsimum & grauiſsimum poteſt ſonũ, ratio ineſt ac modus. Princeps enim ille totius naturæ ſtellifer orbis, incitatiſsimo quum rapiatur curſu, acutiſsimũ ſua conuerſione ſonitum elicit. Sic enim ingenijs rerum comparatum eſt, ut quicq; uelociſsimè fertur, ita acutiſsime ſonat. & contrà, ut tardiſsime & maxime lentè, ita grauiſsimè atq; hebetiſsime. Quo fit, ut Luna ipſa quæ omnium lentiſsima eſt, grauiſsimum ſonitum emittat. Nam de terra, quam dixi dudum nonam eſſe, nihil attinet dicere. quippe quæ ſegnis omnino, muta ſurdaq; eſt, hærens medio mundi affixa loco, neq; inde uel tranſuerſum digitum abſcedens. Ideo ad conſonantiam hanc, mundiq; totius cantum conferre nihil poteſt, quũ omnino nihil ſonet, uel ſtrepat, nempe immobilis. Ex iſtis autem cœleſtibus globis, & ſi ſunt octo, ſeptem tamẽ duntaxat diſtinctæ rationes, differentesq; uocum ſonorumq; moduli conſurgunt. Sunt enim interualla hæc ſonorũ imparia. Nam ſi paria eſſent, una ſolum ex illis, & tanquã ſimplex, incõpoſitaq; exiſteret uox, nec harmonia cõſtaret ulla, quæ in uarietate ſonorũ modorumq; proportione deuinctorum ſita eſt. Quemadmodum ex Mercurio & Venere unicus modus tenorq; naſcitur ſoni. Hi ergo globi inæquales illi quidẽ, æqualitatem tamen comparatione proportioneq; ſeruãt inenarrabilem, ex qua dulciſsimus ille et ſempiternus concentus efficitur, ſeptem diſtinctus uocibus, ſoniſq; cõmiſtus & temperatus. Nam in Mercurij Veneriſq; orbibus, ut dicere incipiebam, eadem eſt ſoni uis, idem modus. Idcirco una eſt dicenda uox, tametſi geminata. Ambitus conuerſionesq; eorum ſiderum non indicant. quorum Mercurius qui eſt inferior, nouem diebus ocyus quàm Venus peragrat, & conficit ſuum orbem. tum & illa duo circuitu ſuo non ambiunt totam terram, ſed eius tantum latus quoppiam circunſcribunt: contrariasq; habent reliquis ſideribus abſidas, nempe ſub terras, hoc eſt domicilia ueſtra. Nam re uera ſupra terrã ſemper decurrunt. Verum enimuero tantum de orbibus iſtorum ad auſtros uergit, quantum de alijs ad ſeptentriones. Quo fit, ut quum reliquæ errantes ſtellæ, quando à terra maxime ſublimes ſe efferunt, tunc demum pigerrimo agantur motu: hæ contrà, tum demũ incitatiſsimo. Illæ celerrimæ ſunt in occaſu ueſpertino, hæ nunquam aliàs tardiores & ſegniores. Quumq; illæ ſimul ac exortu matutino ſunt defunctæ, reprimere motum feſtinationemq; incipiant, hæ tum primum addũt gradus, & effuſius ſeſe concitant et conuertunt. Quapropter una eſt ratio uocis ſoniq; in utraq;. In alijs ſingulæ ſunt ſingulis, quas Plato ueſter Sirenes appellauit.

lauit. Neque enim uidit quib. uocib. has ipſas poſſet cõferre, niſi illis quæ uulgo dicuntur eſſe omniũ ſuauiſſ. atq; dulciſſimæ, ita multũ, ut nauigantes ab inſtituto queant curſu auertere, et amiſſo periculorũ ſenſu in mille diſcrimina morteſq; harmonia cantus ſui tranſuerſos agere ac præcipitare. Hos uero cœli ſonos, ex quibus ſimul omnibus unus exoritur conſonans conſentienſq; cantus, Pythagoras aliiq; permulti, maximi & præſtantiſſimi uiri, neruis fidibuſq;, quantum à caducis firmiſſima & ſempiterna referri poterant, expreſſere. lenitiq; dulcedine illa concentus ac demulcti, ita dum inter homines agerent, uixerunt, ut ſibi uiam munirent, qua ingreſſi, rectà in has ſedes ueram germanamq; ſuam patriam reuerterentur. Sicut & ſibi eiuſmodi fecerunt uiam ij, qui clariſſimis & optimis ingeniis in corpore incluſi quum eſſent, non corporalibus ſe ſtudijs exercitamentiſq; dediderunt, non uoluptatibus, non uicijs ac ſceleribus: ſed ijs agendis, quæ ex his cœleſtibus animis nata, in eiſdẽ alta et exculta, ueſtros quoq; iſtis gentiles decent animos, cuiuſmodi ſunt iuſticia, continentia, prudentia, pietas, ſcientia, ſapientia, quæ iure diuina ſtudia nuncupantur. Vides enim diuinas has mentes uirtutibus illis præditas ornataſq; eſſe, quod imitantur animi ueſtri, ſi modo non uſqueadeò in corporis naturam ſtuporemq; ab hac ſua pulcherrima degenerant origine. Nã ut quiſq; animus excelſiſſimus & generoſiſſimus eſt, maximeq; diuina mente præſtans, cogitationiq; multæ ac crebræ loci huius ex quo profectus eſt, & à quo peregrinatur deditiſſimus, ita & plurimum uirtutibus illis dat operam, & citiſſime atq; facillime huc redit, nempe compendiariam in primis atq; expeditiſſimam uiam ingreſſus. Verum ſonitus hic quem admiraris, intelligi à uobis in terris non poteſt. Nam ut audiatur à uobis, præſtantior tamẽ eſt, quàm qui à ueſtro ſtupidiſſimo craſſiſſimoq; capi dignoſciq; auditu poſſit. Eſtis enim ad illum uelut aſini ad lyram. Sed quod magis credo, non exauditur illa de cauſa, quod facultas & uis auditus ueſtri exilis et perquàm anguſta quum ſit, nequit amplitudinem hanc ſonorum capere. Neq; uero ſenſus ueſtri poſſunt alia percipere & ſentire, niſi quæ latitudine ſuarum uirium concludere poſſunt, & compræhendere. Reliqua quæ & ipſa maiora ſunt, complecti & ſentire ſi uelint, neq; aſſequuntur, quod cupiunt: & quum nequicquam fuerint connisi, tanquamq; colluctati, ſuccumbunt, ac tum uel magna ex parte debilitantur, uel interim etiã extinguuntur atq; intereunt. Velut ſi quis fulgentem in occaſu ſudo ſerenoq; æthere ſolem intueri contendat, id diutius ſi fecerit, uſq; adeò oculorum eius acies caligine ex immodico illo fulgore effuſa retundetur & langueſcet, ut aliquandiu poſtea nihil poſſit

cernere. Quod ſi pergat id crebro facere, totam ſine dubio cernendi uim uirtutemq; amittet, peribitq; ſenſus ipſe. Id in oculis ueſtris, quorum tantus uigor eſt, quum eueniat, quid in auditu fieri credendum eſt? quo ſenſu nullus eſt in uobis nec obtuſior, nec imbecilior, magiſq; obnoxius ac expoſitus offenſioni atq; iniuriæ. Apertus enim eſt, & puluere, ſtipulis, floccis, ſordibusq; oppletus & obrutus. Tum uel uenti uel humoris leuis offenſa illũ ita lædit, ut ſæpenumero hac ſola de cauſa amittatur. Iam ſonorum immanium uis atq; impetus intolerabilis ei ſenſui eſt, non ſecus quàm alijs etiam omnibus ſuorum ſenſilium exuperans et ſupra modum uehemens uigor magnitudoq;. Omnes enim ſenſus non uiciantur modo, & deteruntur, ſi ea quæ ſentiunt captum excedant ipſorum, ſed plerunque tanquam uaſta in eos cadente mole confringuntur, & comminuuntur. De ſonitu ut loquamur, quod ad rem noſtram magis facit, quum alij permulti obſurduerunt uehementia intolerabili ſtrepituum & fragorũ, tum tota gens quæ ad Catadupa Aethiopiæ partem habitat, hac una de cauſa ſurda eſt. Nilus enim amnis nobiliſsimus, qui Africã ab Aſia diſiungit, poſteaquam Meroẽn Aethiopiæ, quam ipſe diuiſus inſulam facit, prætergreſſus eſt, aquas omnes ſuas in eundem alueum colligit. hinc rurſum impactus inſulis, his obicibus & quaſi offenſionibus irritatus fertur rapidiſsimo curſu: ſuiſq; iterum coniunctus aquis, incitatiſsimus decurrit uſq; ad eam Aethiopiæ partem, quæ ex re Catadupa græco uerbo nominatur. Ruit enim Nilus ex illis ſcopulis atq; rupibus immenſo ac terribili fragore. Genſq; eius loci accola iam ſemel olim urbem ſedeſq; ad fugiẽdum tantum incommodum mutarat, ſed alij bonitate agri cœliq; inuitati in eam regionem immigrarunt, quæ nunc tota natio inaudita eſt. Hæc quidem ex Nili ſonitu accidunt. Conſidera tu nunc quid ex hoc cœleſti ſono, tãto quàm ille ſit maiore, par eſt? Et conſiderabã ipſe id quidẽ admirabundus, terramq; identidem deſpectabam, mecum ipſe cogitans & reputans, quàm eſſent hæc noſtra uilia, abiecta, ſordida, indigna non ſolum quæ incoleremus, ſed quæ uel uideremus, uel etiã calcaremus, cœleſtibus illis compoſita & comparata. Africanus uero ratus me aliquo adhuc iſtarum rerum deſiderio teneri: Video, inquit, te ſedes illas humanas, terramq; adhuc ſpectare. Quæ ſi quantam ipſam eſſe cernis, tanta etiam tibi iudicatur, ne ſis oro te tam exiguo atque anguſto animo, ut leuibus illis ac tenuibus rebus implearis. Erige animum mentem'que ad hæc cœleſtia, ea deſiderato, ea concupito, quæ ſola poſſunt te & capere & implere. reliqua ne pluris facito, quàm ipſa re uera ſunt. Quod ut es natura ſummo & præſtantiſsimo animo, facile te perfecturum non dubito.

bito Vnum eſt quod uereor, ne non facile poßis excutere et repudiare ambitionē illam & gloriæ cupiditatem. quæ gloria quoniam nonnullam habet cum honeſtate ſimilitudinē, formamq; illius induit et præ ſe oſtētat, iccirco ab excellentib. quidē ingenijs, ſed quib. tamē nondū extrema eſt à uirtutibus manus addita, nondū perfectis atq; abſolutis magnopere exoptatur & quæritur. Ac pleriq; omnes, qui nec opibus, nec imperijs, nec potentia, nec delicijs & uoluptatibus tentantur, cupidine quadā gloriæ ſolent irretiri, moleſteq; ferunt, quū pro laboribus periculisq;, pro meritis & benefactis aliam omnē mercedem contempſcrint, gloriam non reportare. Quin & interdum nonnulli parū admodum uirtutis & gloriæ intelligentes, dum nimia cupiditate rapiuntur ad gloriam, uitia & flagitia ſuſcipiunt haud ſanè parua. Qui & ſi ſermonem celebritatemq; hominum, quam tantopere expetiuerunt, conſecuti ſunt, non protinus gloriam ſunt adepti. Neq; enim gloria de uitijs unquam naſcitur, neq; gloria eſt quod imperita multitudo, ſtulta et leuis plebes iudicat, uel nō iudicat potius. Quod enim iudiciū eſſe poteſt, ubi nulla ſanior eſt mēs, ſed qua parte plurimū ualet, loquitur? falſa eſt ea gloria, ficta, adumbrata, praua, ueræ gloriæ fraudulenta imitatrix. Vera namq; gloria uirtutē ſemper tanquam umbra corpus aßectatur, ſermonibusq; & uoce conſtat eorū qui optime de ſummis uirtutibus iudicant. Altera illa inconſiderata eſt et cæca, quæ ut temere ſine ullo iudicio multitudinis aura & rumuſculis excitatur, ita temere ſilentio eiuſdem tabeſcit & extinguitur, neq; poteſt cōſtans firmaq; eſſe. Quippe quū de nihilo exorta, nullis fundamentis innitatur ac ſuſtineatur. nullis dixi: imò uerò innititur, ſed cōtrarijs ſæpe, & ijs quæ nullam ſtructurā breui non ſubuerterent, nempe prauis facinoribus. quum uerum maximeq; firmū gloriæ fundamentū ſit uirtus. Quod quum ita ſit, difficile eſt uiris excellenti præditis ingenio, poſteaquam in uirtutis ueluti campo ſeſe exercuerunt, hanc gloriam, quæ ex uirtute proficiſcitur, repudiare. Sed profectò illud eſt planè perfecti & conſummati uiri, etiam ipſam gloriam cum cæteris humanis aut deſpicere, aut certe negligere. Eſtq; illius qui nō ſolum ſuam ciuitatem, breuesque illos ſuæ regionis patriæq; terminos ſecum reputat, & ſpectat, ſed orbem ipſum non terrarum modo, uerum etiam cœli, totiusq; naturæ, qui quàm latißimè patet. Namq; is primum ex latibulis unius ciuitatulæ egreſſus effert ſeſe, & tanquam de ſpecula, uel editißimo aliquo loco, qualis hic eſt, in quo nos ſumus, totam ſibi ſubiectam terram contemplatur. Videt eos terræ tractus, qui huic boreali uertici, illiq; auſtrali ſuppoſiti ſunt, pari de cauſa æternis frigoribus immerſos rigere,

niuibus

niuibus, pruinis, glacie perpetua infeſtari. quoniam & à cœlorum conuerſione, motuq; celerrimo, & à ſolis orbita duobus totius caloris fontibus maxime remoti & ſegregati ſint. Qui duo fontes ſubiectam ſibi regionem cõtinuis uaporibus exurunt, eaq; regio haud quidem exigua eſt. Nam ſignifer ille circulus medio ſe cœlo porrigit obliquus, per quem ultrò & citrò Sol anfractibus ſuis ductibusq; commeat, aſcenditq; uobis in ſolſtitio uſq; ad cancrum, bruma in capricornũ uobis depreßus. quicquid duobus his ſignis ſolisq; metis ſupra infraq; contentum cõcluſumq; eſt, & rapidißimo cœli ambitu, & perpetuo ſolis cõfinio torretur. Quo fit, ut nec extremæ illæ duæ oræ uerticibus cœli ſubnixæ, præ nimio gelu atq; algore continuo, excoli atq; inhabitari ab hominibus queant. Quũ neq; miteſcere unquam cœlũ, neq; frugem aliquam ager edere, qui calori bus nunquam mollitur & fœcundatur, poßit. Nec media illa celebrari et frequentari hominũ cõuentibus cultibusq; conceſſum eſt. Quoniã ut illæ præ nimio frigore ſterilitatis damnatæ ſunt, ita et hæc nimio æſtu. Neq; mortales in tanto feruore reſpirare, & uitalia tepido ſpiritu refrigerare poſſent. Ergo quũ æſtuantes eos deficeret anhelitus, ſubito præſocarentur. Quæ mediæ porrò inter torridum rigentesq; tractus ſunt oræ interiectæ, duobus affectæ contrarijs calore & frigore, ſenſim intepeſcunt ac temperantur, ſic ut quo magis ad extremos illarum limites accedas, hoc magis naturam uicini uel æſtus, uel rigoris percipias: magnum uero ſit in medio temperamentum, quod efficit ut ibi commodas ſedes mortale genus cæteræq; animantes, ſtirpes etiam ſtatuere poßint, ac figere. Vbi tũ uicißitudines ſunt gratæ annorum & temporum, tum agri ſuis definitis ſtatisq; temporibus concipiunt, fœtificant, interquieſcunt, uires uigoremq; recipiunt, ad futurumq; reficiuntur laborẽ. Tum homines clementia cœli ualent, uigentq;, licet eis arare, ſerere, plantare, colligere, condere ſuis quæq; temporib. Hæc omnia nõ ſine admiratione ſpectat & contemplatur perfectus ille (ut dicebam) ſapiens, uidetq; tria eſſe quæ in gloria expetere ſoleatis: ut quàm latißime pateat, ut immortalis ſit, ut apud quamplurimos uerſetur, et eos quàm optimos. Anguſtias in quibus ſe ueſtra gloria diffundere & extendere laborat, conſiderans cõtemnit. Aſpicit enim primum terram ipſam exiguũ quiddam eſſe, puncti inſtar, quod in globo hoc mundi medium defixum eſt, ut centrum. Ex illo puncto quinque in partes, quæ cingula dicuntur, ſecto, duas ſolũmodo humanis uſibus à parente mundi eſſe attributas, quas uitæ uictuiq; ueſtro cõmiſtio illa rigoris ardorisq; cõmodas & benignas præſtat. In his duabus homines ſibi conuentus, concilia, cœtus inſtituiße, urbes, oppida, pagos condi-

cond diſſe raros atq; in morem macularũ diſperſos. Et quoniam tota terra globus eſt, ideo homines inter ſe partim ſunt trãſuerſi, quos Periœcos, *hoc eſt circunco as* Græci *nominant, qui idem inhabitant cingulum, ſed contraria latera, alteri ortum ſpectantes, alteri occaſum, ſubiecti hemiſphærijs diuerſis, ſeu aduerſis potius, pariaq́; agunt anni tempora, & pariter, uicibus tantum dierum noctiumq́; diſtincti. Dies enim his eſt, quando illis nox, & è contrario, tametſi non in uniuerſum. Neque enim quocunq; tempore dies alteris eſt, nox eſt alteris. Nam alioqui quum æſtatem utriq; agerent, dies hi haberent breuiſſimos, longiſſimos illi, quod fieri nequit. Cæterum de medijs omnia intelligi conuenit, ut media nox ſit horum medijs, dum meridies eſt medijs illorum. Si quis extrema cum extremis conferre uoluerit, obſeruata proportione, ſiue (ut* Græci *dicunt analogia, facile quod quæſierit, aſſequetur. Partim etiam homines ſunt aduerſi, quos* Antœcos *uocant. qui in boreali auſtraliq́; cingulis, quæ incoluntur, uitam degunt, nec magis alteri alteris ad ortum uel occaſum uergunt. Sunt autem propiores* Aquiloni, *uel* Noto *hi, quàm illi, pariaq́; agunt anni tempora, ſed non pariter. Vices tamen lucis tenebrarumq́; ſimul habent, niſi quod æſtate ueſtra borealibus dies eſt quàm auſtralibus maior, contrà in ueſtra hyeme. Sunt alij homines inter ſe obliqui,* Antipodas Græci *nuncupant, quod aduerſis inter ſeſe ſtent ueſtigijs, interpoſitumq́; inter eos eſt terræ medium punctum, quod centrum dicitur, & dimetiens terræ ab alteris ad alteros agitur. quibus omnia ſunt penitus contraria, & plagæ cœli, & uices temporum dierumq́;. hyems horum illis eſt æſtas, nox horum illis eſt dies. Quæ omnia, tum conuerſio diurna ſolis, tum annuæ deſcriptiones, aſcenſusq́; eius, ac deſcenſus, tum rotunditas efficit terræ. Hæc quum ſunt cognita atq; perſpecta ei, quem ſapientia atq; uirtus ad perfectionem magno gradu adducit, tum is intelligit totum illum habitabilem* Auſtri *tractum, quem* Græci *ἀντίχθονα nominant, ad quam gloriã nihil poſſe pertinere. Eſt enim exuſta mundi parte, uaſtiſſimisq́; ſolitudinibus, deſertiſſimis & inſuperabilibus harenis à nobis ſeparatus et remotus, ut inhoſpitalis terra neminẽ peregrinum aut uiatorem admittat, qui à uobis ad auſtrales illos aliquid de ueſtris præclaris rebus, geſtisq́; perferre poſſit. Reciſa eſt igitur ex duab. quæ ſupererant humano cultui partibus, una, in quam peruenire & penetrare fama ueſtræ uirtutis nequit. Supereſt una, quæ ut uos creditis, inſula eſt mari illo cincta, quod in terris* Atlanticum, *uel de homine illo* Libyes *filio, uel de monte* Mauritaniæ: & Oceanum, *rerum patrem, ſicut* Homerus *ait, et magnum nominatis. quod tamen indignum amplitudine illa no-*

minis eſſe cernis. Ex hac igitur terra, quis poſſit dicere, quàm pauca inha bitentur, quàm plura ſint inculta, deſerta, uaſta, uel montibus, uel paludibus, uel harenis, & ſoli ſterilitate. Age uero ea quæ frequentantur & celebrantur reputa. In illis quàm lente quæſo rumor pulchre factorum ſerpit? Tot bella geßimus, tot reges, ciuitates, regna, prouincias deuicimus & ſubegimus. At fama & ſermo iſtarum rerum, non potuit unquam uel altitudinem Caucaſi huius remotioris in Aſia montis, ſuperare et prætertire: uel hunc qui ex eo monte decurrit quidem, ſed uerus fons ignoratur, Indiæ fluuium Gangem tranatare. quum tamen arma noſtra Aegyptijs, Syris, & illis ad orientem nationibus, Parthis etiam formidabilia iam ſint. Indis igitur, Seribusq; ignoti omnino ſumus. Quis enim apud tã feros populos, tam à noſtris moribus, ſermone, cõmercio alienos atq; abhorrentes, tam tota ratione uitæ differentes & contrarios, aliquid de nobis prædicabit? Quis pari ratione apud ultimos illos, qui uel occidentem ſolem uident, uel urſis illis trionibusq; operiuntur, uel ad meridiem mundiq; feruorem ſunt expoſiti, nomen tuum laudesq; audiet? Quis illuc perferet, quis narrabit, quis intelliget, quis magnifaciet, quis admirabitur? Quibus omnibus ex tam breui terræ globo circumciſis & amputatis, quæ uobis per optimũ Deum area, qui campus relinquitur, in quo decurrere & diffundi gloria laboret ueſtra? quibus, dij immortales, in anguſtijs conflictatur? inter quàm arctos fines reuoluitur & ſudat? quàm de exigua poßeßione certat? Sempiternam uero gloriam (nam id erat ſecundum ex illis tribus) obtinere uos uel etiam diutinam, nec uoluntas hominũ patitur, nec natura rerum. Aut enim nolunt homines, quæ à maioribus de cuiuſquam benefactis acceperunt, filijs ac nepotibus narrare, partim odio, partim inuidia: aut obliuiſcuntur quæ audierunt, aut ſegnes torpentesq; illa negligunt, aut alijs intentis non uacat. Sed fac uelle, fac meminiſſe, fac uacare. Rerum certe ingenium & conditio populos, gentis, regna nunquam ſinit ſempiterna eſſe. Tranſeo bella, uaſtationes, populationes, quæ humanis iniurijs & furore inferuntur. Certis uero definitisq; temporibus coitiones aut ſeparationes ſiderum, tum nimiam humoris uim terris immittunt, coguntq; Oceanum ſolitos ſuos limites perrumpere, & inculta habitataq; à uobis inuadere: tum uel fulminibus iaculatis, uel ui & ardore ſuo, uel ex leui ueſtrorum ignium ſcintilla, in fomitem ſuum ſiccaq; excidente nutrimenta, incendia ſuſcitant permagna. quale illud fuit unde orta fabula, quo Phaëtontem ignotos currus inſcie ferunt ductaſſe. Ergo uel alluuie inundationeq; merguntur urbes, regiones, homines, & cætera quæ mortales chara habent, bona appellant.

lant, quum nihil ſint minus: uel exuruntur ignibus, abeuntq́; in cineres. nõ magis illa omnia quæ dixi, quàm fama gloriaq́; uniuſcuiuſq; noſtrûm. Extenuato uero humore, aut mitigato incendio, homines alij ad incolendas eas terras, rudes ignariq́; earum rerum quæ ſunt in illis actæ, deducuntur. Quo fit, ut memoria præteritarum rerum non modo æterna eſſe nequeat, ſed ne diuturna quidẽ. Quid dicã, expetere uos celebritatem nominis inter eos qui poſthac erunt? quum ignoti fueritis illis, qui antea uixerunt: in qua etiã re magna pars de amplitudine ueſtræ gloriæ detrabitur. Nam illi nec pauciores quàm qui poſthac naſcentur, & meliores ſine dubio fuerunt uiri, inter quos famã propagare id demum pulcherrimũ omnium eſt. Magis enim multo gaudendum ab uno laudari (ut inquit apud Neuium Hector) laudato uiro, quàm ab infinita uulgi multitudine, laude omni carentis atq; honore. Quid quod breues iſtæ ueſtræ exiguæq; temporum menſuræ efficiunt, ut uobis quorundam hominum gloria aliquantũ uixiſſe ac duraſſe uideatur. Pudet dicere, quos ambitus circuitusq; temporum uobis deſcribitis, quos à cõuertendo ac refluendo annos, quaſi amnos, appellatis. Alij dies undetriginta, quem lunæ annum dicũt, et menſem, à luna quæ ex græco uerbo μήνη. Nec deſunt, qui ut annum uertentem, ita menſem quoque uertentem nominent: ſicut in Perſa Plautus. Alij, uelut Aegyptij, duorum menſium annum, qui fuit antiquiſſimus, etſi antiquior ſit menſtruus. Piſo eorum rex quadrimeſtrem annũ fecit. Additi ſunt longo pòſt tempore tot dies, quot ad ſolis abſolutũ curſum congruerent. Arcades tribus menſibus ſuum annum claudunt, ſingulos annos ſingulis anni ſolaris partibus, uere, æſtate, autumno, hyeme. ſunt qui hoc numero duplicato, uelut Cares, & Acarnanes. Albanis, & primis illis noſtris, Romulo rege, decimo quoq; menſe redibat annus Calendis Martijs, quibus et Veſtæ ignis, et laureæ curiarũ flaminumq́; recentantur. Eiusq; menſis Idib. uetere more atq; inſtituto, ut proſpere annetis & perennetis, Annæ perennæ publicè priuatimq́; ſacrificatis. Antiqui Græci duodecim menſibus lunarem annum terminant. dimidio menſe addito fit ſolaris, hic à uobis Vertens dicitur. quod tunc omnia in orbem acta redeant, hyems, æſtas, uer, autumnus: aratio, ſatio, maturitas, perceptio & conditio fructuum: frigus, calor, tepor, glacies, niues, nubila, ſerena. Idcirco à renouando ſunt qui annum de græcis uerbis ἀνὰ & νεῶ nuncupatum eſſe autument. Niſi quis ab ἔνος malit. ἐνιαυτός ab illis dicitur, eodem intellectu, quòd in ſeſe conuertat, explicetq́; nobis, quæ ſecum conuoluerat, rurſus implicans euoluta. Tum ſequuntur magni anni, quales ſunt iſti obſecro? Nam magnificum nomen nihil non promittit.

Apud Græcos menſes quinq; et uiginti, ut Lunæ ratio ad Solis curſum cõgrueret, qui ſunt anni duo intercalati. In quorum fine Thebis trieterica ſacrum celebratur Baccho. Sunt & alij eo tempore geminato, quas Olympiadas uocant, noſtri luſtra. In quorum termino ludi illi fiunt maximo totius Græciæ conuentu atq; apparatu, & nos cenſum agimus, luſtrum condimus. Aiuntq; illi cõmodiorem hunc magnũ annũ eſſe. Eſt & alius, ut ipſi uolunt, uere magnus, quantus tandem eſt? Olympiadis in ſe geminatæ, octo annorum. Qui quoniam uere magnus eſt, multas religiones ſummis ceremonijs peragendas ſecum reducit, & tum Pythia ſolenne Apollini ſacrũ, ludiq; celebrantur. Nugæ omnia, quis neſcit? Nec Chaldæis ſuus deeſt magnus annus, qui ex ueſtris ſolummodo cõplectitur duodecim. Sunt et magni quos Lunares dicũt, qui cõficiuntur menſib. ducentis duobus & triginta. Quanquam hi non omnino malo iure magni Lunares dicti ſunt. ſiquidem eo temporis ſpacio Luna Soli collata ad candẽ notam remeat, unde exiſſe eam ponimus. Quod ſi ſic & de alijs ſtellis ſideribusq; exiſtimaremus, ut curſus ambitusq; omnium attenderemus, illud'que metiremur interuallum, quoad Solis Lunæ'que, & quinque errantium ad eandem inter ſe comparationem confectis omnium ſpacijs eſt facta conuerſio, hoc uerum eſt tempus, is uere & poteſt & debet annus uertens appellari, in quo omnia non ſimilia modo, ut in iſto ueſtro, quamuis in eo plura ſunt diſsimilia, ſed eadem penè uertuntur & redeunt. eiusq; anni hyems ſumma eſt proluuies, æſtas ſumma terrarum inflammatio, in quo non dico quot ex iſtis ueſtris annis, ſed quot ex ueſtris ſeculis capiantur et comprehendantur, proferre uix audeo, ne fidem uobis oratio non uideatur admittere: quippe qui ſeculum quod centum ex ueſtris annis complectitur, magnam & longiſsimam diuturnitatem eſſe ducitis, quo ſpacio nulla eſt tam longa humana uita, quæ non finiatur. Quam ob cauſam ludis ſecularibus, qui centeſimo quoq; exhibentur anno, præco ad ludos inuitat, ut hoc anno ſi Romæ fueris audies, ad ludos uti conueniant, quos nunquam antea ſpectauerint, nunquã poſt ſpectaturi ſint. At in hoc anno mundano, & ſi non ſatis inter mathematicos inueterata ipſorum cõſuetudine, quot ſint ſecula, conuenit. Nam alij centum & octo, alij centum ferè & quadraginta, alij trecenta & ſexaginta, alij centum & quinquaginta præſcribunt. ſunt qui trecenta et ſexaginta ſex. Quanquam hi non mala prorſum ducuntur ratione: ſingulis namq; ſeculis & globus totus ſolis & ſtellifer ipſe orbis uniuerſus partem unam, quem dicitis gradum, promouet. Quum ſint igitur toto in cœlo gradus tercentum ſexaginta ſex, totidem magno illo comprehendi,

teneriq;

teneriq́; ſecula uerisimile eſt. Cæterum omnium uerißimum eſt, eſſe centum & triginta plus minus, quæ à ſole uoluuntur, interea dum ſtellæ omnes & errantes & inerrantes orbibus ſuis, & ductibus ſurſum deorſumq́; conuerſæ, eiſdẽ locis ſignisq́; undecunq; uolumus eas deceßiſſe, ſe ſiſtunt, et comparent: ut ſi quis ibi annũ incipiat, quũ conditoris noſtræ urbis Romuli animus ui & ardore ſuo craſſum illum caliginoſum ac frigidum perrupit aërem, & ad hanc alteram meliorem & ſanctiorem patriã magnis atq; diuinis in terra perſunctus operibus reuertit. Qui quũ anno, ut uos computatis, à condita Roma ſeptimo & triceſimo, ad exercitum ad Capreæ paludem recenſendũ nonis quintilibus, quæ de caſu Caprotinæ nominantur, concionem aduocaſſet, ſubito exorta tempeſtate cum tonitribus, fulminibus, nimbisq́; & denſißima nubium caligine, ſol interuentu atque obiectu lunæ deficere mortalibus extinguiq́; uiſus eſt. Quum re uera ipſe non deficeret, uos potius lumine deficeremini. Ipſe uero rex inter hæc ſublimis ablatus, ſicuti Proculus retulit, in has ſedes immigrauit, nec amplius in terris cõſpectus eſt. Quum igitur ad eadem quibus tunc erant loca, ſiderib. omnib. reductis Sol rurſum eodẽ modo defecerit, tunc demum hic mundanus, & iure uertens erit expletus annus. Quo medio tempore ſidera curſus omnes, coitiones, ſeparationes, aſpectus, reſpectus, aniceſſ.s, progreßiones, regreßiones, aſcenſus, deſcenſus, & antè, & ponè & ad dexteram, & ad læuam, quas facere ulla ratione & natura ſua poſſunt, peragent. Cuius anni nondũ uiceſima pars confecta eſt. annus enim hic eſt ex ueſtris ſolaribus à cõdita urbe ſexcenteſimus tertius, à Romuli exceßu quingenteſimus ſeptuageſimus plus minus: in quo ſunt ſæcula penè ſex, aliquãto quidem minus, ſed ad rei totius ſummam non admodum refert. In hoc uero noſtro anno, quũ ſecula ſint centum triginta, uides quinque uiceſimam eſſe partem è centum, unum uero non eſſe è triginta uiceſimam portionem. Hæc eſt illa ampla ueſtra & præclara ſcilicet gloria, quæ unius anni minimam portionem uix durat. An ea uel præferenda ſine impio ſcelere, uel conferenda ſine maxima temeritate atq; ſtultitia, cum hac noſtra uita eſt? In qua omnia quæ expeti à magnis & excellentib. uiris poſſunt, abunde ſuppetunt. De gloria loquebamur, agamus de eadem. Hoc loco, cuius minima pars latius cũcta ueſtra terra patet, tota ſeſe gloria diffundit atq; extẽdit. quotquot enim hic uiuimus, noti inter nos omnes ſumus. Nemo eſt, de cuius uirtute & præſtantib. factis uniuerſi nõ audierint, quẽ alij non cognoſcant, aperte ſine fuco aliquo, ſine obtentu. Neque enim corpora hic ſunt, quæ multas animorum maculas & labes occultant: animi ſumus omnes clari, conſpi-

*cui, expoſiti, aperti. Ad hæc gloria iſta immortalis eſt, quæ cum cœlis
ipſis ſempiternis perennat, nec unquam intercidet. Quoniam nec animi,
nec ipſi cœli uel morbum, uel caſum, uel mortem timent, confirmati in æ-
ternitatem ab ipſo naturæ inuentore Deo. Tum multitudo hæc mentium
apud quas laus & fama meritorum, rectéq; factorum uiget, numerò &
cogitatione capi ac comprehendi non poteſt. ad quam ſi mortales omnes
quotquot uſquam terram incolunt, uel etiam incolent, atq; incoluerunt,
comparentur, uix uniuerſi unus aut alter uidebuntur. At cuiuſmodi quæ-
ſo ſunt mentes? non barbarorũ hominũ, non operariorum, non ueſanarũ
multitudinum, ſed à quibus laudari longe dulciſsimum & gratiſsimum
eſt, optimæ, ſanctiſsimæ, diuinæ. Hic enim præter cœleſtes iſtos diuinis
mentibus præditos ſempiternos ignes, ſunt & animi illi puriſsimi & op-
timi, noſtri uidelicet maiores, Bruti, Valerij, Fabij, Fabricij, Decij, Ae-
mylij, Cornelij, Curij, Attilij. Sunt & græci illi, Socrates, Platones,
Xenocrates, Zenones, Ariſtides, Solones, Codri, Epaminundæ, Lycurgi.
Sunt & alij innumerabiles. Quorum omnium immortales cum incredi-
bili uoluptate atq; fœlicitate in hoc templo uitas ſpectare ſi uolueris, ſi
cœlos hos mundiq; uniuerſitatem, nec incluſeris te anguſtijs illis Italiæ,
Hiſpaniæ, Africæ, ſed totum mundum putaueris tibi unam eſſe ciuitatẽ,
atq; has beatiſsimas ſedes illas eſſe ad quas tibi reuertendum eſt, totum te
abſolutæ uirtuti formandum componendumq; trades. Quæ quum corpo
reas iſtas uoluptates, prauasq; uel diuitiarũ uel potẽtiæ cupiditates ablu
erit, & abſterſerit, tum ultimam exuet cupidinem gloriæ mortalis, per-
ſuadebitq; tibi, ſicuti ſe res habet, magnum & perfectum ſapientem non
benefacere ut laudetur, non expectare inanem inanis turbæ ſermunculũ
ac plauſum, quæ nonnunquam de nihilo, plerunq; de flagitioſis & ſcele-
ratis rebus ignorantia meliorum excitatur: maximum habere ſe acremq;
iudicem, uigilantem arbitrum, uerißimum & religioſißimum ſuorum
omnium conſiliorum atque factorum teſtem, conſcientiam mentis ſuæ,
quam ab deo illo naturæ principe atq; opifice accepit. à qua una laudari
ſe et plaudi ſibi id pluris faciat, quàm iudiciũ uniuerſi populi. Neq; enim
uel præiudicia uel teſtimonia multitudinis recipit dominans & tanquam
iudex mundi Deus, ſed uni conſcientiæ fidem habet, illius uel laudatio-
ne boni uiri in hæc remigrant domicilia, uel uituperatione ac reprobati-
one mali ab eis excluduntur. Hæc quum perfeceris, totumq; te cõtempla
tioni et exercitamentis uirtutis dedideris, cognoſces formam illam hone
ſtatis tam omni ex parte ſpecioſam & decoram, ut ea ſola ſua pulchri-
tudine, quam nemo unquam malus uidit, nemo bonus ignorauit, ſine ullis*

alijs

*alijs præmijs atq; inuitamentis ad ſe colendam atq; exercendam allicere
& pertrahere poſsit.* Hoc ipſum *eſt uerum germanumq́; & non adum-
bratum decus, non inchoatum honeſtum, ſed omnibus ſuis numeris exa-
ctum et conſtans. Eſt enim facies illa uirtutis et decoris ex ſe perfecta at-
que abſoluta, unaq́; rerũ omnium pulcherrima maxime laudanda, admi-
randa, expetenda: quæ ſi oculis corporis cerni poſſet, dici nequit quan-
tos amores excitaret ſui. quum gloria quæ non maiorem habet imaginẽ
ac ſimilitudinem honeſtatis quàm umbra corporis, tam multos ſui inue-
niat ſectatores, per æqua, per iniqua, per facilia, per difficilia.* Q*uis igitur
futurus ſit de te apud homines rumor, ipſi uiderint, tu neglige: ſolam uir
tutem cura, eam tibi præmium ſolatiumq́; tuorũ laborum eſſe cogita. lo-
quentur illi quidem neceſsariò, ſi bene feceris. nam à uirtute gloria dirimi
& auferri nulla ui poteſt, non magis quàm umbra à corpore.* Neq; *eſt ul
la æque uel compendiaria uia, uel expedita ad conſequendam gloriã ſe-
mita, quàm per uirtutem: quam ſi tenueris, ut maxime fugies gloriã, ita
te illa uelociſsimè perſequetur.* Verum *ea gloria quæ in hominum ſermo-
nibus fundata conſtitutaq́; eſt, & circumſcribitur anguſtis, ut dixi, limiti
bus illius terræ, perquàm exigui tractus, quem uides, & de nullo diutur-
na admodum fuit.* Opprimitur *enim & interit cum populis, nationibus,
urbibus, regnisq́;, uarijs tum naturalibus tum fortuitis caſibus.* Et *ſegnis
ingrataq́; poſteritas ſuorũ maiorũ oblita, gloriã eorum ſilentio ac tene-
bris obruit, et ſepelit.* Tempusq́; *ueſtris omnib. rebus inuidũ, aliquid quo
tidie derodens de ſplendore ueſtræ gloriæ, atq; detrahens, ante pauca ſe-
cula funditus eã cõſumit.* Hæc *illæ quũ dixiſſet, tum ego quàm potui ma-
ximè modeſte demiſſo nõnihil uultu, blandaq́; oratione paucis ſum inter
fatus.* Profectò *mi chariſsime aue, ſimulac primũ res tuas patrisq́; & alio
rũ de noſtra* Rep. *cognoſcere ac intelligere per ætatẽ potui, eiſdem ueſti
gijs progredi ad benefaciendũ patriæ cœpi, quæ tu & pater impreſsa ad
ingentem gloriã laudemq́; reliquiſtis: neq; de hac tanta uirtutis mercede
quicquã cogitabã. neq; enim hoc eſſe tã amplũ et diuinũ præmiũ ijs qui
patriã tutarẽtur, eiq; ſalutariter cõſulerent, propoſitũ & paratũ arbi-
trabar. quod quũ iam ſciam, uideamq́; uirtutes illas, quas in* Rep. *exerce
mus, ad illas ducere perfectiſs. et ſummas, quæ animũ in hũc locũ q̃ ocyſsi
mè reuehũt, ſuæq́; priſtinæ diuinitati reſtituũt: nũc maiore conatu, toto
pectore, in quæ cœperã nõ ſegniter facere, incumbã.* Et *ille:* Tu *uero q̃ po
teris diligentiſsime enitere.* Neq; *enim mortalia tibi curæ eſse debent, ſed
immortalia, quũ ſis ipſe immortalis, uẽturus in hãc uitã, felicitatemq́; im
mortalẽ.* Neq; *uero caſus aut mors corporis te mouere uel tantulũ debẽt:*

quippe quum non ſis ipſe corpus, ſed animus. Nam *neq; ea quiſq; eſt quæ extrinſecus apparent, et cernuntur: quoniam nec ſua ueſtimenta eſt, quibus induitur. minus etiam ſuum corpus, quo uelut circundatus eſt, atq; amictus.* Eſt *enim corpus hominis ſeu amiculum, ſeu uas, ſeu receptaculũ, ſeu uincula, ſeu carcer, ſeu quo alio appellari libet nomine.* Quod *intellexit ſapiens ille, quiſquis fuit, qui poſtì ædis* Apollinis, Noſce te, *inſcripſit. Cuius præcepti tanta uis eſt, tanta ſententia, ut non ab homine aliquo profectum putetur, ſed immortali deo attribuatur.* Neq; *uero is iubet, ut quis ſtaturam aut faciem ſuam, uel manus, pedes, crura, cor, pulmones, cætera exta, reliquosq; cognoſcat artus, quæ omnia inſipientib. medicis notiora plerunq; ſunt, quàm uiris ſapientibus. Sed ut animi præcipuã noſcat partẽ, quæ eſt diuina mens, in eamq; frequenter intueatur, uideatq; quibus inſtructa artibus, quibus ornata uirtutibus ſit, quàm exercitata, quàm ad reuolandum breui tempore in has ſedes, & priſtinum domicilium inſtructa et apta. ſcrutetur ac cõſideret uim memoriæ, inuentionis, mentis, cogitationis, quibus ſapit, iudicat, ratione colligit, aſſequitur & inuenit, & recordatur tam multa atq; admirabilia, quæ à nulla ex iſtis corporeis & concretis naturis fieri ullo pacto poſſunt, ſed à ſola diuina.* Idcirco *non modo te diuinum eſſe tibi perſuadeas, ſed ut dicere auſus eſt* Euripides, *deum.* Quid *enim non ſimile Deo tua habet mens? An uigere, ſentire, intelligere, meminiſſe, prouidere, ſapere, comprehendere, ac tenere cogitatione atq; intelligẽtia mundum ipſum, rerumq; totam naturam, id demum non diuinum exiſtimandum eſt, ſed craſſum, ſed commiſtum, et ex terra atq; illis quibus terra cœlumq; connectuntur, coagmentatum & conglutinatum?* Quid *uero gubernare, mouere, agere, uegetare id corpus cui præfectus es, nonne ſimile eſt illius prouidentiæ, omnia adminiſtrantis & regentis Dei? Præclareq; à ſapientibus uiris dictũ eſt, id totum quod uos uocatis hominem, hoc eſt mentem animumq; cũ ſuo corpore paruum eſſe mundum, ipſum uero mundum magnum eſſe hominem.* Mortale *enim eſt corpus tuum, nimirum terræ, humori, animæ igni ſimile, ex quibus compactum & conflatum eſt, quibus quatuor corporũ principijs & cauſis perpetuis uicibus ſemper aliquid decedit, ſemper accedit. morteſq; & uitas, ſi non in ſe totis ſemel atq; in uniuerſum, in ſuis certe admittunt partibus, eaſq; continuas.* Animus *porro tuus immortalis, et de diuina illa cœlorum deſumptus natura, ut cognatus, ita ſimilis ac par eſt eis.* Mens *uero qui eſt planè deus, ea & mortale corpus & animum ipſum temperat ac moderatur: non ſecus atq; optimus ille & præpotens genitor naturæ, tum fragiles illas caducaſq;, tum ſtabiles has æter-*

naſq; mundi naturas & partes. Et quemadmodum architectator ille mundi, cuius numine reguntur cuncta, nec natus & immortalis eſt: ita et animus quoq; tuus initio caret, nec fine ullo terminabitur. Immortalis enim ea uis eſt, quæ ſemper mouetur, id eſt quæ ſemper intelligit, cogitat, ſentit, uiget, uegetat. hæc ſiquidē omnia intelligi uolo, quū moueri dico. Etenim quum ſint nonnulla, quæ ipſa alias quidem res mouent, ſed ab alijs etiam mouentur, uelut in hoc magno mundo planetæ mouent ipſi quidem elementa, ſed mouentur tamen à primo illo impulſu contorquentis omnia ſecumq; rapientis cœli: in paruo uero mundo calor et humidū illud atq; ſpirabile totū corpus ſalutari atq; uitali motu cient, cienturq; ab ipſo animo ueſtro ac mente. Illa ergo quæ quod alijs impartiuntur, ab alijs accipiunt. ſi quando beneficium deſinunt accipere, etiam deſinunt conferre, & tunc denique marceſcunt & pereunt. à quo periculo remotum & tutum eſt id quod à ſe ipſo agitur ac mouetur. Neq; enim metuendum eſt, ut ne ipſum à ſe deſeratur. quod ſi ſemper ſe mouet, ſemper uegetat, ſemper uirtutem, uigorem, uitamq; affert, mori nunquam poteſt. Nam ſi quādo moreretur, non ſemper ſibi uitā ipſe conferret atq; motū. Quippe quum ea non daret, quæ ipſummet exanime iacens atq; proſtratum non haberet. reſolutum enim abijſſet iam nunc uel in nihilum, uel in alias utiq; ſpecies ac formas. Imperitum igitur et abſurdum eſt, affirmare aliquid perpetuò moueri, ſed interire tamen nonnunquam: hoc eſt moueri ſemper, ſed quieſcere aliquando. quod de animo dicunt minuti quidā & plebei philoſophi, qui tam impia opinione reditum ſibi in hæc loca præcluſerunt. Neq; enim mundi dominus & gubernator admitti eos ea in loca ſinet, ad quæ ſe uenturos deſperarunt. deſperarunt autē, imò uero cōtempſerunt atq; irriſerunt, nullaq; putauerunt eſſe ijs qui bene ac ſanctè uixiſſent parata, noſtroſq; animos tanquam capite damnatos morte mulctarunt non aliam ob cauſam, quàm quod qualis animus ſit corpore uacans, intelligere, ac mente et cogitatione comprehendere nequiuerint. Cuius rei non animi noſtri, ſed ipſorum hebetes cogitationes & intelligentiæ in culpa ſunt. Quod ſi alia deerant omnia, illa profectò Platonis philoſophorū principis ratio facile eos ab errore atq; ignorantia reuocaſſet, ſi acumen aliquod habuiſſent ingenij. Omnibus enim quæ mouentur, quæ uigent, uiuunt, ſentiunt, intelligunt, meminerunt, motuū huiuſmodi anima origo & principium eſt. Neque enim hæc ab inanimi aliquo manare fonte poſſunt. Principio uero prius nihil eſt, à quo gigni potuerit, & procreari. Siquidem illud ipſum prius, non hoc quod generatur principium eſſet appellandū. Ea namq; uis eſt principij, ea natura, ut quum à

nullo generatum ſit, ipſum ex ſe alia progignat. Quo fit, ut nec interire poßit, quoniam ortum nunquam eſt. Quę nam enim in æterno, quod poſthac futurum eſt tempore, interitus eius cauſa poterit inueniri, quæ nulla fuerit in æterno tempore, quod peractum eſt? An nouæ poſthac re rum naturæ procreabuntur, quales antea nullæ fuerint? Accedit huc, quodſi occidit principium hoc, ſpes tota cæterorum præciſa eſt. Quan doquidem quod à principio conſumpto atq; extincto fluere et proficiſci queat, nihil erit amplius. Nec reperietur ulla res quæ id principiū repa ret ac reducat, quippe quod ingenerabile eſſe oſtēdimus. Eſt igitur motus uitæ, uirtutis, ſenſus, uigorisq; principium ac uera origo in eo, quod tum ſibi hoc, tum alijs præſtat atq; largitur, nec beneficio fruitur uel mutua to, uel precario. Illud nec naſci poteſt, quoniam principium eſt: nec mori, quoniam æternis nulla unquam accidet ſiue morbi, ſiue caſus, ſiue infir mitatis, ſiue mortis cauſa. Alioqui fieret nonnunquam ut concideret cœ lum ipſum cum uniuerſa natura rerum, quieſceretq; & interiret, ceſſan te ac quieſcente mortua etiam mente illa excelſißimi cœli, quū ab eiuſce mentis impulſu, quæ aut quieſceret, aut extincta eſſet, nec cœlum ipſum, nec reliqua natura motum, uim, uitam reciperet. Quod ſi hoc de cœlis uel cogitare nefas eſt, quod quieturi aliquando ſint, atq; adeò, ſi dijs pla cet, ruituri caſuriq;, quoniam mentes illæ indiſſolubili uinculo & ſocie tate cum eis copulatæ atq; coniunctæ nunquam moueri deſinent, non mi nus profectò nefas eſt, de animis noſtris idem arbitrari, quum ſint ex illa rum mentium natura & gentilitate. quæ etiam eſt ratio, quamobrem ani mi & ex ſe mouentur, & ſemper mouentur. neq; enim torpent, aut ferian tur, aut interquieſcunt, aut inſiſtunt ullo temporis momento, quin ſemper cogitent, intelligant, contemplentur, imaginentur, meditentur, moliantur aliquid, etiam corpore ipſo ſomno oppreſſo & conſopito. quo tempore ipſe minime dormit animus, ſed uigilans hæc ipſa agit quæ dixi. Quæ om nia tunc longe liberius, facilius, dexterius, melius exercebit, quum corpo ris compagine ac pondere laxatus ſolutusq; erit. Quandiu enim in iſto ueſtro detinetur carcere, in iſtis tenebris, in iſto ſomno, quam uos uitam nominatis, ſarcina corporis obrutus ac preſſus, cibi atq; alimoniæ nebu lis caligineq; offuſcatus, tum cupiditatibus, affectibusq; actus & incen ſus, non poteſt mentis & cogitationis uim ac uirtutem exercere. Hic ue ro quum nec corpore impedietur, quod non habebit, nec cibum ſumet, quo non indigebit, nec affectibus perturbabitur, quîs omnibus excuſſus et purgatus erit, faciet id quod uos in uita ueſtra conſueuiſtis, quū et in tegra eſtis ualetudine, quum ciboſomnoq; non grauamini, & leuati cu-

ris,

ris, negotijsq́; uacui eſtis, tum plublicis, tum priuatis, nec percellimini & conflictamini uel æmulatione, uel cupiditate, uel ira, uel metu: totum uidelicet ſe perquirendis cotemplandisq́; rebus dedet. Hæc omnia Plato quidem ſcripſit, Socrates uero cum Phædro ſuo ad platanum illam nobiliſsimam diſputauit, aliaq́; eódem ſpectantia quàm plurima cum amicis illo diſſeruit die, quo è ueſtra uita innoxius ille, & ſanctus eius animus egrediens, huc ad deos lætus alacerq́; remigrauit. Vt non diſputaſſe eum, ſed uaticinatum eſſe appareat: quemadmodum ſolent ij, qui morti ſunt proximi. Quæ ego poteram quidem preſsius & ſpinoſius, more ac modo ueſtrorum Stoicorum dicere, ſed malui tamen fuſius Platonicam imitari orationem. Ex his itaq; omnibus dilucide planum, ut arbitror, effectum eſt, animum neq; ortum eſſe, nec finem habiturum. Quod ſi ita eſt, ſicut reuera eſt, ne inquines obſecro immortalem ac diuinum, atq; adeò deum, animum tuũ, mortalibus ſordidisq́; curis atq; operibus: meditare ſemper. & age aliquid non abiecto & mortali, ſed Deo ſempiterno dignum: nec te rerum futilium uiliumq́; teneat ſolicitudo, quas omnes negligere te & aſpernari oportet. De ſalute ac tutela patriæ curato: quod opus longe eſt ei qui uniuerſitatem hanc fabricatus eſt principi ac præpotenti deo gratiſsimum, qui animos in humana corpora ſparſit atq; conſeuit, ut eſſent qui terram illam ueſtram colerent ac tuerentur: creatiq́; eſtis natura & ingenio ad ciuilem conciliationem apto, ad incolendas ciuitates, frequentandosq́; conuentus ficto & formato. Isq́; contra naturam pugnare, armaq́; aduerſus humanitatem ſumpſiſſe uidetur, qui ſuæ utilitatis gratia communem utilitatem negligit ac uiolat, ſocietatemq́; humanam diſſoluit: dignus, qui tanquam hoſtis ex illa pellatur, eaq́; ipſi negetur humanitas, quam alijs ipſe denegauit. Illeq́; uere eſt magnus in primis uir, & omni laude digniſsimus, qui commoda ſua priuata commodis totius patriæ poſtponit, mortemq́; cum ſalute & emolumento patriæ, uitæ ſuæ cũ aliquo illius damno præfert. Ideo iure tum in noſtra ciuitate uenerabilis eſt ſanctaq́; memoria L. Bruti, M. Curtij, duorum Deciorum, totidemq́; Scipionum, patris & patrui mei, aliorumq́; complurium, qui pro patria interempti ſunt: tum in hoc templo & illi ipſi, quos modò dixi, & Codrus, & Leonidas, & Themiſtocles, & Meneochus, & Dion Syracuſanus, & fratres illi Carthaginenſes Phileni, ac reliqui permulti partim Græci, partim Barbari, qui mori pro patria non dubitarunt, gradum habent dignitatis honeſtiſsimum. Illæ enim de patria curæ tam ſecundum naturam humanam ſunt, ut ad naturalem hominum locum reuehant: illaq́; ciuitas atq; illæ ueſtræ humanæ leges ad harum cœleſtium exempli

N 2 compo-

compoſitæ,ſeu hinc potius per ſapientes & diuinos uiros in terram deriuatæ, ucros ſuos cultores & ſeruatores ad fontem ſuum locumq; unde ipſæ defluxerunt reducant. Hæc igitur admirabiliter eſt compendiaria in cœlum uia. quæ etiam facilior breuiorq; fiet, ſi animus ueſter tantiſper dum in mortali agit uita, de hac ſubinde cogitarit, ad hanc ſe cōpoſuerit, neq; ſe uoluptatibus corporis, cupiditatibus, libidinibus immerſerit ac operuerit: ſed abducens frequenter ſe à ſenſuum affectuumq; conſortio, primùm corpus egredi uideatur, & à mortuo non admodum differre. Etenim illa quæ à uobis uocatur mors, nihil aliud eſt quàm diſceſſus ac diſſociatio corporis & animi. Tum ita ſuperior ſuo corpore efficietur, ut calcatis primùm humanis rebus atq; deſpectis, quas omnes ad magnum excelſumq; uirum nec pertingere, nec pertinere exiſtimabit (etenim res quidem ita ſe habet) deinceps corpus ſuum ita ſuum faciet, ut totum in manū poteſtatemq; ſuā redigat, eoq; non tanquā charo ſocio, ſed tanquā frugali mancipio utatur. Mox aderit eiuſmodi ſapienti pulchritudo illa interior, qualis nec commemorari, nec credi à malis, turpibus, tetris hominibus poteſt, & concentus ille ſuauiſſimæ harmoniæ audietur in tam diuino uiro, quū interioribus pulcherrimis exteriora cōſonabunt. Quod Socrates à Deo uniuerſæ naturæ uoto petebat. Quid iam ſupereſt homini tam expurgato & perpolito, tamq; agili faciendum: niſi ut ſumptis alis animi duabus: cupiditate ueritatis diuinæ inueniendæ, cupiditate boni diuini nāciſcendi, quandoquidē in ueſtra uita omnia mendacio, tenebris ignorantiæ, tum labe flagitiorū, ſpurcitijs, ſcelerib. ſunt ſepta et cōtecta, ac uelut in profundo puteo, ut dicebat Democritus, demerſa, ita ſeſe leniter pennarū remigio ſublimē attollat, ut quū hucuſq; diuiſo illo craſſo & caliginoſo aëre perruperit, et penetrarit, corpus quod in terra reliquerit, ualere ſinat, ipſe conſortij eius deſiderio nō tangatur, nec ad iſtam ueſtrā uitam curet remeare. Nam ſi uel uoluptatū, uel opum, uel libidinum, uel alicuius ex uitæ humanæ corruptelis, uicijs, ſceleribus, demētijs, memor, id deſiderat ac repetit, magno impetu ad terram deturbatus alas frangit. quod ſi uel ille hic ita iacens, & cœno uolutatus ac inquinatus, uel alius quiuis eodem hærens in luto, eadem contagione infectus, iubetur tunc ab Imperatore mundi è uita quamprimum excedere, non ualet in hæc beatorum caſtiſſima domicilia corpore egrediens aſcendere: tum quia nihil immundum & contaminatum huc poteſt ulla ratione peruenire, tum quia pondus illud terreni cœni abſq; aliquo alarum adiumento non patitur animos ſublimes ferri: deprimit enim nutu & grauitate ſua, deijcitq; ad terram. circa quam multis ſeculis uoluuntur, & iactantur, pœ-

naſq;

nasq; ſui erroris & delictorum dant, alij quidem minores, alij uero maiores, ut ſunt uicia cuiusq;, omnes tamen ingentes & peracerbas. At ſi quorũ tam tetra ſunt fœdaq; ſcelera et facinora impura, ut inexpiabilia ſint, nec elui ac purgari adeò concretæ & infixæ eorum ſordes queant: quales ſunt patriæ, parentum, deorumq; uiolationes, quas cum ſemel ſuſcepiſſent, nunquam illarum eos poſtea pœnituit: hi tanquam cõplorati et cõclamati in tartarũ deijciuntur, unde ad ſuperiora reditus nullis poſtea ſeculis patêre poteſt. Alij qui in minorib. peccatis ſe cõturpauerunt, aut maioribus etiam, ſed pœnitentia acti, uel ignoſcentiã ſupplices petierunt, uel aliquo meliore opere damnũ iniuriamq; quam ipſi fecere compenſarunt & reſarcierunt, ij purgationibus, emundationibus, excoctionibus adhibitis puri, puti, idoneiq; huic diuorum concilio redduntur. Sed ſupplicia quæ interea ſubent tam dura & grauia, tam etiam diuturna ſunt, ut malint quemuis in humana uita dolorem, quamlibet ſiue longum ſiue aſperum & acrem perferre, quàm minimum ex illis cruciamentis, quæ poſt mortem coguntur tolerare. Quod non ignorans ſapientiſsimus uir & iuſtiſſimus M. Attilius Regulus, ut fidem ſuã hoſtibus datam liberaret, retinentibus & ſupplicantibus filijs, cognatis, neceſſarijs, ut ſeipſum ſeruaret, quum ſine iactura ulla dignitatis poſſet, quod ſupererat ſenectutis, molliter & honoratè & in ea Repub. traducere, de qua duobus conſulatibus magnis bellis rebusq; geſtis erat quàm optime meritus, conſtanti et inuicto animo non dubitauit ad ingentes pœnas et cruciatus redire. Quippe qui probe ſciret, maiores ſe poſt uitam daturum, ſi magnũ fidei præſensq; numen uiolaſſet. quæ fides ſocia & indiuidua eſt iuſticiæ amica, ſeu uerius ſoror. Quæ quum ita ſint Publi, ne feſtinato è mortali uita exire, neu tibi ea longa nimis uideatur, quæ tota citius euolabit quàm credas. ſed in ea tanquã in hoſpitio totũ te huic tuæ domui, his penatibus ad quos tibi ueniendũ eſt, para & compone. Neu hoc tam exiguo tempore de uoluptatibus, de libidinibus, delicijs, opibus, honore atq; aura populari cogita, quæ ab inſtituta in has ſedes domumq; auertunt uia. In ijs eſto totus, quæ expeditiſſime & facillime huc reducunt, in iuuanda patria, in benefaciendo tuis primùm ciuibus, deinde cunctis mortalibus. in colenda iuſticia, pietate, fide: in te inſtruendo ac decorando, quum his ipſis, tum reliquis illis ſummis & diuinis uirtutibus, quæ quum à te intellectæ fuerint & cognitæ, ipſæ per ſe ſine ullis gloriæ ſtimulis ad ſeſe pertrahent. additaq; tibi poſtrema ab illis manu omnia tua in te uno ſita eſſe duces: nec opes alias requires, quàm uirtutes, quæ in te erunt. nec ſermonem de te quenquam, præter illum, quem recta tua lo-

quetur conſcientia. cuius unius laude atq; elogio contentus, alia nequaquam expetes. Quæ ſi feceris, ut te facturum confido, neq; uiciorum feci bus ſqualoreq; preſſus circum terram, ut mali & miſeri homines, torqueberis atq; affligêris, & purus expeditusq́; eodem momento corpus tuum exanime in terris iacebit, animus uero tuus ſuæ origini ad immortalē beatiſsimamq́; uitam reſtituetur. Hæc quum dixiſset Scipio, hortati me ambo etiam atq; etiam, ne dicta hæc mihi unquam exciderent, diſceſſerunt. Ego recolens admiransq́; ea omnia quæ uideram, quæq́; audieram, ſtatim ſomno ſolutus ſum.

IOANNIS LODOVICI VIVIS ENAR*rationis Somnij Scipionis Ciceroniani, quæ Vigilia dicitur, Finis.*

Scripta Louanij, 1519. Recognita Bredæ, 1519.

PETRVS IOANNES OLIVARIVS Valentinus inſigni probitate ac eruditione uiro, Gualtero Bochlero Anglo, S. P. D.

QVVM *præteritis dieb. operis ſucciſiuis perfeciſſem, ut meæ uigiliæ iuuentuti Lutetianæ, utilitatis, & nomini meo, quantumuis obſcuro, laudis aliquid afferrent, putaremq́; totum id temporis, quod ferijs profeſſorum datum eſt, ociolo meo, & id quidem meritò dari: ecce repentino quodam ac ſubito conuicio, erudite Bochlere, reuocor in eandem arenam profitendi, & cogor denuò idem uoluere ſaxum. Nam cùm hactenus Scipionis ſomnium, & Melæ geographiam non infeliciter interpretatus fuiſſem, nunc uocant me ſtudioſi aliquot ad hanc Ciceronis de Finibus bonorum & malorum, in utranque partem diſputationem: quam explicandam publicè ſuſcepimus ſubituri hanc aleam noſtræ exiſtimationis, honeſtiſsimorum amicorum impulſu. Fateor geographica mul-*

multum habere uel obſcuritatis, uel erroris: ſed hoc totum philoſophari, habet in ſe quiddam tortuoſum, & planè implicitum, quiddam ſpinoſum certe & ſubtile. in id cum incideris, immenſum profectò aggrederis pelagus, è quo uix enatare poſsit uel Delius ipſe. Hanc igitur controuerſiam, locuplete oratione à Cicerone ſcriptam, quando ad eam impegimus, tepidiore dictione expoſituri, aliquot & illis quidem breuibus illuſtrauimus Annotationibus. Scripſerat ante nos Marſus prolixos commentarios, doctos ſanè, & quibus iuuenum lectio nonnullos habebat progreſſus: ſed quoniam erant pleraq;, quæ ille uel omiſerat, uel ignorauerat, non fuit animus fraudare ſtudioſos hoc fœnore, quod nos ſorti, hoc eſt commentarijs Marſi addideramus. Iecimus itaque aleam, et Annotatiunculas in hos libros de Finibus edidimus, tibiq; Bochlere patrone ſingularis, multis nominibus dicauimus. Primùm, quod ea regione ſis natus, quæ me olim tam honorificè excepit, & exceptum tres annos aluit, quo nomine eidem uel perpetuò debeo. Tum quod eo ſis ingenio, eo ſtudio, ut multa, & illa quidem non uulgaria tibi pepereris. Accedit quoq; utriuſq; linguæ eruditio, quam mirifica ac incredibili diligentia indies prouehis: deinde inaudita illa conſuetudo, qua omnes tibi facilè deuincis: poſtremò probitas illa genuina, quæ te apud Henricum Angliæ regem tam gratioſum fecit, ut poſt Oxonienſem conditionē, qua ille te præteritis annis donauit, iam dignus ſis, quem ad illuſtriora promoueat. Meritò igitur Annotatiunculæ meæ ad te rectà proficiſcuntur, ad te confugiunt, tuum patrocinium expectant. quod ſi ſenſerint, et te nactæ fuerint acerrimum propugnatorem, non erit quòd timeant iſtos λεπτὰς, qui omnia damnant, omnia planè aſpernantur. Pollicentur enim tibi multo maiora de autore. Interim Vale. Lutetiæ, Pridie Non. Septembreis. M. D. XXXVI.

PETRI IOANNIS OLI VARII VALENTINI IN QVINQVE libros Ciceronis de Finibus bonorum & malorum Præfatio.

TOTVS Ciceronis progreſſus, tota intentio, totaq́; horum librorum diſputatio eò ſpectare uidetur, ut quod ſemel in Hortenſio, & iterum in Academicis quæſtionib. dixerat, nunc tertiò, & id quidem magno acumine in his libris repeteret: non eſſe exiſtimans, quod illi uitio debeat uerti, ſe tantam operã, tantumq́; ſtudium in philoſophia poſuiße: & id temporis, quod cauſis forenſibus tractandis datum eſſet, in hoc æquabili ac temperato dicendi genere, non citra eruditiſſimorũ uirorum reprehenſionem collocaſſe, quando temporum iniuria, & ſeculorum infelicitate, feriatus ab ſtrepitu & tumultu Reip. & reuocatus in priſtinam & quietam librorum conſuetudinem, ad eam philoſophiæ partem ſe contuliſſet, quæ excultiſſimis Græcorum ingenijs ornata, Romanis literis, & illis quidem politiſſimis, eius opera illuſtraretur: quod alioqui torrens latini ſermonis ſuo quodam iure ſibi uendicare in Officijs uiſus eſt: iam inde quod hoc donum bene dicendi in primis naturæ, deinde perpetuæ exercitationi acceptum referret. Itaq; hoc nomine inflammatus ad gloriam, tantis conatibus uel maiorem addidit animum, ut ad hæc præſtanda intrepidè, & nihil ueritus ſe accingeret. Huc acceßit ciuium charitas, quorũ ſplendor alioqui magnus, illius induſtria maximum ſuſcepturus eſſet incrementum. Ad hæc cum intelligeret, doctiſſimos Romanos hanc partẽ uel remiſſiore attigiße dictione, uel etiam ieiuno cuidam mandaſſe ſtilo: alios mediocriter eruditos hanc prouinciam recuſaſſe, negaſſeq́; (ſiue quòd tanto negotio impares eſſent, ſiue quòd deterriti tantis laboribus, hoc munus abſoluere minime poßent) huiuſmodi aleam ſubituros: hoc ſibi uel ex officio, uel potius ex ipſa dicendi facultate, aduerſus aliorum ſententiam incumbere exiſtimauit. Cæterum, hoc uno argumento quodammodo ad hæc impelli uidebatur, quòd cùm moleſtè ferret latinas literas adeò inuiſas Romanis, ut non modò apud eos frigerent, uerùm etiam malè audirent: & poſthabitis domeſticis diſciplinis, alienas libentius manibus uerſarent, & uſq; adeò, ut patria ipſa iam nauſeam prouocaret: non potuit diuinum illud ingenium non damnare tam inſolens re-

rum domeſticarum faſtidium, & in familiarem illam, & (ut nonnullis uiſum eſt) importunam erumpere gloriolam, & in hos delicatos meritò ſtomachari. Hinc homini facundiſſimo, nec citra Græcorum inuidiam, iactandi ubique locus. quanquam hanc anſam præbuerant ij, qui hoc totum philoſophari indignum putarent tanto uiro, & tam feliciter in Repub. uerſato: demiſſi atq; deiecti hominis eſſe exiſtimantes, à foro & concitato illo & planè excelſo dicendi genere ad quietum & humilem ſtilum traduci. Quamobrem cum eſſet animus, huiuſmodi cenſores ad patriam beneuolentiam reuocare, omni cura, ſtudio, ac diligentia effecit, ut philoſophia ipſa, quæ hactenus non uſqueadeò politè loqueretur, nunc eo autore prodiret elegantiſſima. Porro quoniam in Academicis de concordia Peripateticorum & Academicorum nonnihil tradiderat, & ſententias philoſophorum in hac parte recenſuerat: reſtabat, ſuis coloribus præcipuas opiniones depingere, in ijs præſertim, quæ ad mores ſpectabant. Atqui inter ea nulla maior eſt cõtrouerſia, quàm illa quæ ad finem bonorum attinet, cum ad eundem finem omnia officia referantur. Quare Cicero more Academico, hoc eſt colloquio eruditiſſimo, in his libris, admirabili uerborum & ſententiarum copia, inaudito quodam fluxu, adeòdoctè de finibus bonorum & malorum diſputat, ut ſit maius quiddam, quàm ut homines quamlibet docti excogitare poſſint. Cæterùm cum eadem illa à Græcis, & illis quidem eruditiſſimis, ſummis contentionibus prodita eſſent: libuit parenti eloquentiæ eorum opiniones in medium adducere. Siquidem in primo Epicuri ſententiam de finibus, ueluti in tabella depictam, & ad uiuum expreſſit. In ſecundo non uulgaribus rationibus eam reijcit, tanquam indignam uel homine philoſopho. In tertio, pari argumento refert, quid ſenſerint Stoici. In quarto contendit, non abſoluiſſe eos ultimum bonorum finem, minus perfectam tradidiſſe felicitatem. In quinto docet, Platonem & Ariſtotelem in hoc argumento idem ſenſiſſe, quod antea præſcripſerat in Academicis.

PRIMI LIBRI περιοχή.

Primus habet præfationem mixtam, ſed quæ magis uergat ad πάθος. quanquàm reuera tota ſit pathetica. Deinde Epicurum uulgarem fuiſſe philoſophum oſtendit, expertem phyſices, et ignarum planè dialecticæ, quippe qui neſciret definire, minus diuidere, quæ ſunt illius artis uel elementa. Tum Epicuri ſententiam graphicè depingit. Poſtremò addit τὴν παρασκευὴν ad eandem confutandam.

IN EVNDEM, PET. IOANNIS Oliuarij Annotationes.

NAM quibuſdam.) Hortenſio, & ijs qui ſe prorſus deuouerant reb. forenſibus. Quidam autem.) in quorũ numero erat Aquilius Gallus. Erunt etiã & ij quidem.) ueluti paulò ante Ciceronem A. Albinus, quem apud Gellium uenuſtè reprehendit Cato, quòd res Romanas græca oratione ſcripſerit. Terentianus Chremes.) in Heautontimorumeno. His igitur eſt difficilius ſatisfacere.) Hinc orditur patheticè. Ennij Medeam.) Non extat Ennij tragœdia integra ex Euripide uerſa, fragmenta duntaxat legimus. Antiopam Pacuuij.) Tragœdia eſt Euripidis, à M. Pacuuio uerſa. Fuit Antiope ex Amazonum genere, Orithyiæ Amazonum reginæ ſoror. Synephebos.) Id eſt, compubeſcentes. Comœdia eſt Menandri, à Cecilio uerſa, quam citat & in primo de Natura deorum, cuius duos Iambicos refert. Andriam Terentij.) Nota eſt comœdia, ſed eandem uertit Cecilius ex Menandro. Male conuerſam.) durè, & ſterili quadam oratione. Nam ſi proprietatem ſpectaſſes, bene uerterat M. Attilius. Licinus.) Imbrex uocatus, poëta lepidiſſimus.

Scriptorem.) Non ex ſcriptore, ut legit Marſus ex Gellio: Eſto, inquit, quòd oratio Attilij dura fuerit, tamen uertit tragœdiam fideliter.

Vtinam ne in nemore.) Principiũ uerſus Enniani in Medea. Verſus iſti citantur ab autore Rhetorices ad Herennium libro ſecundo, & ab eodem Cicerone in lib. de Fato, & tertio de Natura deorũ, & à Quintiliano lib. quinto. uerba ſunt nutricis Medeæ, apud Euripidẽ. ita ille habet,

Εἴθ' ὤφελ' ἀργοῦς μὴ διαπτᾶσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν κυανέας συμπληγάδας,
Μήδ' ἐν νάπαισι πηλίου πεσεῖν ποτὲ
Τμηθεῖσα πεύκη, μὴ δὲ ἐρετμῶσαι χέρας
Ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρος
Πελίᾳ μετῆλθον. οὐ γὰρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ
Μήδεια πύργους γῆς ἐπλεύσ' ἰωλκίδος,
Ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' ἰάσονος.

Familiarem noſtrum Poſsidonium.) In libello de Fato, et primo de Natura deorum uocat præceptorem. Perſius.) C. Perſius. huius meminit Cicero de Claris oratoribus, uocans eum literatum. Scipio.) Is fuit Africanus maior, quem mirum in modũ laudat idem Cicero in libro de Claris oratoribus. Rutilius.) Hunc quoq; adducit in eodem lib. quibus omnibus

bus familiaris erat Lucilius. Albutius.) Titus Albutius, quem Mutius Scæuola Augur repetundarum accuſauit. Græcum te Albuti.) Hi uerſus hactenus erant mendoſi. nam Marſus legebat Tritanni, quem dixit fuiſſe gladiatorem. & Centurionũ pro centurionẽ, κατὰ τὸν ἀρχαϊσμόν. *cum legendũ ſit Ponti, Titi, Anni: pro Pontij, Titij, et Annij. nomina ſunt centurionum Græcorum. & Centurionûm, eſt genitiuus pluralis. Signiferûm,* κατὰ τὴν συγκοπὴν, *genitiuus quoq; pluralis. Sed iure Mutius.) Huius mentionem facit in libro de Claris oratoribus: Iure, inquit, Mutius ridebat Albutium, qui cum eſſet Romanus, uellet dici Græcus.*

In phyſicis.) in philoſophia naturali. Atomos.) indiuidua corpora ſenſu. neque uidentur in radijs ſolis, ut putant nonnulli. Ad lineam.) rectè. Veſuuium.) Veſuuius mons eſt Italiæ, in Campania. His artibus.) Dialectica, Philoſophia, & Geometria. Inuentore ueritatis.) Epicurum indicat. Ceramico.) Quid autem ſit Ceramicus, docet Heſychius, κεραμεικὸς, τόπος ἀθήνησιν, ἔνθα αἱ πόρναι προεστήκεισαν. εἰσὶ δὲ δύο κεραμεικοὶ, ὁ μὲν ἔξω τείχους, ὁ δὲ ἐντός. *id eſt, Ceramicus locus eſt Athenienſium, ubi ſcorta proſtituebantur. ſunt autem duo Ceramici, alter extra muros, alter intra. Et Suidas,* Κεραμεικὸς, τόπος ἀθήνησιν, ἔνθα οἱ ἐν πολέμῳ ἀναιρούμενοι ἐθάπτοντο, ὡς μενεκλῆς καὶ καλλίστρατος ἐν τοῖς περὶ ἀθηναίων συγγράμμασί φασιν οὕτως. *& alio loco,* δύο ἦσαν κεραμεικοὶ, ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω, ἔνθα καὶ τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τοὺς ἐπιταφίους ἔλεγον. *& poſtea,* κεραμεικοὶ δύο τόποι ἀθήνησιν. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ ἑστήκεισαν αἱ πόρναι. *& Diogenes Laertius,* ἦν δὲ καὶ τὸ σωμάτιον εὐτελής, ὡς δῆλον ἐκ τοῦ ἀνδριάντος τοῦ ἐν κεραμεικῷ. *loquitur de corpuſculo Chryſippi. Dictus eſt Ceramicus, quia in eo loco Calcoſthenis figuli officina fuit. in Ceramico ſuburbano erat ſtatua Chryſippi ſedentis. huius loci idem Cicero meminit ſecundo de Legibus. Num quid nam manus tua ſic affecta.) Syllogiſmus eſt cornutus, ceratinus, aduerſus Cyrenaicos directus, qui medium quiddã inter dolorem & uoluptatem ponebant. ſed nihil ad Epicurum, qui nullum uult eſſe medium inter uoluptatem et dolorem. Huiuſmodi ceratinas argumentationes proponebat Chryſippus. Talis eſt illa apud eundem Laërtium,* εἴ τίς ἐστιν ἐν μεγάροις, οὐκ ἔστιν ἐν ἀθήναις. ἄνθρωπος δέ ἐστιν ἐν μεγάροις, οὐκ ἄρα ἔστιν ἄνθρωπος ἐν ἀθήναις. *Qui eſt Megaris, non eſt Athenis: homo eſt Megaris, igitur homo non eſt Athenis. ſyllogiſmus cornutus. Seruata illa, quæ quaſi delapſa de cœlo eſt, ad cognitionem omnium regula.) Id eſt, ſenſuum cognitione, ex qua uniuerſa cognitio iudicio Epicuri pendebat. Tria uix amicorum paria reperiun-*

O 2 *tur.)*

nij fragmenta duntaxat: bona pars comœdiarum Plauti interijt: Neuij, uel aliquot uerſus habemus: Pacuuij multa citantur, ſed nihil eſt integrum. Iam Cæcilij, Accij, Lucilij, Turpilij, Matij, Afranij, Dorſenni, Attilij, Aquilij, Licinij, & Nouij, ſolùm umbram nouimus. Nam ex Terentianis comœdijs ſex ægrè habemus. Id dixerim, quod Marcus Tullius ſæpe adducit, iſtorum uerſus, quorum cum opera non uidimus, non poſſumus citare Comœdias. Inter illum qui dicat, tanta lætitia auctus ſum, ut mihi non conſtem.) Iambicus eſt, non ipſius Epicuri, ut ſentit Marſus, nuſquam enim legitur Epicurum carmen ſcripſiſſe: ſed alterius cuiuſdã poetæ comici. Nunc demum mihi animus ardet.) Marſus dicit eſſe Plauti, at ego nuſquam legi apud Plautum. Nam illum uocat comicũ poëtam: ſi extarent omnes illius comœdiæ, citaremus et autorem & comœdiam. alioqui non libet, nullo argumento quicquàm aſſerere. Hoc anapæſto.) Anapæſtus eſt apud Plautũ in Amphitryone, uolupe, Volupe eſt mihi.. Edant de patella) Marſus ad uas religioſum hæc refert, ſecutus Sextum Pompeium, qui patellas uocat uaſcula picata parua, ſacrificijs faciendis apta. Locum tamen apertius indicat Varro apud Nonium Marcellum. uerba ſunt Varronis in Manio, Quocirca oportet bonum ciuem legibus parêre, & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας, id eſt paruam carnem. in eos dictum eſt hoc loco, qui uſq; adeò contemnunt ſacra, ut edant de patella, quæ ſacris admouebatur. Iam abijt in prouerbium, aduerſus eos qui religionem nihili faciunt. Ex Hymnide.) Cæcilij eſt comœdia. uerſus autem iſte nuſquam alibi extat, neque apud Nonium, ubi agit de Luculentitate, quod falſo exiſtimauit Marſus. Tanquam de narthecio.) Factum eſt adagium. νάρθηξ Latinis eſt ferula, ſpecies fruticis, habet lignum pro cortice, & medullam pro ligno, calamum habet fungoſum. Heſychius, νάρθηξ εἶδος φυτοῦ, καλαμοειδοῦς, ἐλαφροῦ. Galenus octauo de ſimplicibus medicamentis, de qualitate fruticis duntaxat agit. Olim his calamis latis ſeruabantur medicamenta. calamus ille uocabatur ναρθήκιον. Seruabatur etiam ignis. hinc fabulæ, Prometheum ferula ſurripuiſſe ignẽ. Heſychius, παρέσον τῷ νάρθηκι ἐχρῶντο πρὸς τὰς ἐνζωπυρήσεις τοῦ πυρὸς, ὅθεν καὶ τῷ Διονύσῳ εἰκείωσαν αὐτόν & paulo pòſt, καὶ διότι θερμὸς ἐστι φύσει ὁ οἶνος. Hermolaus in Corolarijs Dioſcoridi additis, ait unicum ferulæ aptum ſenectuti. eo enim fulcitur ſenectus ob leuitatem. Qui ſolem, ut aiunt.) Adagium eſt notiſſimum. His omnibus exquiſitis uitantis cruditatem.) Legendum eſt uitantes. Cui nihil deſit.) Legendum, nihil dum ſit. alij Dempſit ius & ſacculos. Sacculus crumena eſt. ſenſus eſt apertiſſimus. Adhibentis ludos) Legendum,

adhibentes. Orichalcum,locus ipſe,ædificium.) *Marſus neſcio quid nugatur.ita enim legit,Aut deliacum, atrilicium,locus ipſe: in quibus uerbis torquet ingenium ſuum uir eruditus.* O Lapathe.) *Verſus ſunt Lucilij, in quibus inducit Lælium clamantem aduerſus guloſos, & uentri deditos. Marſus lapathium herbam uocari intelligit, cum dicitur ô* Lapathe.*id quod* Cicero *poſtea indicat.* Gumas.)*ſiue Gumias, apud Feſtum ingluuioſos.* Squilla.) *Piſcis eſt paruus, ore coit. Plin. libro 9. capite 51.* Accipenſere.) *Ariſtoteles ſecundo libro περὶ ζώων ἱστορίας, hunc piſcem dixit habere branchias quatuor ſimplices: ita ille habet, οἱ δὲ τέτταρα ἐφ᾽ ἑκάτερα ἁπλᾶ, οἷον ἔλλοψ.* Ellopa *uocat accipenſerem. Plinius lib. nono capite 17. Apud antiquos,inquit, piſcium nobilißimus habitus accipenſer,unus omnium ſquamis ad os uerſis,contra aquã nando meat.nullo nunc in honore eſt,quod quidẽ miror,cùm ſit rarus inuentu.* Honos præſtandus.) *Melius, Præfandus.* Decumano.) *maiore. hinc eſt, quòd in caſtris decumana porta maxima erat.* Addebat ſe etiam in legẽ Voconiam iuratum.) *Lex Voconia ſanxit,ne uiri ditißimi hæredes filias relinquerent, autor eſt Pædianus Aſconius. Hanc legem ſuaſit Marcus Cato Cenſorius, apud Ciceronem in Catone maiore, & apud Gellium.* Potantem in roſa Thorium.) *Hic locus torſit me. dicã quod ſentio. Thorius uoluptatibus deditißimus roſeta quærebat, in quibus perpotaret. potat in roſa Thorius, cum inter roſas potat.* Puteolis.) *Nota ciuitas Campaniæ. Latius nos in Annotationibus quas Pomponio Melæ adiecimus. nunc uocatur Puzoli.* Non minor in naſturcio illo,quo ueſci Perſas eße ſolitos ſcribit Xenophon.) *Xenophon in Cyri Pædia ita habet,* Καὶ ὅτι οὐ παρὰ μητρὶ σιτοῦνται οἱ παῖδες, ἀλλὰ παρὰ τῷ διδασκάλῳ, ὅταν οἱ ἄρχοντες σημήνωσι. φέρονται δὲ οἴκοθεν, σῖτα μὲν, ἄρτους, ὄψον δὲ, κάρδαμον. *Naſturcium Græci uocant κάρδαμον, eo quòd cor iuuet. Dioſcorides libro ſecundo, capite centeſimo quadrageſimo quarto, ualere aduerſus uenena aſſerit. quod & Nicander in Theriacis refert. ita ille habet,*

Εσθλοῦ ἀβροτόνοιο δύο κομόωντας ὀράμνος,
Καρδάμῳ ἀμμίγδην, ὁ δελῦ δὲ οἱ ἄισιον ὀλκήν.

Galenus libro ſeptimo de Simplicibus medicamentis, naſturcium dicit eße cauſticæ facultatis, & calidißimæ. Quam in Syracuſanis menſis.) *Potuißemus in hunc locum ſpaciari. ſed quoniam Eraſmus Roterodamus multis nominibus clarißimus, in Chiliadibus fuſißime adagium explicat,illuc remitimus Lectorem.* Quod eiulare quæſtu.) *Verſus ſunt Accij poëtæ de Philocteta. fuit is Pæantis filius,cui Hercules,cũ in numerum*

rum reciperetur deorum, arma in Oeta monte reliquit. hic caſu Lerneæ ſagittæ uulneratus, ſummis cruciatibus uitam egit. Lemnium ſaxum.) In Lemno inſula, ubi grauiter uulneratus iacuit Philoctcta. eſt enim Lemnos inſula maris Aegei. ibi Philoctcta clamoribus flebiles uoces referebat: hoc eſt, echo. Apud Mantineam.) Ciuitas fuit Arcadiæ, in medio Peloponneſi. Heſychius, μαντινέη πόλις ἀρκαδίας. Hæc eadem uerba refert Stephanus de Vrbib. In Thermopylis.) Thermopylæ ſunt in aditu Pelopõneſi. Sparta.) In media Pelopõneſo, dicta quoq; Lacedæmon.

Menſe gamelione.) Eſt hic menſis ſacer Iunoni. Heſychius, γαμηλίων ὁ τῶν μηνῶν τῆς ἥρας ἱερός. eſt quidẽ ſacer Iunoni, quòd Iuno præſit nuptijs. Ianuarius eſt latinis. Theodorus περὶ τῶν μηνῶν, ſecundum menſem dicit eſſe poſt ſolſtitium hyemale. hæc uerba recenſet Theophraſtus in hiſtoria Plantarum, τοῦ δὲ δευτέρου πάλιν μεθ' ἡλίου τροπὰς χειμερινὰς τοῦ γαμηλιῶνος μηνός. Helleſponte iuncto.) nauibus ordinatim diſpoſitis. Athone.) Athon mons eſt Pomponio Melæ, Thraciæ: alijs Macedoniæ, facit peninſulam. hunc montem perforauit Xerxes. Maria ambulauißet.) Refertur ad Helleſpontum. Terramq; nauigaſſet.) Refertur ad Athonem montem perforatum. Hymetto.) Mons erat Atticæ, abundans melle.

LIBRI III περιοχή.

Tertius Vticenſem habet Catonem, referentem, ſiue recenſentem ex Stoicorum ſententia, honeſtum, finem eſſe bonorum, & turpe malorum. Itaque Stoici nihil tribuentes bonis corporis, ſola animi bona exiſtimant ad ſummã felicitatem atinere. Ea duplicia faciunt, aut naturâ, aut ſola æſtimatione, quam ipſi ἀξίαν uocant. ita ut id bonum dicatur, quod dignum eſt æſtimatione: contrà malum, quod dignum eſt inæſtimatione, hoc eſt dignum quod non æſtimetur.

IN EVNDEM ANNOTATIONES.

Ephippium.) Ephippium eſt inſtrumentum, quo in equis ſedemus, ut in Pandectis ſentit Budeus. Acratophoris.) Id eſt, urceolis. καταλήψεις.) compræhenſiones. καθῆκον.) decens, conueniens. Maris Aegei.) ab Helleſponto uſque ad ſinum Megaricum, dicitur mare Aegeum, nunc Archipelago. Stilla.) gutta eſt, quæ ſtillando cadit. Muriæ.) Muria, aqua ſalſa, piſcibus & ſalſamentis apta. uulgo ſalmorra.

Teruncij.) Eſt enim teruncius, ex Varrone, quarta pars libræ, tres uidelicet unciæ. At illa quæ in concha patula pinna dicitur, iſq; qui enat è concha, quiq; eam cuſtodiat, pinnotêres uocatur.) Pinna concha

eſt.

eſt. huius naturam refert Plinius lib. nono, cap. quadrageſimo ſecundo: Concharum, inquit, generis & pinna, naſcitur in limoſis, ſubrecta ſemper, nec unquam ſine comite, quem pinnotêren uocant, alij pinnophylacen. is eſt ſquilla parua. alibi cancer, dapis affectator, pandit ſe pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piſcibus præbens, aſſultant illi protinus, & ubi licentia audacia creuit, implent eam, hoc tempus ſpeculatus cancer leui morſu ſignificat, illa ore compreſſo quicquid includit exanimat. hæc ille. De formicis, apibus, & ciconijs, omnia ſunt notiora, quàm ut egeant annotationibus. Dictiones græcas huic libro inſertas, quoniam erant uerſæ à Cicerone, nos prætermiſimus.

LIBRI IIII περιοχή.

Quartus apertè docet, Stoicos, tametſi partem extremi bonorum attigerint, non tamen abſoluiſſe beatam uitam. Diſſeruerunt de bonis animi, quæ partes ſunt fœlicitatis: cæterum bonis corporis nihil tribuerunt. Ridiculum eſt dicere, bona animi in ipſo deliteſcere, nec ullum dare ſpecimen probitatis. Frigent enim bona animi abſq; bonis corporis. Quare dicere, fœlicitatem & extremum bonorum in ſola uirtute poſitum, nec quicquam tribuere rebus externis, eſt planè conijcere ſummum bonum in uincula, unde nunquam ſit emerſurum.

IN EVNDEM ANNOTATIONES.

Qvum ego te hac noua lege.) *Bene noua lege, nam tempus orandi præſcriptum erat oratoribus. id erat duarum horarum, ad clepſydram.* De ſpinis uellentium, ut Stoici.) *Lege, nec more hominum uellentium ſpinas, ut Stoici, nec oſſa nudantium.* Nec oſſa nudantium.) *Tropus eſt. nam quemadmodum oſſa nudata dicuntur, quando nullam habent carnem: ita oratio Stoicorum nuda eſt, et ſterilis ſine ornatu.* Vt Circeis qui habitet.) *Oppidum eſt in promontorio quodam Latij.* Num quinta quædam natura.) *Cœlum intelligit: quæ apud Zenonem ignis erat.* Apud eos copiam exilem.) *hoc eſt, Stoicos.* Apud illos uberrimam.) *Illos, hoc eſt Peripateticos.* Quamq; multa ab his.) *Ab Ariſtotele in libris de Hiſtoria animalium, & à Theophraſto in libro de cauſis plantarum.* Phidias.) *Phidias Athenienſis fuit ſtatuarius inſignis, floruit autem Olympiade 83. Plinius libro 34. Naturalis hiſtoriæ.* Zenulus.) *Zenonem intelligit, quia paruo & gracili fuit corpore.*

LIBRI V περιοχή.

Quintus, ſententiam Ciceronis habet de Finibus. ille enim cum Platone ſentit, & Ariſtotele, qui finem bonorum in animi & corporis bonis con-

cōſtituebant, extremū bonorum præcipue collocabant in uirtutibus: ſed interea nonnihil tribuebant primigenijs naturæ, bonæ ſcilicet ualetudini, & membrorum integritati, & ſenſuum optimæ diſpoſitioni. Ergo quando præcipua eſt uirtus, quæ ſine corporis bonis friget, meritò ſummum bonum collocarunt Academici & Peripatetici in bonis animi & corporis.

IN EVNDEM ANNOTATIONES.

QVod Ptolemæum.) Locus eſt Athenarum Ptolæmeum, dictum, ut refert Pauſanias, à Ptolemæo conditore. Dipylon.) Dipylum porta Athenienſis. Coloneus ille locus.) Locus erat in littore, Neptuno equeſtri & Mineruæ ſacer, in quem locum, autore Pauſania, uenit primum Oedipus. Sophocles eo ſeceſſu delectatus eſt, & in eo tragœdiam fecit, quam Oedipum Coloneum appellauit. Metapontum.) In Italia, in ea parte quæ Calabria dicitur, olim regio illa dicta Magna Græcia. ἐξωτερικόν.) externum, & in quo ageretur de rebus phyſicis & rhetoricis argumentationibus. Aut ille apud Terentium.) Menedemus in Heautontimorumeno. Homerus quæ de Syrenum cantibus.) Verſus ſunt Homeri 12. Odyſſeæ. Alueolum.) Quadratam tabulam intelligit, in qua uel latrunculis ludere ſolemus, uel paruis orbibus, adhibitis teſſeris. Circulos aliquot, & ſemicirculos.) Loca indicat circularia, in quibus ſolent homines confabulari, recreandi animi gratia: ſiue hominum cœtus in orbem coactos, ut garriant. Præclarè Plato.) In dialogo de philoſophia. Vrbis conſeruatorem Codrum.) Athenarum hiſtoriam lege apud Trogum. Erichthei filiæ.) Immolatæ fuere Proſerpinæ à patre, laborantibus Athenis peſte. Ego ſum Oreſtes: contraq; ab altero, imò enimuero ego ſum, inquam, Oreſtes.) Verſus tragœdiæ Pacuuij, quæ inſcribitur Oreſtes. Conturbato errantiq; regi.) Thoanti. hunc enim Pylades & Oreſtes interfecerunt. Optimum uirum.) Scipionem Naſicam.

ANNOTATIONVM IN LIBROS DE FINIB. IO. PETRI OLIVARII, FINIS.

IN TVSCVLANARVM QVAESTIONVM LIBRVM PRIMVM Iani Pagnini Scholia.

DE MORTIS *contemptu toto hoc primo libro* M. Tullius *ſapientiſsime atq; doctiſsime diſputat, idq; ex ueterum philoſophorũ ſententia, maxime Stoicorum, ut non eſſe horrendam, præcipue homini ſapienti, mortem, cum argumentis, tum exemplis euincat. Tuſculanas autem quæſtiones inſcribere libuit, ab eiuſdem nominis uilla, quæ Syllæ prius, poſtea Ciceronis fuit: quemadmodum ab Academia Platonis, Academicæ quæſtiones ſunt appellatæ.* Defenſionum.) *Ita etiam appellari, quæ in* Verrem *et alios ab eo ſunt ſcripta, quàm accuſationes, mauult, quod pro* Reipub. *& bonorum defenſione in malos ſemper inuectus ſit.* Et boni *uiri (quem eſſe oratorem oportet) defendere magis, quàm accuſare, eſt proprium: unde etiam patroni appellatio. Cæterum fori ac ſenatus negotijs per ciuilium bellorum tempora nonnihil intermiſsis, ad philoſophiæ ſtudia ſe rurſum applicuiſſe ait.* Omnia noſtros.) *Sic etiam* Plinius *omnib. alijs gentibus* Romanos *præfert: Gentium in toto orbe præſtantiſſima una omni uirtute haud dubie* Romana *extitit. idem* Cic. *in proœm. de* Finib. *Mores & inſtituta.*) *De his uide apud* Valer. *proprio titulo.*

De re militari.) *Hæc, ut alibi ait Cicero, nomen populo* Rom. *hæc urbi æternam gloriam peperit, hæc orbem terrarum parêre huic imperio coëgit, &c.* Doctrina Græcis.) *Idem in oratione pro* L. Flacco. Liuius.) *cognomento* Andronicus, *uetuſtiſsimus poëta, qui primus latinè comœdiam ſcripſiſſe fertur.* In Originibus.) M. Portij Catonis *opere, ſic inſcripto, cuius fragmentum duntaxat ad noſtra tempora peruenit. De his* Cicero *in* Bruto: *Iam uero* Origines Catonis, *quē florē, aut quod lumen eloquentiæ non habent?* In epulis.) *inter epulas, in conuiuio.* Huic generi.) *poëtis, ſiue poëticæ.* M. Nobiliori.) M. Fuluius Nobilior *cognomento, cuius res geſtas* Ennius *celebrauit, donatus ob hoc ipſum ciuitate à filio huius* Q. Ful. Nobiliore. Quod pingeret.) *Hinc* Pictoris *cognomentũ* Fabiorum *familiæ. Scripſit hic etiam annales, quorum fragmentum etiamnum extat.* Polycletos, Parrhaſios.) *Fuit uterque clariſs. hic pictor, ille ſculptor: de quibus ſæpe apud* Plinium. Honos

nos alit artes.) Prouerb. ad quod alluſit Martialis: Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones, Vergiliumq́; tibi uel tua rura dabunt. Et Val. Max. Virtutis, inquit, uberrimū alimentū eſt honos. Neruorum.) chordarum, quæ fiunt ex neruis. Fidibus ceciniſſe.) luſiſſe cithara. Themiſtocles.) Idem Quintilianus lib. 1. Mathematicis.) Hoc nomine aſtronomiæ, arithmeticæ, geometriæ, muſicæ peritos intelligunt. Gracchos.) Tiberium & Caium. Nec ullum habuit lumen.) id eſt, eloquentia caruit. Et pulchre perſiſtit in metaphora, latuit, et illuſtranda. Occupati.) in Repub. & forenſibus adhuc uerſantes. Ocioſi.) ocium iam liberius nacti. Illa.) oratoria. Motus Socratis gloria.) Hinc celebratur illud, αἰσχρὸν σιωπᾶν καὶ ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν. Prudentiam.) philoſophiam. Græcorum more.) Illorū enim induſtria excitati Romani, cœperunt etiam ipſi ad eloquentiam adijcere animum. itaq; etiam declamando, & diſputando in ſcholis, illorum more, ſe exercere inſtituerunt. Senilis declamatio.) philoſophia. Sedens.) Socratis more. Ambulans.) more Ariſtotelis. unde Peripatetici dicti. Scholas.) id eſt diſputationes quinque dierū ſpacio à nobis habitas. nam inde nomen habet ſchola, quod in ea liberalibus ſtudijs uacare ſoleant: ſiue (ut Auſonius inquit) iuſta laboriferis tribuantur ut ocia Muſis. Socratica ratio.) ea paſſim ex Platonis dialogis liquet. Veriſimilium.) Ita Academici nihil certò comprahendi affirmabant: quodq́; maxime eſſet ueriſimile, id ſolum eſſe amplectendum docebant. Quaſi narretur.) Dialogiſmo ſe expoſiturum illa inquit, ita enim fore magis ut eluceſcat uerum. Malum mihi.) Propoſitio. Introducit autem Atticum, quæſtiones uelut diſcipulum magiſtro proponentem, ad quas ipſe reſpondet. Malum, ergo miſerum.) Stoicorum dogma, qui tamen mortem ἀδιάφορον ponebant.

Tibi conſtare.) conſtanter id quod ais, affirmare uis. Semper.) et præterito tempore, & futuro. Miſeriæ finis in morte.) Sic Lucanus, Mors ultima pœna eſt, Nec metuenda uiris. Et Cæſar apud Salluſtium, mortem ærumnarum requiem eſſe in miſerijs ac luctu ſtatuit. Num te illa terrent.) Ex Pythagoræ opinione, cuius apud Ouidium hæc ſunt uerba: Quid Styga, quid tenebras, quid nomina uana timetis, Materiem uatum? Et Seneca ad Mart. Luſerunt, inquit, iſta poëtæ, & uanis nos agitauere terroribus. Cerberus.) canis triceps, Erebi cuſtos. De hoc, & alijs, uide Vergil. in 6. & Ouidium in 4. Cocyti.) fluuij infernalis, à luctu dicti. Acherontis.) fluuij item infernalis, triſtitiam ſignificantis, quem traijcere Charontis cymba manes finguntur. Tantalus.) Horatius: Tantalus à labris ſitiens fugientia captat Pocula. Ouid.

Tibi Tantale nullæ Deprenduntur aquæ.etc. Siſyphus.) *Aut petis aut urges ruiturum Siſyphe ſaxū.* Hilum.) *id eſt, ne tantillum quidem proficit. prouerbialis forma.* Hilum *enim eſt, quod fabæ grano adhæret. unde nihili eſſe dicitur, quod ne hili quidem eſt.* Minos, Rhadamanthus.) Duo *iudices apud inferos, quibus tertium adiungunt* Aeacum. Verg. *Quæſitor* Minos *urnam mouet. &, Cnoſius hæc* Rhadamanthus *habet, duriſſima regna, &c.* Apud Græcos.) *Fuerunt enim Græci homines, iudices illi. Commemorat autem nobiliſſimos oratores, quos etiam in lib. de* Oratore *loquentes introducit, quorum tamen patrocinio placari iudices illi infernales nequeant, neq; magis ſi* Demoſthenem *quis græcæ eloquentiæ columen adhibeat.* Max. corona.) *In maxima circunſiſtentium multitudine.* Philoſophorum.) *In primis* Platonis, *& ſectatorum eius.* Quis enim tam excors.) *Eadem ſententia illud à* Iuuenale *refertur, Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna, Nec pueri credunt niſi qui nondum ære lauantur.* At uero nuſquam.) *Animum interire cum corpore,* Epicureorum *ſententia aſſerit. Subinfert autem, miſeros eſſe non poſſe, qui nuſquam ſint. eſſe enim hæc inter ſe pugnantia. Miſeria enim abſque ſenſu non eſt.* M. Craſſum.) *Huius opes in prouerbium abierunt.* Porta Capena.) *Volunt* ἀπὸ τῶν καπῶν, *id eſt à ſepulchris dictam eſſe.* Pronunciatum.) *Alibi effatum, profatū, et proloquium* Varroni. Quid poteſt in uita.) Lucret.

Eſt metus ille foras præceps Acherontis *agendus,*
Funditus humanam qui uitam turbat, ab imo
Omnia ſuffundens mortis nigrore, nec ullam
Eſſe uoluptatem liquidam puramq; relinquit.

Calcem.) Prouerbialiter, *metam, terminum.* Epicarmi.) *poëtæ* Siculi, *ad cuius exemplar* Plautum *properare,* Flaccus *teſtatur.* Emori nolo.) *Quaſi diceret, mortem quidem horreo, idq; natura: uerum ubi fuero mortuus, nihili amplius faciam, quia nullus ero.* Spinoſiora.) *Quia ex* Stoicorum *ſententia, quorum alibi dumeta appellat. & in tertio de* Finibus, *ſpinoſum et tortuoſum diſſerendi genus iiſdem attribuit.* Aueo.) *cupio.* Continentē.) *perpetuā, ſine interpellatione.* Pythius.) *à loco, qui &* Delphi, *unde etiam* Delphius: *ſiue à* Pythone *ſerpente ſagittis necato, qui eo loci computruerit: ſiue* ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, *ab interrogando. Erat enim celeberrimum eius oraculum, ut in prouerb. etiā abierit.* Cic. *in epiſt. ad* Brutum: *Hæc ex oraculo* Apollinis Pythij *edita tibi puta: nihil poteſt eſſe certius.* Vltra enim.) *Rurſus* Academico *more ſe probabilia tantum ſecuturum ait: & aliorum, qui certam ſibi de*

rebus

rebus cognitionem uendicabant, arrogantiam notat. Tu ut uidetur.) Facito, ut lubet. *Mors igitur.) Orditur à definitione. Sunt qui diſceſſum.)* Sic Plato. *Sunt qui nullum.) ut* Epicurei. *Diu permanere.) ut* Stoici. *Alij ſemper.)* Platonici. *Naſica ille prudens.) Eadem de hoc in* Bruto, *& de* Aelio *lib* 1. *de* Orat. *Porro uarias de anima & animo philoſophorũ opiniones recenſet* Ariſtot. *lib.*1. *de* Anima. *Catus.) acutus* Sabinis, *& ſapiens.* Empedocles.) *Agrigentinus philoſophus, de quo* Laertius. *Sanguinem.)* Hinc poëta, *Purpuream uomit ille animam.* Pars cerebri.) *Sic* Plin. *quoque.* Ariſtoxenus.) *Hanc opinionem refellunt* Ariſtoteles *&* Lactantius. *Harmonia.) diuerſarum uocum concentus.* Cieri.) *moueri.* Pythagoræ.) *Qui numeris omnia conſtare aſſerebat. Fuit autem* Xenocrates *Platonis diſcipulus, de quo uide* Laertium. *Plato triplicem.) in* Timæo. *Phthiotam.) è* Phthia, *quæ urbs* Helladis *fuit,* Achillis *quoq; patria. A'* Deucalione.) *qui in ea* Græciæ *parte etiam regnaſſe dicitur. Platonem ſemper excipio.) Paßim enim magni fit à* Cicerone *Plato, quem interdũ diuinum, interdum philoſophorũ deum appellat.* Entelechiam.) *De huius uocis intellectu cum inter doctißimos etiam controuerſia iactetur,* Politianum, Budæum, *alios, ad eoſdem lectorẽ relegamus. Leuibus & rot. corpuſculis.) atomis: ita enim uocabat. Verum huius opinionem refutat* Cic. 2. *lib. de* Nat. deor. *Si anima.) ſpiritus, aut aër. alludit enim ad* Græcũ ἄνεμος. *Reliquorum.) qui animã immortalẽ aſſerunt. Eius librũ.) Hic* Plat. *liber* Phædon, *ſiue de immortalitate inſcribitur. Quod in omnibus cauſis.) Magnorum enim uirorum autoritas pro ratione eſt, teſte* Fabio. *Antiquitate.) ſ. uti poſſumus: cuius tanta eſt autoritas, ut in eam inquirere ſcelus eſſe putetur. Quo propius aberat.) quo erat uicinior condito mundo, ac rerum origini. Caſcos.) Sabinum uerbum eſt. unde prouerbium,* Caſcus caſcam ducit. *Funditus.) prorſus, metaphora. Pontificio.) Quod à* Numa *ortum habere dicitur. Hæſiſſet.) perſuaſum fuißet.* Romulus *in cœlo.) De huius apotheoſi* Liuius, Plutarchus, Ouidius, *alij. Prolapſus ad nos.) Nam &* Romani Herculem *colebant, ſacris ei græco ritu à* Romulo *inſtitutis, teſte* Liuio.

Vſq; ad Oceanum.) Atlanticum, *ubi religioſiß. colebatur* Hercules *apud* Gades. *Liber de* Semele.) Bacchus Iouis *ac* Semeles *filius,* Liber *ideò dictus, quia uini deus, quo animus liberatur curis: uel à libertate linguæ, qua bene poti ſolẽt uti: uel quia libertatis deus ueterib. habitus. etc.*

Tyndaridæ fratres.) Caſtor *et* Pollux, Iouis *ex* Leda Tyndaro *nupta filij. Adiutores in prælijs.) ut in pugna ad lacũ* Regillũ, *de quo* Diony

ſius in 6. *Nuncij.) ut uictoriæ* Pauli Aemylij, *de* Perſa Maced. *rege ſuperato & capto.* Ino.) De hac uide Ouid. Metamorph. lib. 4.

Leucothea.) Ouidius in Faſtis,

Leucothoë Graijs, Matuta uocabere noſtris.

Maiorum gentium dij.) primores ætate & cultu, duodecim numero, quos Ennius *hiſce uerſibus complexus eſt:*

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. *Alij præter hos, minorum gentium ſunt dicti.* *Demonſtrantur ſepulchra.) ut* Iouis *in* Creta, Herculis *in* Oeta monte, Bacchi *in* Nyſa, *&c.* *Initiatus myſt.) ſacrorum ritum edoctus, etiam arcanorum, quæ myſteria uocantur.* *Phyſica.) eam philoſophiæ partem, quæ naturam rerū & cauſas inquirit.* *Viſis.) phantaſmatis.* *Deorum opinio.) perſuaſio de dijs.* *Quæ poſt mortem.)* Sic Plin. *Vni animantiū luctus eſt datus, uni ſuperſtitio, uni ſepulturæ cura, atq; etiam poſt ſe de futuro.* *Serit arbores.)* Eadem hæc repetuntur in lib. de Senectute. *Statius.)* Cecilius, *poëta comicus, cuius extabat fabula* Synephebi, *hoc eſt ſimul pubeſcentes, inſcripta. à duorum adoleſcentum argumento, quos* ἐφήβους *Græci uocant.* *Baccam.) fructum.*

Quid procreatio.) Diuerſis *argumentis probat, tacitam quandam de animorum immortalitate inſitam eſſe hominibus perſuaſionem, natura: quaſi talium rerum curam nemo ſit ſuſcepturus, niſi ſenſum aliquem ſupereſſe earum etiam poſt mortem exiſtimaret.* *Teſt. diligentia.) diligens illa quæ in faciendis teſtamentis adhiberi ſolet cautio.* *Sep. monumenta.) quæ ſepulchris memoriæ conſeruandæ cauſa adhibentur.* *Elogia.) præconia, cuiuſmodi teſtamentis adijci ſolent: ut illud apud* Senecā *in locupletis negociatoris teſtamento formoſæ cuiuſdam elogium,* Quia pudicam comperi. *Ad homines iuuandos.)* Nemo *enim ſibi naſcitur ſoli, ſed ortus noſtri partem ſibi patria, partem parentes, amici, &c. uendicant, ut alibi* Cicero *ait.* *Abijt ad deos.)* Exemplis *partim externis, partim domeſticis probat, immortalitatis tantum propoſito pericula ſubiri.* *Themiſtocli.) clariſſ.* Athenienſium *duci, ut* Epaminondæ Thebano. *Mihi.) Reſpicit ad conſulatum ſuum, quo pari difficultate ac ſtudio* Catilinariam *coniurationem oppreßit.* *Aſpicite ô ciues.)* Epitaphium Ennij, *quemad. & quod ſubiungit.* *Affecerat gloria.) immortales ſcriptis ſuis fecerat.* *Volito.)* Immortalitatem *ſe quoq; confectum ait.* *Phidias.) ſculptor, ſiue ſtatuarius nobiliſſimus, cuius multa apud* Plinium *mentio.* Verum *quod ad hunc locum attinet, uide apud* Valerium Maximum *capite de Cupiditate gloriæ.* *Quid noſtri philoſophi.)*

phi.) Idem dicit in oratione pro Archia. *In terram enim.*) Argumentũ ab etymo inferorum. *Conſeſſ. theatri.*) frequentia hominum, dum in theatro recitant, & ſpectandas exhibent fabulas ſuas poetæ. *Adſum.*) Videtur ex Euripidis Hecuba translatum. Νέκυα.) mortuorum fabula, ſiue manium euocatio, de qua Odyſſeæ λ. *Necromantia.*) diuinatio per mortuos facta. Cæterum Appij illius meminit etiam de Diuinatione. *Auerni lacus.*) non procul Cumis. de hoc Vergilius in ſexto. *Has tamen imagines.*) Deridet magicæ uanitatem.

Syrus.) ex inſula Syro, Cycladum una. *Meo gentili.*) Seruio Tullio: quem gentilem ſuum ideo uocat, quia eodem ſecum Tullij nomine uocaretur. Quanquam non deſunt, qui Ciceronis etiam genus ad regem Tullium referant. *Magnam Græciam.*) Ea propriè Italiæ pars, quæ eſt à Tarento Cumas uſque. Iuſtinus lib. 20. Alijs tota Italia. Ouidius in Faſtis,

Itala nam tellus Græcia maior erat.

Numeris, aut deſcriptionib.) mathematicis demonſtrationibus, præcipue arithmeticis & geometricis. *In Italiam ueniſſe.*) nempe poſt obitum Socratis. *Architam.*) inſignem mathematicum, Tarentinum, ad quem extant etiamnum Platonis epiſtolæ. *Timæumq́.*) quem tanti fecit, ut eius nomine etiam Dialogum ediderit. *Idem quod Pythagoras.*) id eſt, animos eſſe immortales. unde illud Pythagoræ apud Ouid. in 15. Metamorph. Morte carent animæ, etc. *Errare cũ Platone.*) Fabius, Honeſtus eſt error magnos duces ſequentibus. *Ex tuo ore.*) Vbique enim Cicero Platonis maieſtatem prædicat, adeò ut etiam philoſophorum deum appellare ipſum alicubi non dubitet. *Macte uirtute.*) Applaudentis uox: qualis etiam apud Vergilium, Macte noua uirtute puer, &c. & macte animo, apud Liuium, & Statium.

Puncti inſtar.) Plinius: Non eſt aliud terra uniuerſa, quàm mundi punctus: hæc eſt materia uitæ noſtræ, hæc ſedes. Eſt autem græcis centrum, omnis ſphæræ medium, idem quod punctus Latinis.

Quatuor corpora.) elementorum, quorum duo grauitate ſua deorſum feruntur ad centrum, terra & aqua: reliqua leuitate ſurſum, ignis & aer, ut eleganter etiam libro primo Metamorphoſeon Ouidius cecinit. *Animalis.*) quia aer. *Medium mundi.*) centrum. *Quinta illa.*) Entelechia. *Quorum alter.*) Dicæarchus. *Alter.*) Ariſtoxenus. *Ad hæc transferre.*) animam eſſe harmoniam tradendo. *Quam quiſque norit artem.*) Vide Eraſmi Chiliadas. *Indiuid. corporum.*) atomorum. Democriti & Epicuri opinionem prorſus reijcit.

Ex

Ex *inflammata anima.*) aëre ignito. *Hæc duo genera.*) ignis et aër. *Omne cœlum hoc.*) Aërem dicit. *Naturā ſui ſimilem.*) aërem purum, ac tenuiorem iam, calidioremq́;. *Tanquam parib. examinatus pond.*) id eſt, æqua lance libratus. *Quodq́; nunc facimus.*) Idem de Off. Hominis eſt, inquit, propria ueri inquiſitio & ueſtigatio. itaq; cum ſumus neceſſarijs negotijs curisq́; uacui, tum auemus aliquid uidere, audire, diſcere, &c. *Oræ.*) regiones. *Patriam & auitam.*) à priſcis illis ueluti patribus & auis, tanquam per manus nobis traditam. *Etenim ſi.*) Argumentum à minori. *Argo.*) nauis, unde Argonautæ dicti, de quibus ex Græcis Apollonius & Orpheus, apud Latinos uero Valerius Flaccus abundè. *Pellem inauratam.*) aureum uellus arietis, quo Phryxus Helleſpontum traiecerat: de qua fabula paſſim apud poëtas. *Iſta aperta & pat.*) per anatomen. *Eiusq́; inuentori.*) Fortè Lucretium notat, qui Epicurum ait primum extitiſſe naturæ inuentorem, deq́; eo ſic lib. 5. ſcribit: Dicendum eſt, deus ille fuit, deus inclyte Memmi, Qui princeps uitæ rationem inuenit, &c. *Acherontia templa.*) Ennij carmina ſunt. *Niſi enim.*) A ſimili. *Vt ſe quiſq; noſcat.*) Vide prouerb. Noſce teipſum: id quod obiter etiam hic exponit. *In Phædone.*) In eo libro præcipue hoc agit Plato, ut animam eſſe immortalem confirmet, quia ſcilicet ex ſe ac ſemper moueatur, motusq́; etiam principium ſit, &c. *Vim.*) uiolentiam. *Vi ſua.*) ex ſe, non aliunde, non externo pulſu. *Quid illa tandem.*) Diuinitatem quandam ineſſe animis noſtris probat, & ea quibus beſtias excellimus, aut plantas, enumerat. *Menon.*) ubi de uirtute diſputat. Ibidem diſcere nihil aliud eſſe ait, quàm reminiſci, & memoriam reminiſcentiam, &c. *Puſionem.*) puerum. *In eo ſermone.*) qui Phædon inſcribitur, ubi de animorum immortalitate agit. *ἐννοίας.*) Eaſdē etiam προλήψεις uocant, ſuntq́; ſimplices quidam mentis conceptus atq; intellectus, non diſcendo quidem comparati, ſed natura inſiti, de rebus inter ſe differentibus. ita definit in Topicis Boëtius. *Ideam.*) Sic Plato rerum formas appellat, easq́; gigni negat, uerum ſemper eſſe, ac ratione intelligentiaq́; contineri: quemadmodum ipſe Cicero in lib. de Oratore explicat. *Perturbatum domicilium.*) Corpus dicit, quod eſt animi ueluti ergaſtulum. *Simonides.*) Memoriæ præſtantioris exempla aliquot recenſet, de quibus etiam apud Fabium, Plinium, Senecam, Plutarchum. *Scepſius.*) Cognomen à loco, ſeu patria, Phrygiæ urbe. *Rebus impoſuit nomina.*) Lege Platonis Cratylum. *Diſſip. homines.*) Quale eſt quod de Amphione & Orpheo traditur. *Paucis literis.*) Literarum inuentionē alij Mercurio adſcribunt, alij Cadmo, alij Aegyptio Theuto,

de

de quo Plato in Philebo. *Stellarum motus.*) *id Atlanti quidã tribuunt.* *Non re, ſed uocab. errant.*) *Planetas ideo uocarunt Græci, quos errones & errantia ſidera Latini. hos autem minimè omnium ſiderum errare, Plato quoq; alicubi aſſerit, & repetit Cic. lib. 2. de Nat. deorum.* *Eius qui.*) *architecti Dei. Sic Ouidius:*

Fœlices animæ, quibus hæc cognoſcere primum,
Inq; domos ſuperas ſcandere cura fuit.

Archimedes.) *Inſignis hic fuit mathematicus Syracuſanus, cuius meminerunt Liuius, Plutarchus, Silius, alij. Extant eius fragmenta quædam pauciſſimis hactenus uiſa, quæ tamen bonorum uirorum ſtudio atq; opera iam in lucem eduntur.* *Aut poëtam.*) *Inde numine ac diuino quodam afflatu poëtas agitari, Plato in libro de Furore poëtico teſtatur. Atq; huc facit illud Ouidij,* *Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo.*
Vt Plato.) *in Timeo.* *Illorum.*) *deorum.* *Ambroſia.*) *cibus deorũ, ut nectar potus: utrunq; immortalitatem ſignificat. pocula autẽ dijs miniſtrare Heben Iunonis filiam poëtæ fingunt, quam Iuuentutem hic uocat.*

Ganymedem.) *Trois filium, quem Iupiter paſcentem rapuiſſe in aquilam conuerſus fingitur. Fabula eſt apud Ouidium, & Lucianum in dialogis Deorum.* *Laomedonti*) *cuius patruus fuit Ganymedes. Atq; hic Cicero quaſi memoria lapſus, Laomedontem Ganymedis patrẽ ſignificare uidetur. Locus autem eſt apud Homerum Iliad. υ.* *Ergo animus.*) *Concludit ſententiam ſuam de animi diuinitate,* *Quinta quædam.*) *Endelechiam dicit.* *In conſolatione.*) *libro quem de Morte filiæ ſuæ ſcripſit, in quo ſeipſum conſolatus eſt, Crantoris philoſophi exemplo. meminit huius etiam in 2. de Diuinatione.* *Vbi tua.*) *Obiectionem alia obiectione diluit.* *Ac ut oculus.*) *Simile.* *Vt cũ uidemus.*) *Hyperbaton. pendet enim ſententia, uſq; dum ſubiungit: Hæc igitur & alia innumerabilia dum cernimus, &c. Sic mentẽ hominis. Dicit autem mentis diuinitatem non minus deprehendi poſſe ex eius effectis, quàm Dei maieſtatem ex cœli pulchritudine ac motu, rerumq; inde prouenientium uicibus, &c.*

Quadripartitas.) *in uer, æſtatem, autumnum, hyemem.* *Faſtorum.*) *In quibus per ſingulos menſes deſignari dies ſolebant. menſis autem lunaris motus ſpacium eſt, ut annus ſolis.* *Orbe.*) *zodiaco circulo.* *Quinque ſtellas.*) *reliquas planetas.* *Duab. horridis.*) *Arcticam & antarcticam zonas intelligit, perpetuo gelu inhabitabiles. de quibus eleganter Ouid. Nix tegit alta duas.* *Stellas ſeptem.*) *Septentrionem.* *Auſtralis*) *ad meridiem.* *ἀντίχθονα.*) *quaſi dicas, terræ huic quam incolimus, è regione oppoſitam.* *Cœlum niteſcere.*) *Elegãtes uerſus iambici*

bici, è tragœdia quapiam deſumpti. Contemplatorem cœli.) Hinc etiam ἄνθρωπον dictũ, ἀπὸ τοῦ ἄνω ἀθρεῖν, dicunt. Ad quod Ouid. etiam alludit Metamorphoſeon primo:

Os homini ſublime dedit, cœlumq́; uidere
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere uultus.

In capite.) cerebro, quod ibi optima mentis portio, ratio nẽpe, ſita credatur. Dicit autem animum ab effectis, perinde atq; deum, cognoſci.

Plumbei.) inertes ac rudes: prouerbialis metaphora. His & talibus.) Concludit diſputationem de animi immortalitate, exemplis eorum qui eiuſdem ſe quoq; opinionis in contemnenda morte fuiſſe declararunt. De Socrate autem uide Platonem in Critone, Phædone, & Apologia Socratis. & Cic. lib. 1. de Orat. Mortiferum poculum.) allatam in poculo cicutam. ut Perſ. Sorbitio tollit quem dira cicutæ. Vt cygni.) Verba Platonis proxime reddit. A' Græcis.) ſcilicet ſumpta. Cato autẽ.) De hoc Plutarchus in eius uita. Cum uero cauſam.) Videtur aliquo pacto admittere, ut manus ſibi ipſe inferre aliquis poſsit: id quod à Platone tamen minime conceſſum eſt. Næ.) Affirmandi particula, certe.

Commentatio mortis.) Idem etiam Plato cum alibi, tum præcipuè in Phædone. Ex his uinculis.) è corporis carcere, ac uelut ergaſtulo. Mitylenis.) quæ Leſbi inſulæ urbs eſt. Cornicibus.) quibus nouem ætates attribuit Heſiodus. Vide prouerbium, Cornicibus uiuacior. Diu manſuros.) quandiu ſcilicet corpora. unde medicamentis cõdiendi etiam cadauera mos apud quaſdam gentes, quo longius durent. Amicos noſtros.) Nam illorũ autoritati ſe libenter aquieſcere, cum alibi, tum in lib. de Offic. abunde declarat. Credamus.) A' contrario. Panætio.) philoſopho Stoico, quem in lib. de Officijs imitari ſe non ſemel fatetur. Homerum philoſophorum.) hoc eſt excellentiſsimum inter philoſophos, perinde ut inter poëtas excellit Homerus. Cæterum argumenta Panætij recenſet, animum naſci, & dolere, ergo interire quoq;, &c. De mente.) Diuiſio animæ in mentem, ſiue rationẽ immortalem, & duas illas mortalitati ac perturbationib. obnoxias partes, ex Platonis Timæo deſumpta eſt. ſed & corporum conſtitutionem multum habere momenti ad animi habitum confirmat. Ingenioſos melanchol.) Vide Ariſtotelem de hac quæſtione, in Problematis. Quod ſi.) Confutatio ſimilitudinis à Panætio poſitæ. Cum Africano.) minore. Multorumq́; aliorum.) Vide Valeriũ, de his qui à parentib. claris degenerarunt, lib. 3. cap. 5. & prouerb. Heroum filij noxæ. In cœlum migrare.) ad uerã animæ immortalitatem aſpirare. Mali uero.) Digreditur ad alteram illam ſententiã, ut

etiam

etiam ſi non ſit animorum immortalitas, nihil tamen poſt mortem eſſe metuendum mali oſtendat. Inſimulat.) *accuſat, quaſi tribuiſſet corpori ſenſum aliquem poſt mortem.* Ad punctum temporis.) *hoc eſt eo temporis ueluti momento, quum iam euolat anima, ac uita interit, quo nihil quidem poteſt cogitari breuius.* In eo libro.) *Conſolatione de obitu filiæ, cuius ſuperius etiam paulo meminit.* Cyrenaico Hegeſia.) De hoc Valerius libro 8.cap.9. *de ui eloquentiæ. Fuit autem à Cyrene Africæ urbe Cyrenaicus dictus, quemadmodum & Ariſtippus: unde Cyrenaicæ ſectæ cognomen ortū.* Callimachi epigrãma.) *Id à* Ioachimo *Camerario in Commentarijs ſuis & citatur græcè, & latine redditur.* Ambraciotam.) *ab Ambracia Epiri urbe. Meminit huius Cleombroti etiam Ouidius in Ibin. &* Lactantius Fir. *lib.3.* ἀπονκαρτερώτατος.) *id eſt, intolerantiſſimus. Sed rectius uidetur* ἀπονκαρτερήσαντος, *reſtitutum à* Ioachimo, *ut deſtinatum morti animum ſignificet.* Expedire.) *conducere, utile eſſe.* Domeſticis.) *propter amiſſam filiam.* Forenſibus.) *propter actionem cauſarum forenſium intermiſſam, uelut oppreſſa* Rep.*Cæſaris dominatu.*

Metellus.) De hoc Valerius *libro* 7.*capite* 1. *de* Fœlicitate.

Priamus.) *Sic Vergilius, Aeneid.* 2.

Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum.

Iuſta uxore.) Hecuba, *legitima uxore.* Vſa in altero.) *in* Priamo, *quem ita calamitoſum poſtremo fecit.* In aram.) Iouis Hercei. *Eleganter autem huius interitus deſcribitur à* Verg. Aeneid. 2. Barbarica ope.) *opulentia ex ſpolijs barbarorum.* Vergilius,

Barbarico poſtes auro, *ſpolijsq́; ſuperbi.*

Hæc omnia.) *Verſus ſunt* Enniani, *quos infra libro tertio repetit fuſius.* Pompeio.) *Meminit Plutarchus in eius uita, & Cicero ad Atticum lib. 8.* Græculum.) *hoc eſt, aſſentatione plenum, de qua male audiebant* Græci *apud* Romanos. *Vnde* Iuuenal. *Quid quod adulandi genus prudentiſſima.etc.* Cum ſocero.) *Cæſare, cuius filiam Iuliam uxorem duxerat.* Exponit *autem ciuilis illius belli hoc loco uelut capita* Cicero: *de quo abunde* Lucanus, Plutarchus, *alij.* Sed homines.) *Occupatio.* Aut ſperare ſit prud.) Ex Stoicorum *ſententia, qui ſperare æque flagitioſum eſſe ſtatuunt, atque timere.* Sed hoc ipſum.) *Redit ad propoſitum: & carendi uerbum explicat, ut mortuos non eſſe ob hoc miſeros probet, quia uitæ commodis careant, ſi nulli ſint amplius, neque relictus ſit aliquis ipſis ſenſus.* Notione.) *intellectu uerbi.* Philoſophari.) *diligentius exquirere, ac diſputare.*

Quoties non modo.) Enumerat exempla contemptorum mortis, quæ fermè etiam in Catone recenſet. Tyrannum.) Tarquinium. In prælio.) congreſſum cum Arunte Tarquinij filio, ubi mutuis uulnerib uterq; perijt. Lege Liuium, & alios. Hippocentaurum.) Centaurorum genus, ex equo & homine conflatum, ab Ixione ortum ducens, ut eſt in fabulis. quos tamen ut nunquam fuiſſe Lucretius, & hoc loco Cicero, affirmant: ita ſe unum uidiſſe in melle allatum Claudio Cæſari, ex Aegypto, Plinius teſtatur. Itaq; non deterret.) Sapientem non ideo ait à uirtutis ſtudio deſiſtere, etiamſi animam eſſe mortalem putet, quin res immortalitate dignas moliatur, &c. idq́; uirtutis, non gloriæ cupiditate impulſum, quam tamen uirtutem ultro gloria uelut corpus umbra ſoleat cõſequi. Somni ſimillimam.) Hinc illud Ouidij, Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago. & Homerus mortis fratrem facit Somnum.

Endymion.) Vide prouer. b. Endymionis ſomnum dormis. Ineptiæ aniles.) cuiuſmodi à delitis aniculis confingi ſolent. Prouerbialis formula eſt. Ante tempus) immatura morte occidere. Vſuram.) tanquã uſumfructum. Sic Lucret. Vitaq́; mancipio nulli datur, omnibus uſu. Nondum guſtauerat.) Sic Vergil. Quos dulcis uitæ exortes, & ab ubere raptos, Abſtulit atra dies, etc. Sæpius lachrymaſſe.) Hinc Iuuenal.

Hæc data pœna diu uiuentibus, ut renouata
Semper clade domus multis in luctibus, inq́;
Perpetuo mœrore & nigra ueſte ſeneſcant.

Troilum.) filium eius, cuius interitum miſerabilem Verg. Aeneid. 1. exponit: Infœlix puer, atq; impar congreſſus Achilli, &c. Exacta ætate.) confecti ſenio. Ariſtoteles ait.) lib. 5. de Hiſt. animalium. Quæ unũ diem.) unde ephemera, & hemerobia uocantur. de his etiam uide Plin.

Solſtitiali die.) qui totius anni longiſſimus eſt. Chaldeorum.) aſtrologorum, & diuinorum prædictiones de uitæ euentis, & diuturnitate. Contra Chaldæos autem genethliacos extat elegans Fauorini philoſophi diſputatio apud A. Gellium. Iter illud.) mortis. Theramenes.) De hoc Xenophon ἑλληνικῶν ſecundo, & Valer. de Fortitudine. Vt id reſonaret.) Id κοτταβίζειν et κότταβον Græci uocant. Breui conſecuta.) liberatis per Thraſybulum à triginta tyrannorum imperio Athenis. In eundem carcerem.) Barathrum ipſis dicebatur. Magna me.) Locus ex Apologia Socratis, fermè ad uerbum conuerſus à Cicerone. Suum illud, nihil ut affir.) Nam id peculiare fuit Socrati, quemadmodum & poſtea toti Academiæ, nihil affirmare. unde crebro ſolebat dicere, hoc unũ ſcire ſe quod nihil ſciret. Nos autem.) Concludit, malum non eſſe exiſtiman-

ſtimandam mortem. Lacedæmonius quidam.) Teſtamenem hunc uocat Plutarchus in Apophth. Laconicis. Ephoris. quorum par erat ferè apud Spartanos, atq; Tribunorum apud Romanos poteſtas. Sine uerſura.) Ita uocatur, cum debitum uetus nouo permutatur, mutato ſolum creditore. Sparta.) Lacedæmone, à Sparto Phoronei F. conditore ſic dicta. Thermopylis.) Sic uocant anguſtias montium Theſſaliæ, quas πύλας etiam appellant, & quod thermæ etiam iſtic eſſent Herculi ſacræ, ut Strabo teſtatur. Dic hoſpes.) Carmen Simonidis inſculptum columnæ, quo loco trecenti illi Spartani pro patria occubuerant. Meminit huius & Herod. in Polyhym. Leonidas.) Spartanorum dux, cuius apophthegma hic à Cicerone poſitum, etiam Plutarchus refert in Laconicis. Dum Lycurgi leges.) annis circiter quingentis, de quo uide Plutarch. in eius uita. E' quib. unus.) Dieneces nomine. ita enim ipſum uocat Herod quanquã alij etiam Leonidæ attribuunt. Lacæna.) Spartana mulier. Meminit autem cum huius, tum aliarum quoq;, Plutarch. in Apophth. Eſtote fortes) Epiphonema, per apoſtrophen ad Spartanos.) Cyr. Theodorum.) qui ἄθεος dictus eſt, philoſophus Cyrenaicæ ſectæ. De hoc uide Valerium, & Senecam de Tranquillitate. In eo lib.) Phædone Platonis. Diogenes.) Vide Laërtium, quemadmodum & de Anaxagora. Trahit Hectorem.) Iliad. χ. At illa.) ſiue mater Hecuba, ſiue Andromache uxor. Sunt autem uerſus iſti de antiqua tragœdia aliqua deſumpti, Ennij, ſiue Pacuuij. Ecce alius.) Polydorus, à Polymneſtore Thracum rege occiſus. Vergilius Aeneid. 4. Matrem.) Hecubam, quanquam Ilionam habet Horat. Sermon. 2. qui hæc uerba citat. Modis) modulatis uerſibus. Priuſquam feræ.) Pertinent & hæc uerba ad paulo antè citata ex tragœdia. quemadmodum & quæ ſequuntur de ſemiaſſato regis cadauere. Ad tibiam.) ut ſolebat chorus in tragœdijs. Pelopis.) cuius filij fuerunt Atreus & Thyeſtes. Condiunt Aegyptij.) De uario ſepeliendi ritu lege Herodot. Strab. Plinium, Solinum, alios. Hic locus.) de ſepultura. Noſtris.) defunctis. Sed profectò mors.) Concludere tandem inſtituit diſputationem ſuam, repetitis in hoc egregijs aliquot ueterum & magnorum uirorum ſententijs. Multa mihi.) Idem Cic. Phil. 2. Mihi ferè ſatis eſt quod uixi, uel ad ætatem, uel ad gloriam. Et alibi: Negant poſſe mortem immaturam eſſe conſulari, quanto nunc uerius negabo ſeni? mihi uero, P. C. iam etiam optanda mors eſt, perfuncto rebus ijs quas adeptus ſum, quasq; geſſi. Lycurgus, Solon uterq; legislator, hic Athenienſium ille Spartanorum. Vtriusq; uitam deſcribit Plutarchus. Exemplis autem illuſtrat,

quæ confirmanda propoſuit. Themiſtocles, Epam.) *alter Thebano-rum, Athenienſium alter dux, uterque rei bellicæ uirtute clariſſimus.*

Salamina.) *Inſulam, & urbem in Athenienſium & Megarenſium confinio ſitam. Idem Cicero de Officijs 1. Quamuis enim Themiſtocles iure laudetur, & ſit eius nomen quàm Solonis illuſtrius, citeturq́; Salaminis clariſſimæ teſtis uictoriæ, &c.* Leuctra.) *Vbi Epaminondas cum Cleombrota Laced. duce fortiſſime pugnauit. Vnde iactare ſolebat Epaminondas, orbum quidem ſe, non tamen abſq; liberis mori: quippe qui natam ex ſe relinqueret uictoriam Leuctricam.* Curium, Fabricium.) *Huius conſtantiam, illius paupertatem, integritatem utriuſq; paſſim Romana hiſtoria celebrat, & refert inter exempla Valerius.* Calatinum.) *Attilium, cuius uirtus bello Punico in Sicilia maxime claruit.*

Duo Scipiones.) *Cneus & P. qui in Hiſpania fortiſſime pugnando pro Repub. interierunt.* Duos Africanos.) *ſuperiorem & inferiorem: quorum alter finem bello Punico ſecundo, Carthagine capta, conſeruatáq;: alter tertio, eadem euerſa, impoſuit.* Maximum.) *Fabium Cunctatorem. de quo illud Ennij à Cicerone alibi citatum, Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem, &c.* Marcellum.) *Siciliæ uictorem, quem inſidijs circumuentum, Hannibal tandem oppreſſit.* Paulum.) *Aemylium, deuicto Macedonum rege Perſa clarum.* Catonem.) *De utroq; poteſt intelligi, ſiue maiore, ſiue minore. uterq; enim uirtute fuit illuſtris.*

Lælium.) *qui Africano minori coniunctiſſimus fuit, uirtute uero & ſapientia præcipue claruit.* Diagoras Rhodius.) *Hic ob uirtutis præſtantiam Mercurij filius eſt habitus. de quo Gellius lib. 3.* Rhetorum epilogum.) *qui conſtat enumeratione, amplificatione, & affectibus.*

Argiæ.) *Græco more, pro Argiuæ. Hiſtoriam refert libro primo Herodotus.* Trophonius & Agamedes.) *De his Strabo libro nono.* De Sileno.) *Meminit Plutarchus in libro de Audiendis poëtis, ubi etiam Euripidis locus citatur, quē hic Latine expreſſit Cicero.* Cōſolat Crantoris.) *quem Cicero in Conſolatione ſua ſe imitatū eſſe, ſuprà confeſſus eſt.*

Terinæum Elyſium.) *à Terina loco, in magna quondam Græcia celebri.* Pſychomantium.) *Locum in quo diuinatio ſolebat fieri per euocationem manium.* Alcidamas.) *Eleates hic fuit, auditor Gorgiæ.*

Erechtheo.) *Atticæ rege. Meminit huius etiā in oratione pro Seſtio.*

Codrum.) *Athenienſium regem. De hoc Iuſtinus, Valerius, alij.*

Menœceus.) *Creontis Thebarum regis filius. Euripides in Phœniſſis, & Statius libro decimo Thebaidos.* Iphigenia.) *Agamemnonis filia. De hac item Euripides.* Harmodius et Ariſtogiton.) *De his Herod. in ſexto.*

ſexto. Nemo me.) Videtur eſſe epitaphiũ Ennij: ſicut quod ſubiungit Socratis: quod etiam græcè citat Plutarchus. In noſtram.) unde primum orti ſumus. Eum diem.) mortis. Exantlauiſſet.) exhauſiſſet, toleraſſet, à Græco ἐξαντλᾶν formatum uerbum. Velis paſsis.) Prouerbiale, hoc eſt pleno curſu atque ocyſsime, citra cunctationem. metaphora à nauigantib. Reflantib. uentis.) id eſt, aduerſis. Perſiſtit in metaphora. Quod autem omnib.) Sic Seneca in Epiſt. Quis, inquit, queri poteſt in ea conditione ſe eſſe, in qua nemo non eſt?

IN TVSC. QVAESTIONVM LIbrum ſecundum Annotationes.

Neoptolemus quidem.) Reprehendit Neoptolemi Enniani ſententiam, qui (ut Gellius ait) guſtandum de philoſophia, non in eam ingurgitandum exiſtimarit. nam & philoſophandum omnino eſſe, neque nimis philoſophari poſſe, oſtendit: idq; ab utili, & neceſſario. Neoptolemus autem pro Pyrrho dici conſueuit, qui ita eſt appellatus, cum alioqui nouum militem ſignificet. Pauca ipſa.) Eſt enim aliquò prodire tenus, ſi non datur ultrà: ut eleganter dixit Horatius. Quàm quam.) Occupatio. Niſi quod ſe imitari.) Idem de Oratore: Nunc enim tantum quiſque laudat, quantum ſe ſperat poſſe imitari. Reprehendit autem obiter eos, qui Atticorum more, tenuiter ac preſſe dicendi genus ſectantes, illam qua Cicero uteretur ubertatem, quia imitari non poſſent, negligebant. Dicit autem eos, dum alterum dicendi genus abhorrent, alterum male imitantur, in ieiunum atque aridum genus incidere. &c. Porro de triplici oratorum genere, Attico, Aſiatico, Rhodio, uide alibi Cic. et Quintil. Secundo populo.) fauente et aſſentiente. eadem translatione, qua ſecundos uentos bene adſpirantes dicimus.

Quam uos maxime.) Academicã, ſiue potius moralem. In Hortenſio.) Huius libri meminit in proœmio libri primi de Finib. Iam languenti.) quod quibus artibus ac diſciplinis hactenus illa excelluerat, iam Ciceronis et aliorũ induſtria ad Romanos translatis, illa ueluti langueret. Quod natura fert.) ut ſit rerũ uiciſsitudo quædam, omniaq; orta (ut eleganter Salluſtius inquit) ut occidant, cunctaq; ſeneſcant. Scitè Lucanus,

In ſe magna ruunt, lætis hunc numina rebus
Creſcendi poſuere modum.

Ita hic eloquentiæ deficienti, ſubſtituendum philoſophiæ incrementum eſſe monet. Addicti & conſtituti.) id eſt, quaſi deſtinati et deuoti. Notat autem contentioſorũ hominũ pertinaciam: et magis probat eos qui Nullius ſunt addicti iurare in uerba magiſtri, quemad. elegãter Flaccus ait: ſed in omnibus ea quæ maxime ſint

proba

probabilia ſequuntur, id quod Academicæ ſectæ erat peculiare, cuius in primis fuit ſtudioſus Cicero. Ratione & uia.) *certa methodo. Taxat autem inanes quorundã Epicureorũ diſputationes, idq́; aliarum ſectarũ collatiõne.* Metrodorum.) Epicuri *diſcipulum.* Ambulantibus.) Ari*ſtotelico more, unde etiam* Peripateticis *nomen.* Dici non poteſt.) Captat *occaſionem ſequentis diſputationis, qua etiam dolorem fortiter eſſe tolerandum, neq; extimeſcendum, quippe in quo nihil ſit mali, eſt cõfirmaturus.* Nam efficit.) Philoſophiæ *uis, de qua tamen alio loco fuſius.* Fortes fort.) Prouerbium *ex* Terentij Phormione *deſumptum.*

Vt enim.) *Similitudinibus probat, turpiſſimum eſſe, cum ab oratione quæ index animi eſſe debebat, uita diſcrepat. in quam ſententiam multæ paſſim apud autores gnomæ elegantiſſimæ extant.* Et reuera *nulli magis damnare uirtutũ præcepta uidentur, quàm qui* Curios *ſimulant, &* Bacchanalia *uiuunt.* Itaq; *non ipſius philoſophiæ, ſed eorum qui animis deprauati illa abutuntur, culpam eſſe dicit, ut profeſſores illius quidam peſſimè uiuant.* Quàm dedecus.) Id *uero ſolum eſſe malum* Stoici *dicebant, ſicut ſolam uirtutem bonum.* Diſciplinis.) *quas hæreſes* Græci, *nos ſectas uocamus.* Verum *harum de ſummo bono, ſiue fine, diuerſas opiniones, in libris de* Finibus *fuſius proſequitur.* Ariſtippus.) *qui uoluptatem ſummũ bonũ ſtatuebat. fuit autem* Socratis *diſcipulus, non autem ſectator.* Dolore uacare.) *indolentiã, ſiue* ἀναλγησίαν. Meminit huius Hieronymi *lib. 2. de* Finib. Zenonem.) *qui Stoicæ ſectæ conditor fuit.*

Ariſt. Pyrrhonem.) *unde* Pyrrhonij & Sceptici *orti.* Quod huic officium.) Refert *incommoda, quæ ſequerentur, ſi concedatur ſummum malum eſſe dolorem.* Itaq; *malum quidem eſſe, non autem ſummũ malum, dolorem, ex* Academica *ſententia cõcludit.* Et quis eſt cui non poſſit?) Cuiuis *enim accidere poteſt, quod cuiquam poteſt, ut* Mimus Publianus *ait.* Metrodorus.) Idem *illius argumentum reprehendit in 2. de* Finibus. Magna.) Satis, *inquit, magna laus foret ſapienti, ſi tantis cruciatibus non ſuccumberet: uerum ut ijs etiam delectetur, ac ſuauem eſſe rem dicat, id uerò non ſapientis aut fortis uiri, ſed dementis eſt.* Aſpero & duro.) εἰρωνικῶς. *cum intelligere uelit, homini ita molli & uoluptuario minimè conuenire ſententiam tam atrocem.* In Phalaridis tauro.) De æneo Phalaridis Agrigentinorum *tyranni tauro, meminit* Plin. *libro 34.* Ouid *in* Triſtib. *& paſſim alij.* Illi ipſi.) Stoici. Hic.) Epicurus. Philoctetam.) Herculis *comitem, cui is ſagittas hydræ ſanguine tinctas donauerat, quarum una in pedem collapſa, uulnus accepit incurabile. unde gemebundus ex dolore uulneris introducitur à poëtis,*

maxime

maxime uerò Accio in tragœdia, de qua uerſus hos citat cum hoc loco Cicero, tum libro ſecundo de Finibus. Oeta.) *monte Theſſaliæ, in quo Hercules ſuccenſa pyra hominem exuiſſe traditur.* Sanguine centauri.) *Neßi, quem abrepta Deianira, iiſdem quibus poſtea Philoctetam donauit ſagittis Hercules confecerat. Fabulã lege apud Ouid. et Sophoclem in Trachinijs, cuius locũ totũ eleganter hic latinũ reddidit Cicero, quemadmodum mox etiam Aeſchyli locum ex Prometheo* λυομένῳ, *quæ tragœdia non extat hodie.* Furtum Lemnium.) *ignis furtum, à Lemnio Vulcano ſic dictum.* Clepſiſſe.) *furto ſubduxiſſe, à græco uerbo* κλέπτω.

Dionyſio Stoico.) *De hoc in Bruto: Aßiduè mecum fuit Dionyſius Magnes.* Senilem declamationem.) *Sic uocat philoſophicas haſce diſputationes, ſenili ætati maxime cõuenientes.* Lamentantes fortißimos uiros) *ut Sophocles Herculem, Aeſchylus Prometheum.* Vmbratilem.) *quæ in umbra & ocio tranſigitur, cuiuſmodi ſtudioſorum ferè eſſe conſueuit.* A' Platone) *lib. 3. Polit. Verum hæc non eò faciunt, ut nos à poëtarum lectione auertere debeant, cuius ſe tam ſtudioſum fuiſſe etiam Cicero ipſe hoc loco fatetur: ſed ut oſtendant, in poëtarum lectione cum iudicio & cura eſſe uerſandum. qua de re eleganter etiam Quintilianus præcepit. Quin idem etiam Plato in 7. electos de poëtis uerſus iuuenibus ediſcendos eſſe monet, ut ex uariorum poëtarum peritia facundi & ipſi euadãt.* Satis dediſti.) *id eſt, ſatisfeciſti, nihil amplius deſidero. iuris eſt formula ſatiſdare, unde ſatiſdatio.* Ratiunculis.) *breuibus atq; conciſis argumentis, quæ minime ſatis eſſe innuit.* Quid me.) διαλογισμὸς. *introducit enim uelut colloquentem Zenonem, Stoicæ ſectæ autorem.*

Reijciendum.) ἀποπροηγμένον, *id eſt reiectaneum. ita enim Stoici uocabant.* Sed te ſuccumbere.) *Re ſuccumbere, legend. non Te.* Illud & melius.) *ex Ariſtotelis & Platonis ſententia.* Iſti.) *Stoici.* Nihil eſt.) *nullius momenti.* Aut enim.) *Argumentum, quod diſiunctum uocant.* Si quid de Corinthijs.) *Dicit non eandem eſſe uirtutis & ſupellectilis amittendæ rationẽ. Si enim unum aliquod ex uaſculis Corinthijs amiſeris, reliqua ſupellex poteſt nihilo ſecius eſſe integra. Sed uirtute una amiſſa, omnes amiſeris. Ita enim Stoici uirtutem quidem unam eſſe duntaxat, uerum nominibus diſtingui aſſerebant: ut qui unam habeat, habere omnes uideri debeat. De uaſis Corinthijs, & quanto in precio fuerint apud ueteres, multis in locis apud Plinium uidere eſt, & meminit etiam infrà Cicero.* Eum opprimi.) *dolorem ſuperari, aut cohiberi ac uinci.* Si nudus es.) *nullo philoſophiæ aut uirtutum adminiculo fultus.* Da iugulum.) *præbe te uictum. Metaphora à gladiatoribus, aut*

ijs qui dant ſupplicium capitis. Vulcanijs.) *id eſt inuictis, cuiuſmodi Achillis fuerunt arma, à Vulcano fabricata.* Cretum quidem.) *Probat exemplis, dolorem poſſe ſuperari, animosq́; & corpora durari patientia.* De Cretenſium legibus Plato in primo de Legib. Minois.) *Cretenſium regis, qui Iouis colloquio per nouem annos uſus eſſe fertur. de quo* Plutarchus in Numa. Spartæ uero pueri.) *quos ob id* βωμονικὰς *uocant, quemadmodum certamen ipſum flagellandi* διαμαστίγωσιν. *Deſcribitur autem hic mos eleganter à* Plutarcho in Lycurgo, & Pauſania in Laconicis. Ad necem.) *id eſt, ut fermè necarentur. quale eſt illud* Terentij, *Verberibus te cæſum in piſtrinum Daue dedam, uſq; ad necem.* Studioſos.) σπουδαίους. Amantes doloris.) φιλοπόνους. *Itaq;* πόνον *Græcis & dolorem & laborem dici uno nomine ait, ut ſcilicet maiorem eſſe linguæ latinæ copiam probet, nempe latinæ linguæ ornandæ amplificandæq; nimis ſtudioſus.* Cum uarices.) *Differentiam inter dolere & laborare, exemplis oſtendit. Varicibus autem in utroq; crure laboraſſe* Marium, *etiam* Plutarchus *teſtatur.* Firmari labore.) *Tale eſt etiam illud* Cor. Celſi: *Ignauia corpus hebetat, labor firmat &c.*

In fœminas.) *Iiſdem enim exercitijs & iuuenum et uirginum corpora firmari, Lycurgus apud Spartanos legibus ſuis inſtituit.* Eurotas.) *Spartæ fluuius, ad quem iuuentus exercere ſe conſueuerat.* Fertilitas barbara) *fœcunditas ſiue* εὐτεκνία. *quanquam ſunt qui* πλησμονὴν *atque opulentiam malint intelligere.* Callum obducit.) *ut iam minus, aut planè etiam non doleant. id enim callum obducere, prouerbiali metaphora ſignificat.* Sine anapæſt.) *Nam ad tibiæ concentũ, ac anapæſti pedis modulos pugnare ſolitos Spartanos,* Thucydides *autor eſt, & meminit* Valerius *quoq;. Conſtat autem anapæſtus prioribus duabus ſyllabis breuibus, & ultima longa, ad ſtabilitatem quandam atq; æquabilitatem appoſitus pes.* Noſtri exercitus.) *Ab exercendo, ſiue quod exercitando fiat melior, exercitum dici,* Varro *teſtatur.* Agminis.) *Ita uocatur propriè incedens exercitus. Porrò quæ ad hunc locum pertinent, melius ex* Vegetio *petes.* Mulier uidebitur.) *hoc eſt, planè mollis atq; effeminatus. figura prouerbialis.* Quantum experti ſumus.) *nimirum bello ciuili inter Pompeium & Cæſarem, cum ille tyrones tantum inexercitatos, hic ueteranos habuit.* O Patrocles.) *Sumptum ex* Iliad. λ. *de* Eurypylo *ab* Alexandro *uulnerato. Sunt autem uerſus iambici, uelut è tragœdia quapiã latina deſumpti.* Siquidem homo eßet.) *id eſt, ſiquidem aliquid in eo humanitatis eſſet.* Sic Teren. *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto. Atq; ita ſanè* Homerus *eum fingit, fouentem medicamentis* Eury

tis Eurypyli *uulnus: ſed non minus tamen ſollicitum interim, quid Græci agerent, & quomodo ſuſtinerent hoſtiū impetum.* Aeſopus.) *tragœdiarum actor nobilis,* Ciceronis *tempore.* Ergo hæc ueteranus.) *Rurſus cōcludit, uelut ſupra:* Hoc *pueri poſſunt, uiri non poterunt?* De conſuetudine.) *quæ naturæ uim plerunque obtinet.* Aniculæ.) *Senes enim inediæ patientiores ſunt,* Hippocrate *etiam teſte, propter caloris defectum.* Athletæ.) *cui largo cibo opus eſt, unde* Athletica *uita, & athleticè uiuere, in prouerbium abijt.* Iouem Olympium.) *propter ludos* Olympiacos *in honorem* Iouis *fieri ſolitos.* Cæſtibus.) *Cæſtuum certamen eleganter deſcribitur à* Vergilio Aeneid. 5. *de* Darete & Entello, & Homer. Iliad. ψ. Domino.) *agonothetæ, qui edit munus gladiatorium.* Decumbere.) *ſuccumbere, mori. nam & gladiatores, inquit, quamuis barbari ac perditi homines, honeſti curam aliquam habent, ut ſaltem glorioſè occumbant.* Tantum exercitatio.) Epiphonema.

Samnis.) *gladiator aliquis ex* Samnitum *natione. Verſus eſt* Lucilij, *de* Eſernino *gladiatore.* Meditatione.) *exercitio,* μελετῆ. Sontes.) *damnati ob flagitia tales enim ad gladiaturam deſtinari conſueuerant.*

Auribus fortaſſe multæ.) ſcilicet eſſe diſciplinæ poterant contra mortē & dolorem, ex philoſophorum præceptis uidelicet audiendis. Nulla fortior.) *quàm gladiatores ſpectare in harena fortiter pugnantes.* Cōmentationem.) Ea *eſt quam paulo antè meditationem dixit, mentis agitatio ad opus erumpens.* Apageſis.) *Al.* Ageſis, *hortantis particula. Tranſit autem ad argumenta, quibus dolorem tolerandum eſſe oſtendit, & fortitudinis præcepta contra* Epicuri *ſententiam explicat.* Interpellem.) *interrumpam orationem tuam.* Stoici uiderint.) *qui malum eſſe negant.* Affectiones animi.) τὰ πάθη. Ab ea una.) *fortitudine, quam proprie uirtutem dici uolunt, ſicut* Græcis ἀνδρείαν.

Ex uiro uirtus.) *Sic* Lactantius *de* Opificio: Vir, *inquit, nominatus eſt, quod in eo maior uis eſt quàm in fœmina. & hinc uirtus nomen accepit. unde cum uirum dicimus, non tam ſexum ſignificamus, quàm robuſtum & fortem. Viri enim propria eſt uirilitas & robur.* Tantum hominem.) Epicurum, *quem cunctis mortalibus anteponit* Lucretius, *cum inquit,*

Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omnes
Exoriens ſtellas extinxit, ut æthereus ſol.

Torminibus.) *inteſtinorum difficultate, quam dyſenteriam uocant* Græci. Stranguria.) *urinæ reddendæ difficultate.* Reſpicit *autem ad* Epicuri *epiſtolam, quam paulo antè quàm moreretur ſcripſit ad* Idomeneum, *de qua ita*

Seneca: Beatiſsimum, inquit, hunc & ultimum diem ago Epicurus, cum illum hinc urinæ difficultas torqueret, hinc inſanabilis exulcerati dolor uentris. Vide plura apud Laertium. Ab ijs.) Stoicos intelligit. Vnã rem.) uirtutem. Sic idem lib. 3. de Finib. Si una uirtus, unum iſtud quod honeſtum appellas, rectum, laudabile, decorum, erit enim notius quale ſit pluribus notatũ uocabulis idem declarantibus. etc. Quaſi duo ſimus.) Ex Platonis de Legib. 1. & de Repub. 4. Senile.) infirmum ac debilitatum. intelligit autem eam partem, quam appetitum ſiue cupiditatem uocant. Niptris.) tragœdiæ Sophocleæ nomen, à Pacuuio latinæ factæ. Ille ſapientiſsimus Græciæ.) Vlyſſem intelligit ab apro uulneratum, ſiue è prælio ſaucium, qualis à Pacuuio in ea tragœdia ad abluendum uulneris cruorem portari fingebatur: qua de re coniectare, quàm certi aliquid afferre, facilius eſt. Atq; ille.) De alio quodam in tragœdia ſauciato, ac iam moribundo intelligendũ, non de Vlyſſe. Caue turpe quicquã.) ſcilicet cogites, ſiue dicas, aut facias. Verba ſapientis ſeipſum admonentis. Zeno.) De huius conſtantia, quemadmodum & Anaxarchi, & Calani, lege Valerium, Laert. Plutarch. alios. Tyrannidis.) Nearchi, aut ut alij, Phalaridis. Democritio.) Democriti ſectatore.

Calanus Indus.) Gymnoſophiſta hic fuit, alio nomine Sphines, de quo præter alios Arrianus de Rebus geſtis Alexandri. Crus alterũ non præbuit.) Nam reſpondiſſe fertur, οὐκ εἶναι τὸ θεράπευμα τῆς ἀλγηδόνος ἄξιον, id eſt curationem non eſſe eo dolore dignam. Vt enim fit in prælio.) Elegans ſimile. Abiecto ſcuto.) quo expeditius poßit fugere. dicuntur autem illi ῥιψάσπιδες, quo nomine etiam Demoſthenes notatus eſt. Contentis corporibus.) omni ui atq; conatu aduerſus labores nitentibus, neque facile remittentibus. Preſſum.) id quod premit, ipſam molem ac preßionem. Tale eſt illud Senecæ: Illud quod premit, quod impendet, quod urget, ſi ſuccumbere cœperis, ſequetur, et grauius incũbet: ſi contrà ſteteris, & obniti uolueris, repelletur. Ingemiſcere.) Sic Aeneas apud Vergilium: Ingemit, & duplices tendens ad ſidera manus, Talia uoce refert, &c. Eiulatus.) Leſſum id uocabant. Ita enim habet lex: Mulieres genas ne radunto, ne'ue leſſum funeris ergo habento. Meminit Cicero lib. 2. de Legib. Omnibus ungulis.) Prouerbialis formula, pro totius corporis conatu ac uiribus: cuiuſmodi etiam eſt, omnibus neruis, manibus ac pedibus, &c. M. Antonium.) inſignem illum oratorem, quem in libro de Oratore loquentem introducit. Pro ſe.) cum poſtulatus inceſti, ad L. Caßij prætoris tribunal ſe defenderet. Lege Varia.) à Q. Vario trib. plebis lata. Baliſtæ.) machinæ bellicæ.

In

In eandem arcem.) animi contentionē. elegans metaphora. Dicit autem idem ualere ad iraſcentiæ ac libidinis impetum repellendum, quod ad dolorem multis iam expoſuit. Dicendum enim eſt ſæpius.) iuxta prouerbium, Bis ac ter quod pulchrum eſt. *Non ſentiunt uulnera.)* Hinc eſt *illud* Furij, *Vireſcit uulnere uirtus. Decij.) qui ſe pro ſalute* Reipub. *morti deuouerunt. Epaminundam.) Thebanorum ducem fortiſſimum, de cuius interitu lege* Iuſtinum, Probum, *alios. Non ſæpe.) rarò, cum ocium & uitæ tranquillitatem magis amplectantur. tamen & Socratem & Xenophontē interfuiſſe reb. bellicis quoq; legimus. Heracleotes.) ab* Heraclea Boſphori *urbe, Zenonis diſcipulus. Hic quòd à Stoico dogmate ad Cyrenaicos defeciſſet,* μεταθέμενος *appellatus eſt. Vide Laert.*

Deductus.) depulſus à ſententia. Ex Epigonis.) Euripidis *tragœdia, ab ijs qui ſecundum bellum Thebanum Alcmæone duce confecerunt, ſic dicta. Amphiarae.)* Fuit hic *Alcmæonis pater, qui primo bello Thebano unà cum curru terræ hiatu abſorptus eſſe traditur. Meminit* Statius in Thebaide. *An non noſter Poſidonius.) ſcilicet deductus etiā à dolore, ac uictus eſt? Noſter autem, quia* Rhodi *eo præceptore uſus eſt* Cicero, *id quod* Plutarchus *quoq; teſtatur. Decedens ex Syria.) confecto* Mithridatico *bello. Eius artus.) quia articulari morbo laborabat, quo* Ennium *quoq; interijſſe tradunt. Tantus uir.) quantus tum erat* Pompeius, *quo maiorem non habebat* Romana Reſpub. *Quamuis ſis moleſtus.)* Ergo *moleſtum eſſe dolorem Stoici admittunt, malum eſſe negant. Gymnici.) ita dicti, quod nudi primum in ludis illis certare ſoliti eſſent. talia autem fuerunt celeberrima illa quatuor Græciæ certamina,* Olympium, Pythium, *Iſthmium, &* Nemæum. *Peteſſunt.) expetunt.* Plautinum *eſt, ex Trinummo. Quæ flamma.)* Metaphoricos, *nullum periculum recuſari dicit ab ijs qui ambitione & gloriæ ſtudio aguntur, dum uoti compotes fiant. unde eleganter dixit* Salluſtius, *Ambitio multos mortales falſos fieri coëgit, aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias inimicitiasq; non ex re, ſed ex cōmodo æſtimare: magisq; uultum quàm ingeniū bonum habere.* Eſt *autem prouerbiale, per flammam currere. quale etiam eſt illud* Terentij, *E flamma te petere cibum poſſe arbitror.* Et Horat. *Per ſaxa, per ignes, Pauperiem fugiens, &c. Punctis ſingulis.) ſingulorum ſuffragijs, quæ punctis deſignari ſolebant in tabella. ad quod alludens* Horatius,

Omne tulit punctum (inquit) qui miſcuit utile dulci.

In manibus habebat.) Prouerbiale *etiam hoc, pro ſedulo uerſabat, tractabat, legebat frequenter. Socraticū* Xenophontem.) *Fuit enim So-*

edidit: ſiue quia in certamine cum Pallade, tridentis ictu percuſsa tellure equum produxit, ut eſt in fabulis. Apud Homerum *tamen* Iliad. *v. curru uehi per maria fingitur* Neptunus, *trahentibus equis: quemadmodū etiam apud* Vergilium Aeneid. *1. & 5. item Statium in Achilleide.* Quo *ſit fug.) nempe ad mortis profugium.* In *ſententia.) uidelicet ſummū malum eſſe dolorem.* Ad *clepſydram.) ſcilicet perſequemur quod eſt reliquum.* Ellipſis. Erat *autem clepſydra horologij aquarij genus, unde & nomen habet* ἀπὸ τοῦ κλέπτειν *&* ὕδωρ, *quod guttatim aqua ſubduceretur ad dimetiendas horas. cuiuſmodi hodie in uſu ſunt puluiſculi horologia.* Ad *clepſydras autem dicendi morem fuiſse ueteribus, ex* Plinij *epiſtolis abunde patet.* Non *poſſe deberi.) id eſt, non paſſurum te ut quæ tibi ſum pollicitus, longius differam, ſed exacturum ſtatim ut promiſſam diſputationem abſoluam, &c.*

IN TVSC. QVAESTIONVM LIbrum tertium *Annotationes.*

QVid'nam eſſe.) *De animi morb. per philoſophiæ præcepta curandis, hoc loco agit* Cicero, *& hominum circa eos negligentiam taxat.* Deorum *inuentioni conſecrata.)* Apollini *enim, et filio eius Aeſculapio medicinæ inuentum adſcribunt.* Vnde *idem apud* Ouidium, *Inuentum medicina meum eſt, &c.* Plurib. *autem.)* τοῖς πολλοῖς. *uulgo enim & imperitæ plebeculæ ſuſpecta & inuiſa ſolet eſſe ſapientia.* Quod *ſi tales.)* Occupatio: Quanquam *enim natura nos ad optima, maximeq́; expetenda ducat, tamen ea nos ſequi non poſſe, quin externis ad hoc ut poſsimus auxilijs ſit opus. eius igitur rei cauſas hic* Cic. *colligit.*

Paruulos *igniculos.)* Ita *Seneca in epiſt. Semina, inquit, nobis ſcientiæ natura dedit, ſcientiam non dedit.* Simulatq;.) *ſtatim ut, poſtquā. In hāc uitæ huius tot errorib. inuolutæ miſeriā eleganter exclamat* Lucret.

O *miſeras hominum mentes, ô pectora cæca,*
Q*ualibus in tenebris uitæ, quantisq́; periclis*
Degitur *hoc æui quodcunq; eſt.* Accedunt *etiā poëtæ.)* Non *damnatur lectio poëtarū, modo cum iudicio & attentione fiat: qua de re & in primo libro nonnihil eſt dictū, et extat* Plutarchi *liber lectu digniſsimus, et alius* Baſilij Magni. Eſt *enim gloria.)* Veræ *gloriæ definitio quam eleḡater à falſa diſtinguit.* Imago.) Echo, *quæ uocis eſt imago quædam. Sicut enim uoci reſonat imago illa* Echo, *ita uirtuti gloria, etc.* Cæcitate.) *quia uanam gloriā pro uera captantes.* Euerterunt *ciuit.* Sic Iuuenal.
Patriam *tamen obruit olim* Gloria *paucorum, & laudis tituliq́; cupido.*

Quid

Quid qui pecuniæ.) Redit ad inſtitutum, maiore etiam ſtudio animi morbis curandis eſſe incumbendum, quàm corporis, quanto uidelicet illi his grauiores ſunt, ɛc. *Qui uero.*) Si animus inuenire potuit rationem curandi corporis uitia, hoc eſt medicinam, quanto magis ueriſimile, ipſum ſibi quoq; mederi poſſe? id quod fieri per philoſophiam poſſe, iam ſubiungit. *De maximis rebus.*) ad philoſophiam pertinentibus, de quibus egit in Academicis quæſtionibus, de Finibus, de Natura deorum, ɛc. *Vt enim in Academ.*) Propoſitio. Dicit ſe hoc libro de ægritudine diſputaturum, quemadmodum in ſuperioribus de morte ɛ dolore egit. Eſtq́; theſis, Vtrum in ſapientem cadat ægritudo? *Ego poteram morbos.*) Eadem ferè ad uerbum, lib. 3. de Finibus. *Videtur inſania.*) Idq́; ex Stoicorum ſententia, quibus πάντες οἱ μῶροι μαίνονται, id eſt, omnes ſtulti inſaniunt. id quod in Paradoxis quoq; fuſius explicat. Hinc etiam eſt illud Horatij,

Quem mala ſtultitia, ɛ quemcunq; inſcitia ueri
Cæcum agit, inſanum Chryſippi porticus aut grex
Autumat: hæc populos, hæc magnos formula reges,
Excepto ſapiente, tenet. ɛc.

Quod à Socrate.) Apud Platonem, in Alcibiade 2. *μανίαν.*) à uerbo μαίνεσθαι. quanquam ſunt etiam qui ἀπὸ τοῦ μανοῦ, quod rarum ſignificat, deriuant, quod ſit ueluti raritas quædam atq; tenuitas animi, ɛc.

μελαγχολίαν.) atram bilem ſonat ad uerbum, cui humori Ariſtoteles quoq; in Problem. uehementioris animorum cõmotionis cauſam adſcribit. unde etiam furoris ſpeciem quandam hanc ponunt Medici. *Athamantem.*) De huius furore Ouidius Metamorph. libro 4. ɛ Faſt. 6.

Alcmæonem.) qui ob matrem Eryphilem patris Amphiarai iuſſu à ſe necatam, furore correptus eſt. Meminit Statius, Seneca, alij. *Aiacem.*) Hic ex indignatione, quod in iudicio de Achillis armis, inferior Vlyſſe eſſet habitus, furore correptus legitur, de quo extat Sophoclis tragœdia Aiax maſtigophoros. ɛ meminit Ouidius Metamorphoſeon 13.

Oreſtem.) furijs agitatum ob matris Clytemneſtræ necem. Lege ɛ Senecæ ɛ Euripidis Oreſtem. De utroque Iuuenalis,

Non unus mentes agitat furor. ille ſororis
In manibus, uultu Eumenidum terretur, ɛ igni:
Hic boue percuſſo mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum, ɛc.

Mediocritatem officiorum.) quia officiorum aliud perfectum eſt, quod κατόρθωμα uocant Græci: aliud medium, ad communis uitæ inſtitutionem pertinens, quod καθῆκον: id quod etiam

ab inſipiente fieri poſſe, in tertio de Finibus ſimiliter probat. Silice *nati.*) *Reſpexit ad fabulam de iactu lapidum Deucalionis, Vnde homines nati, durum genus, ut ait lib. 1. Metamorphoſeon Ouidius. Eſt autem prouerbialis hæc formula, quam ſtatim explicat, ſubiungens, Sed eſt naturale, &c.* Crantor.) *philoſophus Academicus, Xenocratis diſcipulus.* Indolentiam.) *quam* ἀπάθειαν *ipſi uocant, Stoici* ἀναλγησίαν *appellabant, contra quam eſt elegans diſputatio Herodis Attici apud Gellium lib. 19. cap. 12.* Sed uideamus.) *Hactenus ex Peripatetica & Academica philoſophia indolentiam illam improbauit, Crantoris uerbis uſus. quibus nunc ipſe Stoicorũ ſententiam ſubiungit, non modo magnas illas, ſed minimas quaſq; perturbationes etiam eſſe ex animo tollendas: eleganti uſus metaphora.* Confidens.) *Sic Terentius in uitio uſus eſt: Eſt paraſitus quidam Phormio, homo confidens, &c. Et Vergilius,*

" *Nam quis te iuuenum confidentiſſime noſtras*

" *Iuſſit adire domos?* Infractionem.) *conſternationẽ, debilitatem. ab infringere, quod debilitare eſt.* Vt ſeruiat.) *Ita & Horatius:*

" *Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam.*

A ſtatu.) *conſtitutione, ſiue tẽperamento, quod* κρᾶσιν *uocant.* Veriſimile.) *Neq; in temperantem cadere ægritudinem poſſe, probare iam aggreditur.* Qui ſit temperans.) *Hyperbaton uſq; ad uerba quæ ſequuntur multo pòſt, Qui ſit frugi igitur, &c.* L. Piſonis.) *qui ob raram ſeculi ſui integritatem, Frugi eſt appellatus. lege orationem pro Fonteio.* Apud Homerum.) *Iliad. ι.* ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, *etc.*

Num manus.) *Simile. quemadmodum manus, aut quoduis aliud membrum, cũ tumet, non bene habet: ita animus tumens, ſiue cor turgeſcens (ueluti ex Homero de Achille retulit) in uitio eſt. Atque eodem modo de alijs quoq; ægritudinibus iudicandum cenſet.* In miſericordiam.) *quã inter animi perturbationes ac uitia quoq; numerant Stoici, atq; ideo nõ poſſe cadere in ſapientem affirmant. & Seneca: Vitium, inquit, animi eſt miſericordia: nec miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret, &c.* A nimis intuendo.) *nempe ut particula In, augendi uim habeat.* Menalippa.) *Fabula Accij, in qua Menalippa inducebatur de liberis ſuis conquerens, ferè in ſtabulo obtritis à bobus. de hac uide Strabonem lib. 6. Bocatium libro decimo, & alijs.* Conſuetudine.) *quæ certiſſima eſt loquendi magiſtra. Ex conſuetudine autem dicimus Inuidere alicui, non aliquem. tamen hoc magis probat Cicero, nempe ut compoſitum uerbũ ſimplicis ſui, quod eſt Videre, conſtructionem ſequatur. Cuius rei etiam Quintilianus meminit.* Ius ſuum.) *Id enim iuris habent poëtæ, quidlibet auden*

S di, ut

di,ut ait Horatius. Qui dolet.) ad miſericordiam referendum. Secundis dolet.) quod inuidentiæ eſt. Vnde Horatius,

Inuidus alterius rebus marceſcit opimis.

Calliſthenis.) De hoc uide Curtium & Arrianum. Sodalis ſui.) quia eodem uterq; præceptore ſunt uſi, Ariſtotele. ergo ſodales, quia condiſcipuli. Scripſit autem librum Theophraſtus, cui titulum fecit Calliſthenes, ſiue de luctu: ut Laertius quoq; teſtatur. In hominem.) Alexandrum regem. Sed ignarum.) Id ferè attribuunt Alexandro etiam alij ſcriptores. Contortius.) Sic alibi contortas Stoicorū concluſiunculas dixit.

Eorum.) Stoicorum. Horum autem ſententiam hoc loco magis probat Cicero, quàm Peripateticorum, qui in affectibus μετριότητα ſtatuebant, & ad uirtutem non parum etiam momenti habere illas aſſerebant. quemadmodum etiam Plato aſſerere non dubitat, fortem eſſe neminem poſſe, qui non idem ſit etiam natura iracundus. Nos melius.) Rurſus Latinos proprietate Græcis præfert. Eſt igitur.) Omnes perturbationes ex opinione naſci dicit. Partibus.) quas Dialectici formas & ſpecies uocant. Quatuor.) nempe lætitia, cupiditas, ægritudo, metus: quemadmodum ex ſequentibus patebit. Cætera aliàs.) In 4. Tuſculana. Tetra.) fœda, horrenda res. Velis remisq;.) idem eſt quod dixit, omni contentione. prouerbialis metaphora à nauigantibus. Verg. 3. Aeneid. Læuam cuncta cohors remis uentisq; petiuit.

Tantalo prognatus.) Tantali nepos, & Pelopis filius, Thyeſtes.

Raptis nuptijs.) quia Oenomaum curuli certamine uicit, eiusq; filiam Hippodamiam inuito patre abduxit: id quod ex fabulis notum eſt.

Iouis pronepos.) quia Tantalus Iouis filius erat. Vide Thyeſtem Senecæ. Quæ tamen hoc loco citantur, ex Accij, ſiue Pacuuij tragœdia quapiam uidetur deſumpta. Tu te.) Apoſtrophe autoris ad Thyeſtem, increpantis eum, quod tanta ſe ægritudine afflictet ob fraternum ſcelus.

Filium Solis) Aeetam dicit, Colchorum regem, & patrem Medeæ, quem ob miſerandum filij Abſyrti interitū à Medea diſcerptum, eiq; illā inſequenti obiectum, mœrore confectum tradunt. Hæc mala.) Apoſtrophe ad Aeetā qua eū increpat, nimis ægritudini ob filij caſum filiæq; ſcelus indulgentem. Regno.) regni theſauro filiæ fraude ſurrepto, nēpe aureo uellere. Dionyſius.) De hoc lege Plutarchum in Dione. Tarquinio.) De hoc Liuius, Dionyſius, Plutarchus alij. Carnificina.) quia inſtar carnificis excruciat animum, atq; enecat: quod ſtatim ſubiungit.

Exeſt.) exedit. Vergilius, Eſt mollis flamma medullas. Epicuro.) Contra Epicuri & Cyrenaicorum ſententiam diſputat primum, deinde reme-

remediã ægritudini adhibenda ſubiungit. Omnia repentina.) Vnde prouerb. iacula præuiſa minus feriunt. Et Seneca ad Martiam: Quæ mul to antè præuiſa ſunt, languidius incurrunt. Item alibi, Omnia leuiora acci dunt expectantibus. Ego quem genui.) E' tragœdia quapiam. & ſi mile fertur Lacænæ cuiuſdã apophthegma. Ei rei ſuſt.) ad eam rẽ pro duxi, ut moreretur ſcilicet. Ad Troiam.) De Aiace uidetur dictũ, ut uer ba ſint Telamonis patris de filij obitu conſolantis. Quod autem.) Euri pidis ſententiã explicat. Sciebam.) Idem Valer. quoq; refert de Anaxa gora. Nihil admirari.) Sic Horat. in epiſt. Nil admirari propè res eſt u-na Numici, Solaq;, quæ poßit facere et ſeruare beatũ. Cum acciderit.) Turpe enim ſapienti eſt dicere, Non putarã. Quamobrẽ omnes.) De-miphonis Terentiani uerba ſunt, ex Phormione. Ille uultus.) Idem Cic. de Off. 1. Præclara eſt, inquit, æquabilitas in omni uita, & idem ſemper uultus, eademq; frons, ut de Socrate accepimus. Idem Plin. quoq; teſta-tur lib. 7. Xantippe.) uxor Socratis, cuius moroſitas etiam in pro-uerbium abijt. M. Craßi.) quem ἀγέλαστον cognominatum tradunt, quod uel nunquam, uel ſemel tantum in uita riſiſſet, cum aſinum uidiſſet carduos comedentem, Similes (inquiens) habent labra lactucas. idq; prouerbio etiã celebratur. Stultamq;.) Huc facit illud Senecæ in Epi ſtolis: Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus, quum illa quæ uelut imminentia expauiſti, fortè nunquam uentura ſint, &c. Quum ceci-nit receptui.) id eſt, cum reuocauit. prouerbialis metaphora à re militari, in qua receptui canitur, quum datur ſignum, quo audito ſe milites reci-piant intra caſtra, neq; amplius inſequantur hoſtem. Niſi culpam.) id eſt turpitudinem, improbitatem, cuius nomine iure culpari & repre-hendi aliquis poßit ac debeat. Vnde alibi idem Cicero ad Papyriũ, Nihil eſſe ait ſapientis præſtare, niſi culpam. & ad Torquatum: Simus ergo ea mente, quam ratio & ueritas præſcribit, ut nihil in uita nobis præſtã dum præter culpam putemus: eaq; quum careamus, omnia humana pla catè & moderatè feramus. Quam affert longinq.) Vnde prouer-bio dicitur, Diem adimere hominibus ægritudinem. Peruellere.) uelli cando perſtringere, excruciare. Magna uis.) Nunc tandem ægritudi-nis remedia adducit, ex uirtutum generibus. Virtutem ſeſe.) Silius: Ipſa quidem uirtus ſibimet pulcherrima merces. Ad hæc bona.) uirtu tes. Hoc dicit.) Summam proponit philoſophiæ Epicureæ. Ze-no.) non Eleates, non Cittieus, qui Stoicæ ſectæ fuerunt, ſed alius Cicero-ni contemporaneus: quem per contemptum uocat Græculum, ut leuem & uoluptarium. quale eſt illud Iuuenalis: Græculus eſuriens, in cœlum

iuſſeris, ibit. Hiccine eſt.) *Trochaici uerſus ſunt, fortè ex* Telamone Ennij *tragœdia.* Os perfricuiſti.) *pudorem abſterſiſti, impudenter agis.* Nec equidem habeo.) Epicuri *uerba ex eius libro* περὶ τέλους *deſumpta, quæ citantur ab* Athenæo *lib.* 7. & 12. Dipnoſophiſt. Accipenſerem.) *delicatiſsimum aliquod ferculum, cuiuſmodi fuiſſe in delicijs habitum accipenſerem, paßim apud* Latinos *ſcriptores extat.* Vide de hoc Plinium. & *meminit* Athenæus, *ad tibias etiam quondam in conuiuijs, & cum coronis inferri ſolitum accipenſerem* Romæ: *libro* 7. Dipnoſophiſton. αὐλῶν.) *tibiarum. ita enim cantus ſuauitate etiam animi ægritudines nonnihil curari, quidam arbitrantur.* Faſciculum.) *olfactoriolum.* Pol mihi.) *Rurſus* Telamonis *uerba è tragœdia, quib. exilium ſuum deplorat, in quod ob fratrem* Phocum *interfectum à ſe, pulſus fuerat.* Ex opibus.) Andromachæ *uerba, ex alia tragœdia* Ennij.

Calix mulſi.) *ſuauis aliqua potio uel inuito obtrudenda, cuiuſmodi eſt mulſum, quod melicraton uocant* Græci. Euphorionis.) *poëtæ* Græci, *quem* Ennio *quidam præferebant. Citantur autem & in prima* Tuſculana *hi aliquot uerſus.* Huic.) Andromachæ. Pſaltriam.) *cantatricē aliquam.* Cedrum) *quam odoramenti loco incendere ſolebant. unde* Vergil. *in* 7. *Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.* Tu.) Epicure. At laudat.) *Probat ipſum ſibi contraria dicere* Epicurū. Negat Epicurus.) *Idem lib.* 1. *de Finibus.* Et quidem C. Gracchus) *Simile inconſtantiæ exemplum.* Actum habiturum.) *approbaturum, non factu rum irritum. prouerbiale.* Hi.) Epicurei. Maxime uerum.) *æquum ac par ſit. ut* Horat. *Metiri ſe quenq; ſuo modulo ac pede, uerum eſt.*

In ſinu gaudeant.) *Prouerbiale & hoc.* Tibullus *lib.* 4. *Qui ſapit, in tacito gaudeat ille ſinu: id eſt ſecum, et apud ſuos.* Repens.) *repentinus, ſubitus.* Dies.) *temporis longinquitas.* Carthaginenſes.) *Ab exemplo probat, temporis diuturnitate non leniri ſolum, ſed tolli quoq; ægritudinē.* Capto Perſe.) *à* Paulo Aemylio. Hæc omnia uidi.) *Verba* Andromachæ *ex tragœdia ſuprà citata.* Argiuos.) *hoc eſt degeneres, & quiduis potius quàm patriæ mores aut uirtutem referentes, ſed planè* Peloponneſios *factos.* Callum.) *hoc eſt longi temporis inſenſationem, ſiue* ἀναισθησίαν. *metaphora.* Clitomachi.) *philoſophi* Carthaginenſis, *qui* Carneadi *ſucceßit.* Cum ita poſitum eſſet) *cum ea propoſitio eßet agitata, quod ſapiens ægritudine laborare poſſet, capta patria. cōtra quam ſapientiſſime* Carneadē *diſſeruiſſe ait.* Sed cicatricibus.) *Eleganter perdurat in metaphora.* In promptu.) *Hæc eſt ferè uſurpari ſolita conſolandi ratio, omnibus cōmunis, non debere hæc præter opinionem*

nem accidiſſe uideri, ita eſſe natura comparatũ, etc. Neq; non ualet.) aliquid ualet. Hic Socrat.) in diſputatione de paupertate, cum exemplis agitur. Ponit autem maxime illuſtria paupertatis exempla, Socratem, Diogenem, Fabricium, de quibus paſſim in hiſtorijs. Illud potentiſſimi regis.) Agamemnonis. Locus eſt ex Euripidis Iphigenia Aulidenſi.

Illos.) qui antè meditantur. Hos.) quibus medetur dies. Grauius etiam tuliſſe.) Huc pertinet illud Solonis, quem, cum grauius deploraret filij obitum, & quiſpiam obijceret, At nihil proficis: reſpondiſſe aiunt, Atq; ob hoc ipſum illachrymo, quia nihil proficio. Cum Deo pugnare.) Id eleganter Græci θεομαχεῖν uocant. Fulciendi.) Metaphora à ruinã minante ædificatio. in qua ſcitè perſiſtit, ſubiungens, Nec cohærere poſſunt, &c. Pædores.) ſqualores, ſordes, cuiuſmodi ſe afficere lugentes ſolent. Feminum.) coxarum, unde interfeminium quibſdam dictum. Agam. Homericus.) Iliad. κ. quem etiam Actius poëta Latinus ita expreſſit in tragœdia ſua Agamemnone inſcripta. Bionis.) philoſophi Boryſthenitis, cuius referuntur elegantiſſima aliquot apophthegmata. Vide Laertium. Aeſchines in Demoſth.) Extat locus in eius inuectiuis, & eruditè redditus à Camerario. Solitudines captent.) Idem Cicero ad Atticum, Odi celebritatem, fugi homines, lucem aſpicere uix poſſum. De Bellerophonte.) Iliad. ζ. Et Niobe) Iliad. ω. & Ouid. Metamorph. 6. In canem.) Ouidius Metamorphſeon 13. atque huic loco in quo illa ſaxis obruta fertur, κυνὸς σῆμα nomen inditum, in Thracia. Ouidius: Latrauit, conata loqui, locus extat, et ex re Nomen habet, &c. Cupido cepit.) Ex Euripidis Medea tranſlati uerſus.

Ille Terentianus.) Menedemus ſenex, ob filij abſentiã ſeſe excrucians. Namq; nimis multos.) Vlyſsis uerba Iliad. τ. Concidentem.) quum parua nauicula exceptus, ut ad Ptolemeum regẽ confugeret, ab Achille et Septimio interfectus eſt, poſt pugnam pharſalicam. Vide Plutarchum, Cæſarem, Lucanum, ubi etiam luctus huius fit mentio. Si mihi nunc.) Locus etiam ſuprà citatus, de Theſeo. Neq; inſipientia.) Ex Stoicorum opinione, qui inſipientiam ſummum malum ponunt. Ceruis & cornicibus.) Extant de longæuitate horum & epigrammata aliquot, & prouerbia, tam apud Græcos quàm Latinos ſcriptores: de quibus alibi plura. Q. Max.) Meminit huius in libro de Senectute. L. Paulus.) Aemylius. de quo lege Plutarchum, Valerium, alios. M. Cato.) Meminit cum huius, tum aliorum idem Cicero in epiſtolis ad Seruiũ Sulpitium. Fractus eſt.) Hinc pulchre à Terentio dictum eſt, Omnes cum ualemus, recta conſilia ægrotis damus: Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. Gra

tum ſe mortuis.) Huc pertinet illud Senecæ: Mortuus, inquit, aut beatus, aut nullus eſt. beatum deflere, inuidia eſt: nullum, dementia. In amatorio ſermone.) ubi de amantibus ſe mutuò ſermo fit. quale eſt & illud, Amicus alter ipſe, animæ dimidium meæ, Horat. &, Pro quo bis patiar mori. & Ouidius: Qui duo corporibus, mentibus unus erant. &c.

Quamuis.) quantumuis copioſe. Si eadem res.) ut filij obitus. Idem homo.) pater qui luget. Quicquã eſt immutatũ.) tam enim eſt orbitas poſt multos annos, quàm primo ſtatim die cum filius eſſet mortuus. nihil ergo neq; de eo propter quod dolet, neq; de eo qui dolet, immutatum eſt. unde colligit, ægritudinem omnem opinione conſtare, non natura. Mediocritates.) μετριοπαθείας. idq; ex Peripateticorum ſententia, qui affectus non prorſus tollunt, ſed temperant. Oporteat.) quaſi ex officio ita ſit dolendum, ut patri de filij obitu, &c. Artemiſia.) De huius in uirũ ſuum amore paßim autores, Strabo, Plinius, Valerius, Gellius, alij. Nobile illud.) nempe quod inter ſeptem orbis miracula numerari etiam ſolet. Halicarnaßi.) urbis Cariæ, ubi ille regnabat. Dictũ eſſet.) ab Oceano. Socrates Alcibiadi.) Ex Platonis Sympoſio deſumptus locus. Baiulum.) Sic uocant eos qui onera geſtant, paruo conducti precio, uilißimum genus hominum. Lyconis.) philoſophi Peripatetici, qui Stratoni ſucceßit, & ob ſuauitatem ſermonis etiam Glyconis cognomentum ſortitus eſt. Nimirum igitur.) Pro uarietate ægritudinis conſolandi quoq; rationem eſſe uariandam monet, quemadmodum pro cauſarum diuerſitate diuerſis etiam ſtatibus uti ſolent Rhetores, de quibus abunde ſuo loco. Et tamen ut medici.) Elegans comparatio, quam appoſitißimis metaphoris illuſtrat. Sed quadam imitatione.) Inuitatione, legendum. Trunco) ægritudine ipſa. Et rurſus eleganter perſiſtit in metaphora: ut paulo pòſt, fibræ ſtirpiũ. Non idem arduũ.) Alludit ad prouerbium, Difficilia quæ pulchra. Curationem.) tanquam medicinæ animorum, quam eſſe philoſophiam ſolam, abundè ſuperius declarauit.

IN TVSC. QVAESTIONVM LIbrum quartum Annotationes.

QVum multis in locis.) Principio de philoſophiæ ſtudio diſſerit, id quoq; à Romanis non eſſe neglectum oſtendens. Inde in locum communem de animi perturbationibus expaciatur, quas non cadere in ſapientem, ex Stoicorum placitis comprobat. Regijs inſtitutis.) De his uide Plutarchum in Numa & Romulo, Liuium & Dionyſium lib. 1.

&

& reliquis. Studia doctrinæ.) philoſophiæ. Penè in conſpectu.) quia Metaponti, Crotonæ, Heracliæ, in'q; alijs Italiæ finitimis ciuitatibus uerſari ſolitus eſt Pythagoras, quemadmodum ab Hiſtoricis traditur, & Ouid. Metamorph. 15. Patriam liberauit.) pulſo Tarquinio, et ſublata tyrannide regia, de quo Liuius in 1. ab hoc enim poſteritas familiæ Brutorum nobiliß. Romæ habita atq; propagata eſt. Veſtigijs.) ſignis, quæ & σημεῖα et τεκμήρια Græci uocant. translatione à uenatorib. ſumpta, unde etiam Inueſtigare uerbũ. Quæ magna dicta eſt.) De magna Græcia eadem cum Italia, lib. 1. dictum eſt, ubi et de ipſo Pythagora quædam.

Pythagoreorũ.) ut Architæ Tarentini, Philolai Crotoniatæ, Hippaſi Metapontini, etc. Tantum nomen.) Sic in prima Tuſculana, Pythagoreos fuiße dicit, qui ſoli docti haberētur, etc. Numam quoq;.) Vide Plutarch. in eius uita. Cantu fidibusq́;.) Idem teſtatur Quintil. lib. 1. & 9.

Condi.) componi. Quod ne liceret.) Meminit huius & Horatius, Serm. 2. Si mala condiderit in quem quis carmina, ius eſt, Iudiciumq́;. XII. enim tabularũ legib. capitis pœna cautum erat, ſi quis carmen condidißet quod infamiam faceret, flagitium'ue alteri. idq́; etiam Cic. in lib. de Repub. teſtatum reliquit. Nec uerò illud non.) ſed & illud. Puluinaribus.) Sic uocabant lectulos in deorum honorem ſterni in templis ſolitos: unde etiam lectiſternia dicta. Sæpe diximus.) ut in Bruto, ubi etiam de Scipione, Lælio, & alijs. Mißos eſſe legatos.) Vide Gellium lib. 7. capite 14. & lib. 17. cap. ult. item Plutarchum in Catonis uita.

Cyrenæus.) Carneades. Babylonius.) Diogenes. Monumenta maiorum.) res geſtas maiorum, hiſtorias. Hanc ampliß.) Philoſophiæ periphraſis. In Peripateticis.) ueteri Academia. Inferiorem ambulationem.) Academiam intelligit. ſuperior enim Tuſculani ambulatio (hoc eſt locus ubi ualetudinis cauſa deambulare conſueuerat) Lyceũ uocabatur, id quod ipſemet Cic. lib. 1. de Diuin. teſtatur. Vela facere.) Metaphora prouerbialis, quemadmodũ et uela dare, à nauigātib. quã ipſe mox explicat. Perexigua oratio.) id quod dixit, paululũ remigare. Multa afferunt.) id quod uela facere appellauit. Animũ in duas.) Ita etiã idē lib. 1. de Off. Tranquillitatē.) εὐθυμίαν. Fons.) hoc eſt, exordiũ diſputationis. metaphoricῶs. Porro quæ ſequuntur perturbationũ ſiue παθῶν deſcriptiones, ita ſunt propriè atq; perſpicuè à Cicerone explicatæ, ut quid in illis poßit deſiderari, nõ appareat. Quatuor perturbationes.) libido, lætitia, metus, ægritudo. Tres cõſtantiæ.) Volũtas, quæ libidini opponitur: gaudiũ, quod lætitiæ: cautio, quæ timori. Eſt igitur.) Nũc generales perturbationes definit ex ſentētia Stoicorũ, de quib. etiã Senecã, & La-

& Laertium,aliosq; uidere eſt. Quæ efficiuntur.) *Species purturbationum dicit,aut partes,de quibus operæprecium eſt quæ ex Laertio annotauit* Ioachimus *hoc loco uidere.* Inuidentia.) *Repetit, quæ etiam ſuperius dixerat.* Aemulatio dupliciter.) *Huc faciunt etiã quæ* Heſiodus *de gemina* ἔριδος *ſiue æmulatione ſcribit,* Agriculturæ *ſuæ lib.* 1.

κατηγορήματα.) *Hæc parum latinè prædicamenta quidam uocant, quum rectius ea quæ dicuntur de aliquo,reddi poßint, quemadmodum etiam* Cicero *ipſe cum hic, tum alibi exponit.* De Timone.) *Hunc eleganter in Timone deſcribit* Lucianus,*et* Plutarchus *in* Antonio. Peruicacia.) *obſtinata de re aliqua opinio.* Liguritio.) *multa deuorandi auiditas:ſicut cupedia lauticiarũ cupido, unde etiam cupedinarij dicti.*

Hippolyti.) *quem ita loquentem introducit* Seneca, *Deteſtor omnes (mulieres innuit) horreo, fugio, execror: Sit ratio, ſit natura, ſit durus furor,* Odiſſe placuit. Grauedinoſos.) *grauedine, hoc eſt humore ex capite deſtillante,naresq; ac fauces crebrius infeſtante,laborantes.Græci* καταῤῥώδεις *appellant.* Torminoſos.) *ad tormina,quæ inteſtinorũ cruciatus ſunt,procliues.dyſenteriam Græci uocant.* Iracundum eſſe.) *natura & moribus: ſic ebrioſus, & amator.* Procliuitas.) *inclinatio, metaphoricῶs.* In neutris.) *quæ neq; bona neq; mala ſunt,* ἀδιάφορα *Græcis.* Animorũ non item.) *Non ita excuſari poſſe animi uitia inquit, ut corporis: cũ illud ſæpe caſu, aut infortunio,ac nulla ipſius culpa corripiatur morbo aliquo, animus non item.In hanc quoque ſententiam dixit* Horatius, *In culpa eſt animus, qui ſe non effugit unquam.*

Et Ariſtoteles *lib.3.Ethicorum,uoluntariam,hoc eſt in cuiuſq; uoluntate atque arbitrio ſitam eſſe animi prauitatem affirmat.* Vt æs Corinthium) *Simile erat autem Corinthium æs reliquo ære nobilius,& maiore in precio.* Vt miſericordia.) *quam inter uitia etiam numerant Stoici, ut ſuprà dictum eſt.* Logica.) *quas dicas,rationi maxime conſentanea,aut propter ſubtilitatem rationi ſolum patentia.* Curſum teneamus.) *liberiore curſu pergamus,tanquam in apertum pelagus, egreßi ſcopulos. metaphoricῶs.* Quæ modò dicebas.) *Suprà enim paulo dixerat,* Vtrum igitur mauis,ſtatim'ne nos uela facere, an quaſi è portu egredientes paulùlum remigare? Quando igitur.) *Virtutis definitio, & eiuſdem contrarij, quod uitioſitatem ſeu uitium, quàm malitiam uocare malle ait.* Certi cuiuſdam uitij.) *ut fraudulentæ aſtutiæ. unde* Terentius, *Exprompta malitia atq; aſtutia, dixit.* Cogitantur.) *concitantur legendum.* Vt ille qui.) *Ad ueteris poëtæ* Trabeæ *dictum reſpicit, cuius libro ſecundo de* Finibus *meminit.* Pendet animi.) *animo eſt*

ſu-

ſuſpenſo ac dubio. Impendere *ſaxũ.)* Idẽ Plato *teſtatur in* Cratylo, *et* Cic.de Finib.1. *Superbiloquentiã.)quia ad deorũ menſas admiſſus, ac rogãter effutire mortalibus ſecreta eorũ conſilia eſſet auſus.* Dolor.) *qui eſt ægritudinis.* Terror.)*qui metus eſt.* Tabificæ.) *uelut tabẽ atque exitium animo inferentes.* Frugalitatis.) σωφροσύνης, *quam ſuprà paulo in tertio matrem et caput omnium uirtutũ dixit.* Hominẽ *frugi.)* Vide Eraſ. Chiliadas. *Nihil improuiſum.)* Hinc illud, *nihil minus eſſe ſapientis, quàm dicere* Non putabam. Et *talem omnino ſapientem deſcribit* Aeneam *ſuum* Vergil. *dum lib.6. ita alloqui Sibyllam eum fingit.* Non *ulla laborum,*

O *uirgo, noua mi facies, inopina'ue ſurgit,*

Omnia percepi, atq; animo mecum antè peregi.

Quocirca *mollis.)*Contra Peripateticos Stoicorum *ſententiam hoc loco magis approbat.* Adhibent *modum.) temperant perturbationes, nec ut* Stoici *omnino eas tollunt.* Vide *quæ hoc loco* Ioach.*annotauit.*

P.Rutilius.) Idem *teſtatur etiã* Plinius.lib.7. Leucate.)Epiri *promontorio.Eſtq; elegans ſimile.* Quæq; *creſcentia.)*Concludit *ſyllogiſmo, ac pulchrè in ruinæ ſiue præcipitij ſimilitudine perſiſtit.* Iracundiam.)τὸ θυμοειδές. Cotem *fortitudinis.)quod ira acuatur animus, non ſecus atq; ferrũ cote.* Qui *iraſci neſciat.)quia uidelicet uirtutis eius, quæ uiri maxime eſt propria, fortitudinis impetu ac ueluti cote ira careat. nã uiri uirtutisq; nomẽ à ſe mutuo deriuari, ex* Peripateticorum *ſententia, etiam alibi dictũ eſt.* Lentitudinis.) Idem Cic. *alibi ad* Q. Frat. Nõ *iraſci, inquit, lentitudinis eſt. itaq; lentos homines appellamus, qui non mouentur affectibus, ac nimia quaſi æquanimitate torpent.* Niſi *quod libeat.)quaſi ab eo quod libet, dicta libidine.* No*ctu ambulat.)* Exempla *adducit eorũ, qui cupiditatis ſiue libidinis (ut ipſe appellare mauult) ſtimulis, ad præclara facinora aggredienda impulſi traduntur. quale eſt quod de* Themiſtocle *et* Miltiade, *cũ* Plutarchus, & Thucyd. *tum alij referunt. item de* Demoſthene, & *alijs.* Demo*ſthenis uigilijs.)*Adeò *ut in prouerbiũ etiam abierit, lucerna* Demoſthenis: & *celebratum eſt illud, quod ſcripta eius lucernam olere dicerent.*

Pythagoram, Democ.) Vide *quæ in eandem ſententiam dicuntur à* Cic. *de ijſdem lib.5.Fin.* & Plin.lib.30. *Afranio.)*Huius *etiam alibi meminit.* Dummodo *doleat.)*Innuens *ægritudine, doloreq; accuſantis ipſum conſcientiæ utiliter uexari illum.* Acad. *uerecundia.) quaſi ob uerecundiã* Peripateticis *non reſpondeant, quibus ſe* Stoici, *quia minus uerecundi, audacter opponunt.* Digladientur.) *diſſideant inter ſe*

T ſententijs

ſententijs Peripatetici & Stoici: ego uelut Academicus, quod uidebitur ueriſimillimũ, ſequar. Magis tamen inclinat in partes Stoicorum, atq; ex Zenonis definitione, Peripateticorũ in perturbationib. moderationẽ impugnat. Ardores animorũ.) illos iracundiæ impetus, quib. animi uelut accendũtur, uirtusq; tanquã ferrũ cote acuitur. Pacidianus.) nobilis gladiator, cuius etiam Horat. in Sermonib. meminit. Apud Homer.) Iliad. κ. Torquatũ.) Manliũ, ob torquẽ Gallo, à quo ad monomachiã prouocatus fuerat, detractũ, Torquati nomen adeptũ. De quo Liuius. Marcellũ.) Vide Plutarch. in eius uita. Erymantheo.) ab Erymantho Arcadiæ monte ſic dicto. Nemæo.) Arcadico, à Nemæa Arcadiæ ſylua. Paßim aũt celebrantur apud autores hi labores Herculis, tam græcos quàm latinos. Marathonij.) à campo Atticæ ſic dicto, quem ille infeſtabat. Vide Plutarch. in Theſeo. Patibiles.) qui ferri tolerariq; poßint. Ne Scipio quidẽ.) De hoc Scipionis facto uide Plutarch. in uita Gracchorũ. Conſulem languentẽ.) M. Scæuolã, qui ſe nihil acturum eſſe ui dicebat. Si quid fecimus.) Reſpexit ad ſuppreſſam à ſe conſule coniurationem Catilinæ. Initium inſaniæ.) Horat. Ira furor breuis eſt. Color, uox.) Huiuſcemodi quædã legere eſt etiam apud Senecam de Ira. Achille.) qualem Homerus iratum Agamemnoni introducit Iliad. primo, quemadmodum & Achilli Agamemnonem: unde de utroq; Horat. Hunc amor, ira quidem communiter urit utrunq;. Aiacem.) De hoc ſuprà paulo. Danais ſummam rem.) quum incendium à nauibus auertit, uimq; hoſtium repreßit, de quo Homer. Iliad. ο. Et de eo gloriatur idem Aiax apud Ouid. 13. Nempe ego mille meo protexi pectore puppes, Spem ueſtri reditus. Stomacho.) ira, cuius ſedem in ſtomacho quidam collocant. hinc illæ dicendi formulæ, ſtomachari, mouere, facere, perdere ſtomachum &c. Fortitudo eſt.) Rurſus ex Stoicorum ſententia definit. Sphæri.) philoſophi Stoici, cuius etiam alibi meminit. Notiones.) quas ἐννοίας Græci uocant. Commoue.) Elegans comparatio cœni & iracundiæ. Simulare non dedecet.) Sic etiam Seneca lib. 2. de Ira: Orator, inquit, non melior eſt quando iratus eſt, ſed quando imitatur iratum. Verum multo aliter ipſe Cic. lib. 2. de Orat. Non mehercle unquam apud iudices, inquit: aut dolorem aut miſericordiam, aut inuidiam, aut odium excitare dicendo uolui, quin ipſe in commouendis iudicibus ijs ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere uellem, permouerer. Aeſopum.) nobilem illum fabularum actorem, qui ab Actio & alijs ſcriptas tragœdias proferre in theatrum eſt ſolitus, magna cum laude. Libidinem uero.) Studium potius uocari debere innuit, quo ad præcla-

ad præclara facinora obeunda impellamur, quàm libidinem aut cupiditatem, ut Peripatetici uocabant: quemadmodum paulo ſuprà quoq; illorum uerba atque argumenta appoſuit, ita nunc ſingula refellit. Et quidem.) Militi, inquit, irã conuenire concedimus, ſapienti aut forti non item. Riualitati.) qua riuales ſeſe mutuò æmulantur. Quamuis.) quantumuis. Sapientiã.) Elegans ſapientiæ definitio. Ventis ſub tectum.) ut quemadmodum mare per ſe tranquillum, uentis tamen agitatum, procelloſum fit atq; turbatur, ita ſapientis animus perturbationibus uexetur, &c. Nimia reſecari.) affectionum exceſſus, cum uirtus in medio conſiſtat. Eſt enim quædam medicina.) Eadem explicat iam fuſius, quæ ſupra etiam dixerat lib. 1. ſed uelut obiter tantum: Animi morbis philoſophiam mederi. Quatuor perturb.) cupiditate, lætitia, metu, ægritudine. Aſpernatio rationis.) id eſt, auerſa à recta ratione, contra naturam animi commotio. Quibus heri. in tertia Tuſculana. Opinionem falſam.) qua falſo opinamur mala eſſe, quæ re uera non ſunt, ſi recte ferantur. Aegrè ferat.) Hanc ægritudinem intelligit Perſ. cum ait, Virtutem uideant, intabeſcantq; relicta. Quæ poßit eſſe omniũ.) in qua philoſophi oẽs conſentiant, etiamſi dißideãt: in cæteris nẽpe ipſi perturbationi eſſe medendũ, non qualis ea ſit diſputandũ. Illa tria genera.) animi, corporis, & fortunæ. Virtutis ipſius uehemẽtior.) Adeò enim exceſſus mediocritatis uitioſus eſt, ut uehementior etiã uirtutis appetitus in uitiũ cadat. Vnde non ab re Apollini adſcribitur, Ne quid nimis. Atq; huc faciũt, quæ elegãter Horat. inquit:

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quàm ſatis eſt uirtutem ſi petat ipſam.

Neq; tam terrib.) Verſus ex tragœdia Euripidis Oreſte, quibus nullum eſſe tam graue malũ dicit, quod patiendo ferre humana natura non poßit. Reuocaſſe.) ob elegãtiã ac ſentẽtiæ ueritatẽ repetiuiſſe. In medio mœrore.) luctu adhuc recenti, ex obitu filiæ. Præmoleſtiã.) quaſi dicat, moleſtiæ futuræ anticipationẽ. eſt enim futuri mali metus, ut ægritudo præſentis. Inſtantia.) præſentia mala. Iiſdẽ rationib. mederi poſſe metui ait, quibus ægritudini. Primo et proximo die.) primo & ſecũdo libro. De bonorũ.) opinione. abſoluta enim diſputatiõe de ægritudine et metu, hoc eſt præſentis et futuri mali opinione, nũc de reliquis duab. perturbationib. boni præſentis et futuri opinione, hoc eſt lætitia et cupiditate, dicere inſtituit. Probat aũt uolũtarias eſſe perturbationes omnes, nõ naturales. De bonis et malis.) id eſt, honeſto et turpi. nã reliqua oĩa ponebãt ἀδιάφορα Stoici. Quæ putãtur.) alijs. nã Stoici nõ eſſe bona

illa aſſerunt. Lætus ſum laudari.) Eundem Neuij locũ adducit etiam lib.15. Epiſt. ad Catonem, & alibi non ſemel. *Quàm hæc pulch.)* Ciceronis uerba. *O præclaram.)* εἰρωνικῶς. Ridet enim eorũ inſaniam, qui inter deos numerandum Amorem, quem ἔρωτα uocant Græci, putarunt. Atque huc faciunt quæ Seneca in Hippolyto ſcribit: *Deum eſſe Amorem, turpiter uitio fauens Finxit libido: quoq; liberior foret, Titulum furori numinis falſi addidit, &c. In tragœdia.)* Ennij fortè, aut Euripidis potius, unde locum Cicero tranſtulerit. *Incendia.)* Alludit forſitan ad incenſam ab eadem Creontis regiam, quo nouam quoq; nuptam ſimul, & cõmunes ſibi cũ Iaſone filios perdidit. *Qui plus pollet.)* De ui amoris eleganter Ouid. paßim in libris de Amorib. & alibi, *Tu ſuperos, ipſumq; Iouem, tu numina ponti Victa domas, &c. Iouem.)* De cuius amorbus atq; adulterijs omnes ferè poetarũ fabulæ ſcatent. *Philoſophos.)* ut Platonem, qui multa de utroq; Amore (geminum enim fecit) in Sympoſio & Phædro. *Gymnaſijs.)* ubi nudi iuuenes exercere ſe conſueuerant. *Ganymedis.)* quem Iupiter in aquilam conuerſus rapuiſſe dicitur. cauſæ turpitudinẽ explicat Lucian. in Dialogis deorum. *Apud Euripidem.)* In Phœnißis, ubi et uotum Laij, & oraculum ipſi redditum legere eſt. *Alcæus.)* Huius in Lycum puerum amores refert Horatius in Odis, ſicut & Anacreontis in Bathyllum. Vtriuſq; poematis caremus hodie, non magna forſitan et literarũ et pudicitiæ iactura, quemadmodũ & aliorum amatoriorum: quorum nimis multa tamen adhuc ſuperſunt. *Rheginum Ibicum.)* à Rhegio Italiæ oppido dictum. *In Leucadia.)* Turpilij comici fabula, cuius uerba ſubdit. *At id erat.)* Ironia, qualis illa apud Verg. *Scilicet hic ſuperis labor eſt, &c. Heu me.)* Rurſus poetæ uerba ſub amatoris perſona, ſicq; deinceps ueluti dialogiſmo ſua & poëtæ uerba miſcet. Eſt que hæc inſani amoris deſcriptio, ut ſuperior illa honeſti atque diuini, quem ne Stoici quidem improbant, & tantis laudibus uehit Plato.

Sic igitur affecto.) Eleganter ſubiungit, quibus remedijs inſano amori ſuccurrendum ſit, quæ ferè & ab Ouidio in libris de Remedio ponuntur. *Ad alia ſtudia.)* Sic Ouid. *Ocia ſi fugias, periere Cupidinis arcus.* Item, *Cedit amor rebus: res age, tutus eris. Loci mutatione.)* Sic Propert. *Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.* & Ouid. *I procul, & longas carpere perge uias. Etiam nouo quodam.)* Ouid. *Succeſſore nouo tollitur omnis amor. Tanquam clauo.)* Prouerb. *Iniuriæ, ſuſp.)* Parmenonis uerba apud Terent. in Eunucho: quæ ob ſingularem ele-

larem elegantiã repetit etiã Horat. in Sermonib. Niſi opinabilem.) ex opinione, iudicio, uoluntate natam, non natura exortam. Dubita tionem inſaniæ.) id eſt, nemo dubitat inſaniam eſſe iram, quamdiu durat. Vnde Horat. Ira furor breuis eſt. Inter fratres.) ſiue Atrei filios Agamemnonẽ & Menelaum, ſiue Thyeſtem & Atreum. nam utriq; con tendentes odioſe introducuntur à poëtis, maxime tragicis. quemadmodum etiam hic locus ex fabula quapiam tranſſumptus eſt, ſiue Ennij, ſi ue Accij, quorum Thyeſtes citatur: ſiue Euripidis Iphigenia Aulidenſi.

Maior mihi moles.) Ita etiam apud Senecam Atreus: Age anime, fac quod nulla poſteritas probet, Sed nulla taceat: aliquod audendum eſt ne fas Atrox, cruentũ, &c. Exiſſe de poteſtate.) non eſſe mentis compo tes, non apud ſe eſſe. Seipſi colligant.) ad ſe redeant, diſsipatas animi partes rurſus in ſuum locum congregent. Differant in tempus.) Id ue ro præſentiſſ. eſt iracundiæ remediũ, mora atq; dilatio, dũ relangueſcat animi feruor. Illud Archytæ.) Tarentini philoſophi. meminit huius apophthegmatis Plutarch. de Sera num. animaduerſ. Iſti.) Peripatetici. Clytũ.) Huius, præter Curtium, Arrianũ, alios meminit etiam Se neca lib. 3 de Ira. Quis enim dub.) Concludit diſputationem, qua con firmare inſtituit, uoluntarias eſſe animi perturbationes, & ex opinione iudicioq; ſuſcipi, præter naturã. Zopyrus.) qui φυσιογνώμων dictus eſt, quem Alcibiadis præceptorem fuiſſe Plutarchus tradit. Citiusq; repentinus.) In hanc ſententiam dictum etiam ab Ouid. de Remed. Prin cipijs obſta, ſero medicina paratur, Quum mala per longas inualue re moras. Nihil à philoſophia.) Quis ſit maximus philoſophiæ fructus, oſtendit. Quoad poßint.) Hoc eò dicit, quod tam diuerſæ ſunt inter philoſophos de bonorum malorumq; finibus opiniones, ut uix cer ti aliquid conſtitui ab his poßit. Hoc quatriduo.) his quatuor libris.

Morte enim.) de quo in primo. Eſt enim anacephalæoſis, ſiue epilogus ſuperiorũ. Dolore.) de quo in 2. Sedationẽ ægritud.) de qua in tertio. At eos.) Aegritudinem multo cæteris perturbationibus deteriorem eſſe docet. Separatim.) Nam toto tertio libro de ægritudine ſeparatim egit, de reliquis uero perturbationibus in hoc quarto.

Stirpitus.) Metaph. prouerbialis: unà cum ſtirpe, ut nullæ etiam fibræ remaneant. Ne ſani quidem.) inſani ergo. ut ad Stoicorum para doxon reſpiciat: omnes ſtultos inſanire. Aut igitur.) Cõcluſio per diſiunctum: ſola philoſophia conſtare bene beateq; uiuendi rationem.

IN LIB. V. ANNOTATIONES.

Abſoluta iam diſputatione de morte contemnenda, tolerando dolore, ægritudine cæteriſq́; animi perturbationibus ſedandis, quod reliquum erat, ex Stoicorum ſententia idipſum quoq; ſubiungit, nempe uirtutem ad bene beateq́; uiuendum ſeipſa eſſe contentam, neq; bonorum (quæ uocantur) ſiue corporis, ſiue fortunæ adminiculis egere: id quod Peripatetici tamen, Academiciq́; aſſerebant. Antequã tamen ad eam ſententiam confirmandam accedat, in philoſophiæ laudibus aliquantiſper inſiſtit. Ex eo libro.) *quem Brutus ſcripſit de Virtute, ad ipſum Ciceronem: cuius etiam in proœm. de Finib. meminit.* Tormenta.) *Eleganti metaphora fortunæ impetus tormenta uocat, quaſi bellicas machinas, quibus quamuis conſtans ſapientis animus deturbari à felicitate interdum, proſterniq́; poßit.* Nam cũ.) *philoſophiæ ſcopum eſſe uirtutem, ac uitæ beatitudinem ait.* Sin autem.) *Antitheſis: Sed quid ſi etiam fortunæ bona nonnihil eò conferunt? atq; in ea uelut* διαπορήσει *confirmanda aliquantulũ immoratur, propoſito ſuorum caſuum exemplo.* Famula fortunæ.) *quam tamen ſupra fortunam collocant Stoici, neq; eſſe caſibus obnoxiam affirmant.* Vota facienda.) *à dijs id ut contingat flagitandum. quod tum fieri demũ conſueuit, cum et noſtris uiribus & humani auxilij ſpe deſtituimur. Eſt autem prouerbiale.*

Vehementer exercuit.) *ſiue dum ab aduerſarijs in exiliũ pulſus eſt, ſiue cum chariß. filia fuit orbatus, cuius mortem nimis quàm familiariter tulit.* Inſanabiles.) *cuiuſmodi ſunt lepra, podagra, hydrops, &c.*

Auunculus tuus.) *Cato Vticenſis. fuit enim Seruiliæ, matris Bruti, frater.* Subter ſe.) *Omnia, inquit, ſubiecta ſibi habet uirtus. Sic Claudian.* Diuitijs animoſa ſuis, immotaq́; cũctis Caſib. ex alta mortalia deſpicit arce: Nihil opis externæ cupiens, nil indiga laudis. Cuius in ſinum.) *Prouerbialis formula: quemadmodũ & quæ ſequitur, in eundem portum.* O uitæ.) *Exclamatio per Apoſtrophen, qua philoſophiæ laudes exprimit.* At philoſophia.) *Increpat eos, qui philoſophiam tanquam rem nouam aſpernabantur, eamq́; eſſe antiquißimam, ac nomen ſolum habere nouum docet, quippe à Pythagora primò exortum, cum* σοφία *prius ipſa, & eius profeſſores* σοφοὶ *appellarentur.* Illos ſeptẽ.) *quorum nomina ſunt hæc: Solon, Thales, Chilo, Pittacus, Cleobulus, Bias, Periander, ſiue Myſon Chenenſis, ut Plato in Protag numerat.* Lycurgus.) *Spartanorum legislator, quem paulò ferunt poſteriorem fuiſſe Homero.* Vlyſſem & Neſtorem.) *quorum crebra apud Homerum men-*

rum mentio. Atlas.)Obiter fabularum aliquot allegoriam explicat. Et quod aſtrologiæ peritia excelluerint Atlas,Prometheus,Cepheus,eti am ex alijs fabularum expoſitoribus abunde liquet. Atlantem uero humeris ſuis cœlum geſtare fingunt poëtæ. Prometheum autem Caucaſo monti affixum,propter ſurreptum dijs ignem,& communicatum hominibus.De Cepheo Aethiopum rege, & Caßiopeia uxore ipſius,filiaq; Andromeda, & genero Perſeo, uide Ouid. Metamorph. lib.4. Bocat. 11.cap.25.Hyginum,& alios. Stellatus.) inter aſtra relatus. Ponticus Heraclides.) cuius de allegorijs Homericis doctiß.commentarium, & græcè ſcriptum,& latinitate nuper à Conrado Geſnero medico Tigurino, amico noſtro ſingulari,donatum,nunc typis excuditur. Phliuntem.) Peloponneſi urbem. Steph. Similem ſibi uideri.)Idem refert etiam Laertius in eius uita. Mercatum.)Olympicum intelligit.quanquam de quolibet frequenti mercatu poteſt intelligi hæc uox πανήγυρις,qua apud Laertium utitur. Rerum ampl.) philoſophicorũ dogmatum,qualia non pauca ab ipſo etiam alij philoſophi mutuati ſunt. Expo nit autem ea, præter alios, etiam Ouid. elegantißime lib.15.Metamor.

Phliaſium ſermonem.)cum Phliaſiorũ principe habitum, quem iam expoſuit. Græciam quæ magna.)Italiam,de qua ſuprà, & alibi. Inſtitutis & artibus.)ſacrorũ ceremonijs, quas ab Aegyptijs acceperat. I artibus uero,arithmetica,geometria,aſtrologia,&c. Antiqua philoſophia.)quæ tantum in naturalium rerum cognitione occupata erat.

Ad Socratem.)qui eam totam ad mores traduxit, celebri illo apophthegmate uti ſolitus,Quæ ſupra nos,nihil ad nos. Archelaũ.)Mileſiũ phyſicum,cuius etiam alibi non ſemel meminit. In urbibus.)unde politica philoſophiæ pars. In domos.) hinc Oeconomica. De uita & moribus.) quam ἠθικὴν, ſiue moralem uocant. Rebus'que bonis & malis.)uitijs & uirtutibus. Sententiam tegeremus.)dißimularemus, more Socratis, qui ex eo εἴρων quibuſdam eſt dictus, quod ſententiam ſuam perpetuò dißimularet,nihil'que ſciri poſſe affirmaret. unde etiam Academiæ nihil affirmãtis origo, quam præcipue amplexus eſt Cicero. Carneades.) de quo plura in prima Tuſculana.

Eodem in loco.)Academia Tuſculani. Non mihi uidetur.)Propoſitio diſputationis futuræ, ex Academica & Peripatetica ſententia, qua etiam corporis ac fortunæ bona adhuc requiruntur, præter uirtutem. Quid ni.) Aliud enim eſſe benè, aliud beate uiuere, declarat: quæ Stoicis tamen pro eodem accipiuntur. In equuleum conijciuntur.) etiam in tormentis durant. Eſt enim equuleus, tormenti

tormenti genus, equi forma, in quod conijciebantur rei. Rapientur *ad tortorem.*) *Eodem modo dixit, quo illud, in equuleum conijciuntur.*

Leuia uina.) *tenuia, quæ uel leuiter diluta ſaporem amittunt: aut primo ſtatim guſtu arrident, nihil uero iucundi ſaporis habent in receſſu. qualia eſſe* Stoicorũ *argumenta dicit, quæ guſtata quàm potata magis delectent.* *Chorus uirtutum.*) *uidelicet conſtantia, grauitas, ſapientia, fortitudo, quarum iam meminit.* M. Attilio.) De *huius fide, atq; conſtantia in ferendis quæ à* Pœnis *ei inferebãtur, cruciatibus, præter* Cic. li. 3. Off. *&* Polybium, *etiam* Gellius *meminit &* Valerius, *paſſimq; alij.* Q. *Cæpionis.*) *qui ob direptionem* Toloſanam, *unà cum exercitu miſere interijt. Vide prouerb.* Toloſanum *aurum.* M. Aquilio.) *De quo repetundarum reo* Abbreuiator Liuij *Epit.* 70. *&* Cic. *de Orat.* 2. *& in* Actionib. *in* Verrem. *Vt maris igitur.*) Elegans *ſimile.*

Nam geometræ.) *Exempla ex* Euclide *atq;* Archimede *petas licet.*

Tanta præſertim.) *Quanta uero ſit, iam explicat.* Nam Xerxes.) Perſarum *rex. Idem de* Xerxe *tradit etiam* Valerius. *id tamen in genere de* Perſarum *regibus,* Athenæus *lib.* 3. *refert. Digna res, ſi dijs placet, quàm ita ſtudioſe* Ro. *aliquot imperatores, ut* Tiberius, Heliogabalus, *alijq; imitarentur: quemadmodum hiſtorijs eſt proditum.* *Ariſtone et* Antiocho.) *fratribus, ueteris* Academiæ *philoſophis, quos alibi etiam celebrat.* Athenis *imperator.*) *cum proconſul miſſus eſt in* Ciliciam. *ubi re feliciter adminiſtrata, &* Rhodũ, *&* Athenas, *aliaq; loca in quibus iuuenis quondam ſtudiorum gratia uerſatus fuerat, ſe inuiſiſſe, aliquoties prædicat.* *Neq; tamen beatiſsimam.*) Ridetur idem Academicorum *argumentum, etiam à* Seneca. Enucleare.) *diligenter exquirere, ueluti nucleos. metaphora.* *Vt ſit beatior.*) In *libris de* Finib. *aliter, quia ut* Peripateticus: *hic uero ut* Stoicus. *Tria genera.*) *animi, corporis fortunæ. totidem uero etiam bonorum genera ſtatuunt.* In *rotã.*) Tormenti *genus eſt, graſſatoribus ferè ac latronibus deſtinatum. ad quod* Verg. *reſpexiſſe uidetur* Aeneid. 6. *Radijsq; rotarum* Diſtricti *pendẽt.* In Calliſthene *ſuo.*) *libro ita inſcripto, cuius ſuprà lib.* 3. *quoque facta mentio eſt.* *Vitã regi fortuna.*) Trimeter *eſt. In hanc ſententiam eleganter* Plinius: Fortuna, *inquit, in tota mortalium ratione ſola utranq; paginam facit. &* Ouid. Nempe *dat, & quodcunq; libet* Fortuna, *rapitq;.* *An malumus.*) Rurſus Epicuri *inconſtantiã notat, quemadmodum & ſuprà lib.* 2. *Negat quenquam.*) Idem *lib.* 1. *de* Finib.

Quàm fortunam.) Erat *et hæc* Epicuri *ſententia, quam laudat,* Raro *fortuna ſapienti interuenit.* Metrodorus.) Epicuri *diſcipulus, cuius, perinde*

perinde atque Epicuri,*uitam quoque diſsidere à uerbis oſtendit.* In *uiſceribus.) quia uoluptatis aſſertor.* Quid *cuique dicendum.) quid quenque dicere conueniat.* Secretis.*) amotis malis , atque ſeiunctis.* Communibus magiſtris.*) qui mihi & Bruto communes fuerunt,ut* Antiochus, Ariſto,*alij.* Speuſippo.*) Platonis ex ſorore nepoti.* Si dijs placet.*) Prouerbialis ironia.* Non igitur ex ſingulis.*) Elegans ſententia, non ex eo æſtimandum eſſe philoſophum,ſi quid ſemel atq; iterum benè ac rectè dixerit, ſed ſi conſtanter atq; perpetuò. Alioqui ſæpe etiam peſsimorum hominum præclaras ſententias eſt animaduertere.* Tabellis obſignatis.*) Prouerbialis metaphora: hoc eſt, diuerſæ ſententiæ me conuincis ex meis ſcriptis.perinde atque cum alicui obſignatæ ſuæ ad aliquem literæ obijciuntur, in quibus tum aliter ſcripſerit,quàm nunc ſentiat.* Nos in diem uiuimus.*) id eſt tenemus aliquid,defendimusq; tamdiu, dũ afferat dies aliquid probabilius. Eſtq; hæc ipſa quoq; prouerbialis metaphora.* Nos teneamus.*) ut idẽ ſit beatus,& beatiſsimus.* Cittieus.*) Ex Cittio Cypri urbe. de hoc uide* Laertium. Archelaum.*) Macedoniæ regem.* Epitaphio.*) libro eiuſdem Platonis.* Nanq; alias beſtias.*) Ex Ariſtotele ad uerbũ tranſſcriptus locus, ut eleganter à Perionio eſt obſeruatum.* Laconis dictũ.*) Meminit huius etiã Plutarch. in Apophtheg. Laconicis.* Num ſe eſſet.*) Magnanima uox, qua ſignificabant, moriendum potius eſſe forti uiro, quàm ſeruiendum: quin per mortem cuiuis licere ſe in libertatem uendicare.* Qualia igitur iſta.*) Colligit non eſſe bona quæ ſunt corporis & fortunæ, quandoquidem etiam miſer eſſe is poteſt, qui illis eſt præditus.* Euryclia.*) nutrix* Vlyſsis,*quam* Pacuuius *in* Niptra *ita introducebat Vlyſsi pedes abluentem. & meminit* Homer. Iliad. 19. *& ſuprà nonnihil lib. 2. de eadem eſt dictum.* Producta.*) προηγμένα. ſed et de his ſuprà.* Talem eſſe orationem.*) Vnde etiam in prouerbiũ abijt, Qualis homo, talis eius oratio: &, Animi index oratio.* Conſilijs noſtris.*) Carmen græcum citatur à* Pauſania *in* Bœoticis,*& eleganter extat conuerſum à* Camerario. A ſole.*) Verſus ſunt* Ennij, *apud quem* Scipio *ita gloriabũdus deſcribebatur.* Contrariorum enim.*) ut ſi in uitio miſeram uitam ſtatuimus, in uirtute beatam ſtatuere ſit neceſſe.* Libra Critolai.*) Critolaus &* Xenocrates *in uirtute ponebant quidem uitam beatam , ſed ut ea beatiſsima fieret, externis etiam bonis opus eſſe dicebant, corporis uidelicet & fortunæ.* Hac *autem libræ ſimilitudine uti ſolebat* Critolaus*, ut oſtenderet quanto eſſent animi bona, corporis & fortunæ bonis præſtantiora. Meminit huius ſimilitudinis etiam lib.*

5.de Finib. Similem'ue putas.)Exemplis probat, beatã uitam in uirtute poſitam eſſe. C.Lælij.)ſapientis ac boni uiri,qui conſul cũ Cor. Scipione fuit. L.Cinnæ.)hominis improbi, ac reipub.perturbatoris.

Sic cum ſapiens.) Dicit non minorem repulſam ferre populũ, quàm ſapientem,quũ is à populo negligitur.Quò pertinet illud Pauli Aemilij, qui conſul deſignatus,ſe non habere gratiam populo dixit, quũ illis conſule magis,quàm conſulatu ſibi fuerit opus. Tu quid reſponſ.) nempe id quod bonus uir,ut unum C. Lælij conſulatum quatuor Cinnæ præferres. Lælius.) Confert inter ſe conſulatus Cinnæ & Lælij. Etſi peccare.)Correctio. Dicimus licere.)Hinc dicta licentia, qua omnes fieri deteriores,elegãter dixit Terentius. C.Marius.)Vide Plutarch. in eius uita. Accipere quàm facere.) Socratis ſententia, ſæpe apud Platonẽ repetita, ἥκιστον εἶναι τὸ ἀδικεῖσθαι τοῦ ἀδικεῖν. Qua pulchritud.urbem.)Syracuſas intelligit,de qua fuſius in 6.Verrina. Sũt autem quæ hic de Dionyſio recenſet Cicero,memoratu cum primis digna, nec ita paßim obuia. Conuenis.)συνήλυδας Græci uocant.intelligit autem ſatellites, ſiue regij corporis ſtipatores, mercenarios milites. Vide plura etiam de hoc Dionyſio apud Plutarch.in Dione,& Valerium.

Sic diſtrahuntur.)Epiphonema. Impotentium.) qui imperare cupiditatibus ſuis non poſſunt,etiam Græcis ἀκρατεῖς dicuntur. Nam cum quidam.)Idẽ refert etiã Macrob.in Som.Sci.lib.1.cap.10. In Pythagoreis.)Damone & Pythia,quorum amicitiæ meminit lib. 3. Offic. Cic.& Plutarch. περὶ πολυφιλίας. Poëtam etiam Tragicum.) Vnde Plin.refert,gaudio eum obijſſe,accepto tragicæ uictoriæ nuncio.& celebratur illud quoq;, Philoxenum ideo in Latomias coniectum, quod recitata ab eo carmina laudare noluiſſet. Aquinio.) Fortè Aquilio, quem poëtam durìß.uocat in epiſt.ad Atticum, ubi etiam ſententiæ huius meminit: Nemo unquã, inquit,neq; poeta neq; orator fuit, qui quenquam meliorem quàm ſe arbitraretur. Hoc etiam malis contingit, &c.

Te tua.) Prouerbiale.Eodem loco ad Att. Quare ſine quæſo,inquit, quenq; ſibi ſcribere, cuiq; ſuã ſponſam,mihi meam:ſuũ cuiq; amorem, mihi meum.&c. Humilem homunculum.) Archimedem tenui ſorte præditum,qualẽ etiam Silius deſcribit lib. 14. Vir fuit Iſthmiacis decus immortale colonis,Ingenio facile ante alios telluris alumnos,Nudus opũ, ſed cui cœlum terræq; paterent,&c. A puluere.)geometrico,in quo deſcribere geometrica ſchemata ſolebat,id que radio,hoc eſt baculo ſeu uirga geometrica. Vnde etiam Vergil. Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem. Gloriatur autem hoc loco Cicero,captata per digreßiunculam

tam occaſione,à ſe repertum Archimedis ſepulchrum,ipſis etiam Syracuſanis ignoratum. Ad portas Agragianas.)ab Agraga fluuio, uel per quas Agrigentũ ibatur,quæ etiam ipſa urbs Græcis ἀκράγας dicebatur.

Sphæræ et cylindri.)Nã de his ſcripſit duos libros Archimedes,quẽadmodum & de alijs,qui nuper uelut ab Orco reuocati,iam(ut ſuprà etiam diximus)bonorum uirorum ſtudio in lucem eduntur. Baſin.)Columellæ pedem dicit, cui illa inniteretur. Arpinate.) Cicerone, ex Arpino obſcuro alioqui oppido,cuias fuit etiam C.Marius,ortũ. Cum humanitate.) De hoc uerbo uide quæ annotauit Gellius lib.13. cap.16.

Etenim quæ pars.)Probat ſolis animi bonis (quæ uirtus eſt) non corporis,aut fortunæ,felicitatẽ cõſtare. Sumatur enim nobis.) Depingit exemplar ſapientis uiri,quale ferè ſummi oratoris fingit in lib.de Orat.

Triplex animi fœtus.)triplex philoſophiæ diſtributio. In cognitione rerũ.)quæ philoſophiæ pars eſt naturalis,ſiue φυσική. In deſcriptione.) ἠθική, ſiue Moralis. In iudicando.) λογική, ſiue rationalis.

Septẽ alia.)Planetas intelligit. Vagi motus.)unde et planetæ Græcis, Latinis errones dicuntur. Initiorum.) quæ ſit rerum origo, quam alia aquam,alij ignem, alij atomos,alij alia ſtatuerunt. Viciſſitudo.) de qua etiam Pythag.apud Ouid. Omnia uertuntur,nihil interit,&c. Librata pond.)Sic Ouid.Ponderibus librata ſuis. Vt ipſa ſe mens.) Nam etiam alibi dictum eſt,in forib. templi Delphici ſcriptum fuiſſe γνῶθι σαὑτὸν, id eſt Cognoſce teipſum. Hinc illa cognitio uirtutis.)Pulchre moralẽ philoſophiæ partem naturali ſubiungit, atq; utriq; poſtremo rationalem. Extremum in bonis.) De hoc in lib.de Finib. Degendæ ætatis ratio.) De qua in Officijs. Tertia.)quæ rationalis eſt,ſiue λογική. Trãſeat ad Remp.)quod prohibet Epicurus.

Adiũge fructum amicitiæ.) de hoc lõga eſt diſputatio apud Ariſt.li.9. Ethicorũ. In uiola.)id eſt in delicijs.et uitæ iucũditate. An Epicuro.) Rurſus Epicurũ uerbis ſolum philoſophari dicit,reuera nihil eſſe minus ꝗ philoſophũ. Balbutire deſinãt.)hoc eſt parũ expeditè ſentẽtias ſuas proferre. A' laqueis Stoicorũ.)quas alibi etiã ſpinas dixit,et nimis cõtortas cõcluſiunculas.etc. Cœlũ contingant.)excellant atq; emineant. prouerbialis hyperbole. Faces intẽtat.)grauiſſime affligit. Alluſio ad Furiarũ faces, quas eis poetæ attribuunt. Pueri Spartiatæ.)De his etiã ſuprà paulo. Nudi ætatẽ.) unde etiã Gymnoſophiſtæ dicũtur, de quibus multa mentio apud Arrianũ, & alios. Mulieres uero.)Suprà quoq; de iiſdẽ,plura uero Herod.in Terpſich.& Diodor.li.19. Aegyptiorũ morẽ.)Huius generis ſuperſtitionẽ elegãter præter alios perſtrin

git Iuuenal.ſatyra 15. *Nulla uincula.)quoniã nulli philoſophorũ ſectæ addictus es.* Retractatione.)*dubitatione,aut recuſatione.* Sunt autem.)*Breuiter colligit diuerſas philoſophorũ ſentẽtias de finibus.* Ad cœlum extulerint.) *Rurſus prouerbialis hyperbole,ut ſuprà; Cœlũ contingant.* Breuitate conſolatur.) *Ita enim dicebat Epicurus: Dolor ſi ſummus, breuis:ſi longus,leuis.quæ etiã ſuprà citauimus.* Iſti grandiloqui.) *Peripateticos dicit,et Stoicos.* Hic uero ipſe.)*Epicurus, nempe qui ſe aqua & pane cibario contentum eſſe ſcribit in quadam epiſtola,& caſeũ inter lautitias numerat.* An Scythes.)*Exemplis iam probat, quæ rationibus egit hactenus.Extat autem Anacharſidis epiſtola, cuius hic meminit,inter græcas quæ circunferuntur.* Scythicum teg.) *ex ferarum tergoribus.* Solorum callum.)*calloſa pedum cutis.Innuit ſe nudis pedibus incedere ſolitum,& iam callum duxiſſe.* Pulpament. fam.)*Alludit ad prouerb.Optimum obſonium fames.* In pompa.)*ſacrorum apparatu. Cæterum hæc eadem apophthegmata, quæ hic aliquot recenſet,uidere eſt apud Plutarch.& Eraſmum in Apophtheg.*

Quinquaginta talenta.)*hoc eſt triginta milia coronatorum.* Triginta minas.) *trecentos coronatos.* Vt Cynicus.)*id eſt impudentior ac liberior,dicaciorq́;,cuiuſmodi erant Cynici.* Apricanti.)*ſolem captanti obſtiterat.* Non nimis fort.) *Reprehendit hanc Epicuri diuiſionem etiam lib.2.de Finib.* Paruo cultu.) *Sic Seneca: Paucis natura eget,opinio multis.* Deſiderijs.)*cum deſiderantur: ut cum latrat ſtomachus,optimũ condimentũ eſt fames, ita ſitienti aqua,frigẽti quoduis amiculum,&c.* Darius.) *Refertur & ab Arriano, Curtio, alijs. & non abſimile eſt quod de Artaxerxe Plutarchus memoriæ prodidit.*

Ptolemæus.)*De Ptolemæo Lagi fortè intelligendum,cuius frugalitas etiam præter alios commendatur.Erat autẽ hoc commune nomen Aegyptiorum regibus.* Socratem.)*Meminit Athen.lib.4. Dipnoſoph.*

Cõtentius.)*citatiore gradu,quo maius eſſet exercitiũ.* Obſonare.) *pro obſonio parare. Atq; id etiam lib.2: de Finib.refert ſolitũ dicere Socratem,ſibi condimentũ eſſe famem,potionis ſitim. Et Alexandro quoque regi tale quid adſcribunt, qui ſe optimos habere* ὀψοποιοὺς *dixerit, ad prandium quidem* τὴν νυκτοπορίαν, *ad cœnam uero* τὴν ὀλιγαριστίαν. Phiditijs.)*Sic uocabant conuiuia ſua Spartani,ſiue à parſimonia,*ἀπὸ τοῦ φείδομαι *quod eſt parco: ſiue* ἀπὸ τῆς φιλίας,*ab amicitia, cuius conciliandæ confirmandæq; cauſa uidebantur inſtituta: unius uidelicet ſolum literæ immutatione* τοῦ λ *in* δ,*tanquam* φιλίτια.*Vide Plutarch.in Lycurgo.* Dionyſius.)*Plutarch.in dictis regum.* Ab Eurota.)

rota.)fluuio prope Spartam, ad cuius ripam ſe exercere iuuentus ſo lebat. A' Xenophonte.) *lib.1.de Pædia Cyri,& Strab.lib.15.* Inte*gritatem ualetudinis.)*Nihil *enim æquè fugat ægritudinē,ac uictus modeſtia: quemadmodum nulla eſt morborum expeditior materia ut uaria rum lautiorumq; epularum luxus.In quam ſententiam eleganter ab* Ho*ratio dictum eſt lib.2.Serm.*

Accipe nunc tenuis uictus quæ, quantaq; ſecum
Afferat:in primis,ualeas bene.nam uariæ res
Vt noceant homini,credas,memor illius eſcæ
Quæ ſimplex olim tibi ſederit.at ſimul aßis
Miſcueris elixa,ſimul conchilia turdis,
Dulcia ſe in bilem uertent ſtomachoq; tumultum
Lenta feret pituita,&c.

Extat elegans ſuper hac quoq; re diſputatio apud Macrobium in Saturnalib. Timotheum.) *Cononis fil.De hoc Athen. lib.10.* Epiſtola Platonis.)*Extat illa etiamnum græcè.Et abierunt in prouerb. Siculæ ſi ue Syracuſanæ,&* Italicæ *menſæ,de quibus* Eraſ.in Chiliad. Comi*tantur huic.)* Conſtructio *græca,* ἕπονται τούτῳ τῷ βίῳ,*cum alioqui accuſatiuo iungi ſoleat. Sardanapali.)Aßyriorum regis,cuius luxus ac mollicies etiam prouerbio locum fecit.Meminit ipſius* Diodorus *lib.3.* Iuſtin.*lib.1.Athen.8.& 12.* Signis.)*ſimulacris,ſiue ſtatuis fabrefactis,quæ paßim in theatris ſpectãdæ exhibebantur, quemadmodum et pictæ tabulæ.* Popularis *offenſio.) repulſa.* Commēdatio *in uulgus.)gratia apud uulgum,quam candidati honorum captabant ſummo ſtudio.* Hic *eſt ille.)*οὗτος ἐκεῖνος ὁ Δημοσθένης.Meminit Plin.Epiſt.*li. 9.& eò reſpexiſſe* Perſius *quoq; uidetur,quum ait,* At *pulchrum eſt digito monſtrari,& dicier hic eſt.* Veni *Athenas.)*Idem de Democri*to refert* Laertius. *Suo,non multitudinis arbitrio.)* Tale *eſt* Antige*nidæ tibicinis ad diſcipulum apophthegma,*Mihi *cane & muſis.* Eſt *apud* Heraclitum.) Idem recenſent Laertius,Plinius,Strabo. Exupe*rantiã uirtutis oderunt.)* De *hoc Ariſt.Polit, lib.3. & Plutarch.in Ari ſtide,et alibi de Oſtraciſmo.* Patria *eſt.)Ex tragœdia quapiam,* Teu*cri exulantis uerba.Tale etiam eſt illud Ouidij.Omne ſolum forti patria eſt,ut piſcibus æquor.* Epicuri *legibus.)quibus cauet, ne ſapiens rem pub.capeſſat.* Xenocratē.)*qui Chalcidenſis erat.* Areſilam.)*qui* Pythaneus. *Ergo non refert ad felicitatem,quo quis loco ſit natus aut uerſetur.erat autem uterq;* Athenenſis, Plato *&* Polemo. *Iſta ciuitas.)Athenas intelligit,ex qua optimi quiq; in exilium acti leguntur.*

Demarathus.)De eodem Liuius,Dionyſ.Strabo,alij. Horribilis.) *Etiam cæcitatem,quamlibet horribile malum,non obſtare ſapienti ait, quo minus eſſe beatus poßit:quippe qui animo cernat, etiã ea quæ corporis oculos latent.* Idq; *doctorum uirorum qui cæci fuerint, exemplis aliquot probat.et extant hodie quoq;* Cæci Brugenſis, *qui nuper uixit, ſcripta quædam minime uulgaria.* Appium.)De Appio Claudio *cæco multa eſt apud Liuium,Dionyſium,Valerium, & alios mentio.præter quos uide etiam Rutilium in Iureconſultorum uitis.* C.Druſi.) *iureconſulti.nam fuerunt multi etiam alij Druſi.* Conſultoribus.) *ſic uocantur,qui de iure conſulunt, hoc eſt conſilium petunt: ſicut conſulti, qui dant conſilium.* Cn.Aufidius.)*Vide etiam de hoc Rutilij uitas.*

Diodorus.) *Meminit huius etiam de Finib. & alibi. eſtq; uel in primis memorabile,quod hoc loco de eo tradit.* Pythag.more.)*Hos ad lyræ modulos & obdormire & euigilare ſolitos, etiam antea dictũ eſt.*

Inexercitum.)*parum exercitatum.Sic Verg.exercitum pro exercitato dixit,Nate Iliacis exercite fatis.* Vt puero uno.) *quo duce,ac ueluti ſcipione uteretur,unde etiam Scipionum nomen duxiſſe originem tradunt.* Græcis.)*qui apud Ro.& mendicando.et ſordidißima quæq; obeundo,uictum ac neceßaria quærebãt. Vnde eſt illud Iuuenalis,Græculus eſuriens in cœlum iuſſeris ibit.* Democritus.) *qui dicitur oculis ſe priuaſſe,ne oculorum aſpectu à contemplatione rerum abduceretur, ut ait idẽ Cic.li.5.de Finib.id quod tamẽ refellit Plutarch.in li. de Curioſitate.* Quod ante pedes.)*Prouerbiale, à ſcommate ancillæ in Thaletem, deductum.de quo uide Laertiũ. Et ſeruus apud Terent.ſapientis eſſe dicit,Non quod ante pedes modo eſt uidere,ſed etiã illa quæ futura ſunt perſpicere.* Homerũ cæcum.) *inde etiam Homeri nomen ſortitum,cum Meleſigenes antea diceretur.ὁμήρους enim Cumæi et Iones oculis captos uocant. Vide Plutarch.& Herodotũ in eius uita.* Picturã, non poeſim.) *Magna laus Homericæ poeſeos,quaſi oculis cerni, nõ legi uideantur,quæcũq; deſcribũtur apud illũ,ob illuſtrem omnium expreſſionem. Atq; huc reſpexit etiã Horat.in Arte,cũ inquit: Vt pictura, poeſis erit.* Reliquiſſent.) *Nam de utroq; proditũ memoriæ eſt,relicto amplißimo quod habebant,patrimonio rerum contemplationẽ ac philoſophiæ ſtudiũ in exteras nationes eſſe ſecutũ. Vide Laertiũ.* Tireſiam.) *uatem Thebanum,à Iunone excæcatũ,cui Iupiter ſcire futura dedit, crimenq; leuauit honore,ut Ouid. ait in Metamor.Paßim eius mentionem faciũt tã latini quàm græci poetæ.* Polyphemũ.)*Odyſſ.ι.* Cyclops.) *generale nomẽ eorũ qui in Sicilia fuiſſe à poetis fingũtur unoculi, quod*

unum

unum ſolum in fronte oculũ geſtarent, Argolici clypei, aut Phœbeæ lam padis inſtar, ut eleganter in 3. Aen. canit Verg. In ſurditate.) *Neque ſurditatem obſtare ſapienti quo minus fœlix cenſendus ſit, non magis quàm cæcitatẽ, deinceps exemplis probat.* Male audiebat.) *Fortè propter auaritiam. quia aurum Parthicũ ſitiebat, etiam uſq; ad exitiũ. Male autem audire eſt, infamia laborare: ſicut bene audire, laudari. Idẽ Cic. ad Att. Hanc nonnulli amici Appij ridiculè interpretantur, qui me iccirco putent bene audire uelle, ut ille male audiat, &c.* Noſtri.) Latini.

At uocẽ.) *Auditus cõmoda cũ ſurditatis incommodis confert.* Ante quam ij ſint inuenti.) *Nam muſicæ inuentionem alij Lino, alij Orpheo, alij Amphioni adſcribunt: alij Muſis ipſis, & Apollini.* Secũ loqui.) *Celebratur apophthegma Cratis Thebani, qui adoleſcenti ſecretò ambulanti, cum quid ita ſolus ageret, eum interrogaſſet: is uero, ſecum loqui ſe, reſpondiſſet: eleganter admonuerit, ſedulo cauendum igitur ei, ne cum homine malo loqueretur. Eſt autem ſecum loqui, contemplationib. uacare: id quod uel præcipuè ſapiẽtis eſt opus, qui nunquã minus quàm cũ ſolus eſt, eſſe ſolus conſueuit.* Cõficiunt.) *excarnificant, excruciãt hominẽ. Dicit aũt in ſummis dolorib. et cruciatib. præſto eſſe mortẽ, ueluti omnium uitæ erumnarum finem, & quaſi portũ, in quem cõfugere ſapienti liceat.* Theodorus.) *De hoc lib. 1. dictum eſt.* Perſæ.) *regi Macedonum à ſe deuicto.* In tua id.) *Innuebat, poſſe illum ſibi ipſi manus inferre, atq; ita ſe ab ignominia illa uindicare. Vide Plutarch. in Aemylio.* Primo die.) *in prima Tuſculana.* Poſtero.) *libro ſecundo.*

Optandam.) *ſi immortalis eſt anima.* Non timendam.) *ſi mortalis.* Aut bibat, aut abeat.) ἢ πίθι ἢ ἄπιθι. *Vide Eraſ. Chiliadas.*

Quodſi.) *Argumentum à maiori: Si philoſophis illis uoluptuarijs, qualis fuit Epicurus & Hieronymus, beatus eſſe ſapiens uidetur: quanto magis de eo ita iudicabunt illi, qui uirtuti tantum tribuunt, Socrates & Plato, ſummi philoſophi.* Alij.) *Peripatici & Academici.* Alij.) *Stoici.* Honorarius arbiter.) *Sic uocant eum, cui honoris cauſa arbitrium inter diſceptantes permittitur, quem utraq; litigantium pars honoris cauſa diligit atq; conſtituit cõtrouerſiæ ſuæ iudicẽ.* Alteros quinque.) *De finibus inſcriptos.*

ANNOTATIONVM IANI PAGNINI
in libros Tuſculan. quæſtionum
Finis.

FRANCISCVS SYLVIVS NICOLAO BAVdequino Iuriſc. Nogentino ac Duelliano Priori, & Canonico Pariſienſi S.

AVtumno proximo, quum uicinos noſtros quærendæ pecuniæ quàm ſalutis tuendæ cura maior occupaſſet, eos peſtis inuaſit. Quocirca in re periculoſa, quæ ſubito contigit, præſens conſilium adhibendum fuit. Quamuis enim ſchola noſtra in loco urbis altiſſimo ad orientem poſita, aërem habeat longe ſaluberrimum, mihi tamen uiſum eſt in pagum aliquem ſecedere, eosq; iuuenes meæ & eruditioni & cuſtodiæ cõmiſſos deducere: tum quod aër quanto eſt ſalubrior, tanto aëre peſtilente, ſi admiſceatur, facilius corrumpitur: tum quod iuuentus magis timida eſt, & huic malo magis obnoxia. Quum igitur locum quæreremus, quò nobis ex tanto periculo cõfugere liceret: nec inuenire tam cito poſſemus, quũ propter nimis magnam de huius urbis peſte famam, tum quod iam alij innumerabiles ad pagos confugerant, œconomo noſtro Gilberto Vallerſio uenit in mentem, habere te domum Gentiliaci, quæ nobis opportuna eſſet propter loci cõmoditatẽ, et urbis huius propinquitatem. Iſtam tuam domum à te meo nomine poſtulans, nullo negocio impetrauit. Qua in re beneuolentiã in me tuam oſtendiſti maiorem, teq; amicum certum in re incerta probaſti. Vt igitur gratum me & memorem ſentias, Commentarios eos quos noctibus contractioribus in Ciceronis Paradoxa, quæ domi tuæ enarrabam, ſcripſi, nomini tuo nuncupo. Eos comiter et amice ut accipias, oro te, atq; obſecro. Bene uale. 14. die Martij. M.D. XXXII. e ſchola Tornaca.

FRANCISCI SYLVII
IN M. TVL. CICERONIS PAradoxa Commentarius.

PAradoxa interpretatur Quintilianus libro 9. inopinata: Cicero in libro Academicarum quæſtionum quarto, admirabilia. παρὰ enim præter, et δόξα opinio Græce dicitur. Hæc autem quia diſcrepant ab opinione populari, admirabilia uidentur. Ea autẽ à Zenone Cittieo, qui Stoicorum autor fuit, originem habent. Cuius illæ ſententiæ atq; præcepta ſunt apud Ciceronẽ in Oratione pro L. Murena, Sapientem gra

tem gratia nunquam moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere. Nemi-nem miſericordem eſſe, niſi ſtultum et leuem. Viri eſſe neq; exorari, neq; pla cari. Solos ſapientes eſſe: ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi mendiciſſimi, diuites: ſi ſeruitutem ſeruiant, reges. Nos autẽ qui ſapientes non ſumus, fugitiuos, exu les, hoſtes, inſanos deniq; eſſe dicunt. Omnia peccata eſſe paria. Omne delictũ ſcelus eſſe nefarium. Nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceũ, cum opus non fuerit, quàm eum qui patrem ſuffocauerit. Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam. Iidem Stoi ci dicunt, ut ait idem libro quarto Academicarum, omnia quæ ubiq; eſſent, ſa pientis eſſe: neminẽ Conſulem, Prætorem, Imperatorem, neſcio an ne Quin-queuirum quidem, niſi ſapientem, ſolum ciuem, ſolum liberũ. inſipientes om-nes, peregrinos, exules, ſeruos, furioſos. Deniq; ſcripta Lycurgi, Solonis, Duo decim tabulas noſtras, nõ eſſe leges: ne urbes deniq; aut ciuitates, niſi quæ eſ-ſent ſapientum. Alia quoq; ſunt apud Diogenem Laërtium in uita Zenonis Cittiei, in libro. 7. quæ prudens omitto. Ex his tam multis Stoicorum Parado-xis, Cicero in hoc libello ſex tantũ tractat: ut inde ſpecimen præbeat: alia quo que probari poſſe. Hecatonem Stoicum, alia quoq; multa probaſſe conijcere licet, quem idem Laertius eodem libro citat ex libro de Paradoxis tertio. Ad M. Brutum.) Hic eſt Brutus, qui fuit unus ex Cæſaris interfectoribus, cuius ui tam Plutarchus ſcripſit. Cicero quantum hunc dilexerit, ſcribit ad M. Cælium libro Epiſtolarum familiarum ſecundo: Brutum, inquit, à me amari intelli-gis. Quid eſt cauſæ cur mihi non in optatis ſit complecti hominem florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis: colle-gam meũ præſertim, & in ipſa collegij laude & ſcientia ſtudioſum mei. Idem ad Dolabellum libro. 9. Semper amaui M. Brutum propter eius ſummum in genium, ſuauiſſimos mores, ſingularem probitatem atq; conſtantiam.

Catonem auunculum tuum.) Seruilia Bruti mater, Catonis minoris ſoror fuit, ut ait Aſconius Pædianus. Idem ſcribens Plutarchus autor eſt, hunc Bru-tum referre genus paternum ad Brutum eum, qui Tarquinios ex urbe eiecit, & maternum ad Seruilium Halam, à quo magiſtro equitum Sp. Melius occi ſus eſt. Sententiam diceret.) id eſt deliberaret. Senator enim ſententiam dicit, iudex autẽ dicit & fert. Publico.) id eſt cõcionatorio, quod genus ad populũ fit. Dicendo.) id eſt, ui orationis et copia. Conſequi.) id eſt, obtinere. Etiã populo.) id eſt nõ ſolũ Senatui, ſed etiã populo. Probabilia) id eſt uerisſimilia & credibilia. Quod eo maius.) id eſt magis arduum & difficile. Ea philoſo phia.) Academica, aut Peripatetica, quamuis uterq; Academicus fuerit. ſed non longe differunt Academici & Peripatetici. Quæ peperit dicendi co-piam.) Quamuis multa ſint philoſophiæ genera, tamen de philoſophia mora

li præcipue locus hic intelligitur, quod genus ſemper oratoris fuit. Carneades Academicus, ut ait Cic. libro de Oratore primo, ſignificabat eos qui rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil planè tenere, neque poſſe quenquam facultatem aſſequi dicendi, niſi qui philoſophorum inuenta didiciſſet. Idem de Claris oratoribus: Peripateticorum, inquit, & Academicorum conſuetudo in ratione dicendi talis eſt, ut nec perficere oratorem poßit ipſa per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. Paulo pòſt cõmendat Platonis ubertatem, uim Ariſtotelis, ſuauitatem Theophraſti. Quæ nõ multum diſcrepant ab opinione populari.) Peripatetici & Academici corporis & fortunæ bona eſſe dicunt. Negant Stoici quicquàm eſſe bonũ præter uirtutem. Vitia eſſe paria hi dicunt, illi negant. Aliaq; innumerabilia ſunt, quibus non conuenit inter Stoicos & Academicos & Peripateticos. In quibus hi dicunt ea, quæ non multum diſcrepant ab opinione populari. Et ea ſentit.) Stoici aliter in ſcholis de uirtute diſputant, aliter domi uiuunt. M. autem Cato homo ingenioſißimus, autoribus eruditißimis præceptoribus inductus, Stoicorum præcepta arripuit: neq; diſputandi cauſa, ut magna pars, ſed ita uiuendi, ut ait Cicero pro L. Murena. Nõ igitur aliter ſentit Cato ac diſputat. In ea hæreſi.) id eſt in ea ſecta, Stoicorum ſcilicet. Eſt autem uocabulum græcum, ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι, id eſt ab eligendo. Quæ nullũ ſequitur florem orationis.) Stoici enim ſunt inelegãtes. quanquàm, ut ait Cicero libro de Finibus quarto, ſcripſit artem rhetoricam Cleanthes, Chryſippus etiam: ſed ſic, ut ſi quis obmuteſcere concupierit, nihil aliud legere debeat. Neq; dilatat argumentũ.) id eſt, dicendi copia non dilatat materiam, ut Peripatetici & Academici faciunt. Catonem tamen eloquentem fuiſſe, Cicero de Claris oratoribus tradit. Cuius uerba pluſcula huc aſcribo, quod ad hanc rem pertineant. Hoc, inquit, idem in noſtris contingere intelligo, quod in Græcis, omnes ut ferè Stoici prudentißimi in diſſerendo ſint, & id arte faciant, ſintq; architecti penè uerborum. ijdẽ tradu cti à diſputando ad dicendum, inopes reperiantur. unum excipio Catonem, in quo perfectißimo Stoico ſummam eloquentiam non deſiderem. Stoicorum enim in dialecticis omnis cura conſumitur: uagum illud orationis & fuſum & multiplex non adhibetur genus. Cato autem habet à Stoicis id quod ab illis petendum fuit: ſed dicere didicit à dicendi magiſtris, eorumq; more ſe exercuit. Sed minutis interrogatiunculis.) Solent enim Stoici breuiter perſtringere argumenta, ut ait Cicero libro Tuſculanarum Quæſtionum tertio. Et ut idem ait libro de Finibus IIII. pungunt quaſi aculeis, interrogatiunculis anguſtis, quibus etiam qui aſſentiuntur, nihil commutantur animo: & ijdem abeunt, qui uenerant. Horum aſtrictior eſt oratio, ut ait Cicero de Claris oratoribus: aliquantoq; contractior, quàm aures populi requirunt. Eodem autore libro

re libro de Oratore tertio, orationis genus Stoici habent fortaſſe ſubtile, & certe acutum: ſed ut in oratore exile, inuſitatum, abhorrens ab auribus uulgi, obſcurum, inane, ieiunum: attamen eiuſmodi, quo uti ad uulgus nullo modo poßis. Argumenta Stoicorum idem libro de Oratore 1. laqueos diſputationum & interrogationum appellat. Nec omnia eorum argumenta ſunt per interrogationem, ſed certe acuta ſunt & breuia. Quale eſt illud libro Tuſculanarum 3. Quemadmodũ miſericordia ægritudo eſt ex alterius rebus aduerſis, ſic inuidentia ægritudo eſt ex alterius rebus ſecundis. In quem igitur cadit miſereri, in eundem etiam inuidere: non cadit autem inuidere in ſapientem, ergo ne miſereri quidem. Quod ſi hoc ægre ferre ſapiens ſoleret, m ereri etiam ſoleret. Abeſt ergo à ſapiente ægritudo. Hæc, inquit, ſic dicuntur à Stoicis, concluduntur& contortius. Item in libro de Finibus 3. Conſectari me, inquit, Stoicorum breuia & acuta delectat. Concluduntur igitur eorum argumenta ſic, Quod eſt bonum, omne laudabile eſt. Quod autem laudabile eſt, omne eſt honeſtum. Bonum igitur quod eſt, honeſtum eſt.

Quaſi punctis.) id eſt, rebus breuißimis. Punctum enim, quod breue admodum eſt, dicitur à pungendo. Inde punctum temporis, Cicero ſæpe: et pro Murena, interpunctiones clauſulas breuißimas appellat. Res, inquit, ſunt paruæ, prope in ſingulis literis & interpunctionibus uerborum occupatæ. Et quia ſpinæ pungunt, orationis genus quo Stoici utuntur, Cicero appellat ſpinoſum. ut libro de Oratore 1. Sed hæc erat ſpinoſa quædam & exilis oratio, longeq; à noſtris ſenſibus abhorrebat. Libro de Finibus 3. Stoicorum non ignoras quàm ſit ſubtile, uel ſpinoſum potius dicendi genus. Eadem ratione idem libro Academicarum 4. Stoicorum dumeta appellat: Quum ſit, inquit, campus, in quo exultare poßit oratio, cur eam in tantas anguſtias & in Stoicorum dumeta compellimus? Efficit.) id eſt, probat & concludit. Qua in re id uerbum ſæpe & à Quintiliano et à Cicerone dicitur. Sed nihil tam incredibile.) Sibi facilius eſſe quàm Catoni facere, ut hæc Paradoxa uiderentur probabilia, ſignificat. Dicendo.) id eſt, ui & copia orationis.

Feci etiam audacius.) Nam maiora aggreſſus ſum quàm Cato. De magnitudine animi.) id eſt, de magnanimitate. Vt in uirum ſapientem non cadere dolorem, non cadere ægritudinẽ. De continẽtia.) Vt uirũ bonum uoluptate non frangi. De morte.) Vt mortẽ malum non eſſe. De omni laude uirtutis.) Vt ſine uirtute beate uiui non poſſe, cum illa poſſe. Stoicè ſolet nullis oratorijs.) In codice antiquo inuenio ſcriptum, Stoice ſolet oratorijs ornamentis, etc. Quæ lectio ſi uera eſſet, conueniret cũ eo, Feci etiã audacius: ſed ab illo diſcreparet, In ea hæreſi eſt, quæ nullũ ſequitur florem orationis, etc.

In gymnaſijs et in ocio.) id eſt, in ſcholis et diſputationibus. Ludens.) ut ſe

audacius feciſſe oſtendat. In cõmunes locos.)Qui ſunt generales, citra ullum perſonarũ complexũ. παράδοξα appellantur. Nam παρὰ præter, et δόξα opinio græce dicitur, ut ante dixi. Vt probarẽtur.)id eſt, ut crederentur. Erudita.)qua eruditi inter ſe uterentur, aut in ſcholis, aut in circulis, aut ſcribendo. Maxime uidentur eſſe Socratica.) Autore Cicerone lib. Academicarũ.4. ſunt Socratica pleraq; mirabilia Stoicorum, quæ Paradoxa nominantur. Idem contendit, omnia non eſſe Socratica. Nunquam enim diceret Socrates, ſapientes ſolos reges, ſolos diuites, ſolos formoſos, &c. Socrates autem nihil unquàm ſcripſit, ſed eius ſententiã Plato ſcriptis mandauit, ut eſt apud Ciceronem lib. de Oratore 3. Zeno, qui fuit Stoicorũ autor, fuit poſt Socratem. Ne credas, Paradoxa hæc Socratica poſt Zenonem nata eſſe. Contractioribus)id eſt, minoribus. Quod enim cõtrahitur, fit minus. Inde cõtractio frõtis, et contractio animi à Cicerone ſæpe dicitur. Trahere uero, aut extrahere, contrariũ eſt: id eſt, ampliare, dilatare. ut extrahere tempus aut negociũ, pro differre apud T. Liuium ſæpe licet inuenire. Illud maiorũ uigiliarum munus.) Quæſtiones Tuſculanas intelligit. Quantum Cicero M. Brutum dilexerit, antè diximus. Multos ei Cicero ex ſuis libros nuncupauit, ut libros quinq; de Finibus bonorum & malorum, libros tres de natura Deorum, librum quendam Epiſtolarum, librum de Oratore, lib. de Claris oratoribus, hunc librum Paradoxorum, & Quæſtiones Tuſculanas. In Tuſculanis Stoicorum diſciplinam ſectatus eſt: in quibus tam diligens Cicero fuit, tam accuratus, ut nullum exiſtimem in philoſophia librum ab eo ſcriptũ eſſe, in quo magis uigilauerit, in quo uires ingenij, atq; eloquentiam maiorem oſtenderit. Fuit igitur hoc munus maiorũ uigiliarũ, longioribus & pluribus noctibus lucubratũ. θετικὰ.)id eſt, poſitiua, et ut uulgo appellant, poſitiones: cũ uidelicet ponitur, de quo quis diſputare uelit. In apertũ ut referas.)id eſt, ut edas et publices. Tale.)id eſt, ita perfectũ. In arce.)id eſt, in publico, in loco eminẽtiore. In urbibus enim arces appellantur, quæ uulgo caſtella dicũtur. Minerua aũt Athenis in arce colebatur. Quaſi illa Minerua Phidiæ.)Phidias ſtatuarius dijs quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur. In ebore uero longe citra æmulum, uel ſi nihil niſi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem feciſſet. Cuius pulchritudo adieciſſe aliquid etiã receptæ religioni uidetur: adeò maieſtas operis deũ æquauit. Autor eſt Quintilianus lib. 12. Cicero in libro de Oratore ad Brutũ, negat Phidiæ ſimulacris quicquam in illo genere uideri perfectius. Hic ſpeciẽ ſui ſimilẽ in Mineruæ clypeo incluſit, cũ inſcribere non liceret, ut ait Cicero libro Tuſculanarũ Quæſtionũ 1. Eã ſi quis diſſoluiſſet, collocatiõis uniuerſam ſpeciẽ ſuſtuliſſet, ut ait idem libro de Oratore ad Brutũ. Ex eadem officina.) ex qua exijt illud maiorũ uigiliarũ munus. Perſiſtit aũt in Phidiæ translatione.

Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν. Id eſt,

Quod ſolum honeſtum bonum.) Hoc Paradoxon Stoicorum eſt. Quamuis enim Academici & Peripatetici tria bonorum genera eſſe dicant, bona fortunæ, corporis, & animi, & ſummum bonum in bonis animi eſſe dicant, Stoici tamen fortunæ & corporis bona eſſe negant: nec ullum bonum eſſe dicunt, præter bonũ animi, id eſt honeſtũ & uirtutẽ. Idq; ſolum bonũ eſſe dicũt, ut uitiũ ſolum malũ. Beatum eſſe dicunt eũ qui uirtutẽ habeat, quamuis careat omnib. bonis fortunæ et corporis (quæ cõmoda ipſi, non bona appellant) quãuis ſit in tauro Phalaridis. Non ex meo ſenſu.) id eſt, non ex animi mei ſententia. Deprompta hæc.) In antiquo codice inuenio ſcriptũ, diſputata, non deprompta. Pecunias iſtorum.) Nomine pecuniarũ diuitiæ intelliguntur, quæ ſunt in pecoribus, prædijs, alijsq; rebus eiuſdem generis: quo modo à Iuriſperitis accipi, alio loco docuimus. Imperia.) Id eſt, magiſtratus. Quibus maxime aſtricti ſunt. id eſt, quas ſequuntur, tanquàm ſi ijs alligati eſſent. In bonis rebus eſſe numerandas duxi.) In antiquo codice ſcriptum eſt, in bonis rebus aut expetendis eſſe duxi. His rebus circumfluentes.) In codẽ codice antiquo æquè bene ſcriptum eſt, quibus rebus circumfluẽtibus id eſt affluentib. undiq;. Nec ſatiatur cupiditatis ſitis.) Diuitiarum, imperiorum, uoluptatũ cupiditas, quanto maior copia eſt, tanto magis creſcit, tantum abeſt ut minuatur. Quemadmodum hac ætate profundam ſacerdotiorum cupiditatem multitudine augeri uidemus. Voluptatum ſitis abundantia quantũ creſcat Xerxes Perſarum Rex oſtendit, qui opum regiarum oſtentatione eximia eo uſq; luxuria gauiſus eſt, ut edicto præmium proponeret, qui nouum aliquod genus uoluptatis reperiſſet, ut ait Valerius Maximus lib. 9. de Luxuria. Cupiditatis ſitis.) Vnde facta translatio ſit, ignotum non eſt. Bona autẽ potio non eſt, quæ ſitim non ſatiat, ſed quæ tanto magis augeat ſitim, quanto ſumatur frequentius. Legati Scytharum dictum illud inſcitum non eſt, Quanto plus biberint, tanto magis ſitire Parthos. Ab efficientibus argumentum eſt. Neq; ea ſolum quæ habent.) In codicibus alijs ſcriptum eſt, Neq; ea ſolum qui habent. Libidine.) id eſt, cupiditate. Continentiſſimorum.) id eſt, opes, imperia, uoluptates contemnentium. Requiro prudentiã.) Prudentes enim mihi, inquit, uiſi nõ ſunt, quod bona appellarint ea quæ re ipſa bona eſſe non crederent. Romani enim ueteres paupertatis ſtudioſi erant, imperia inuiti accipiebant, uoluptates aſpernabãtur, quo tempore Aſiaticæ deliciæ Romã nondum allatæ fuerant. Commutabilia.) id eſt, incerta & fortuita, quæ in manu fortunæ ſunt, & facile, ut fortuna ipſa, mutari poſſunt. Pecuniæ membra.) Nam, ut dixi, pecuniæ nomine intelliguntur pecora, prædia, aliaq; eiuſdem generis, quæ poſſidentur, quorum multa ſunt quaſi membra. Bona putauerunt appellanda.) Nam bo-

iiſdem literis illius Prætura, & tua Quæſtura conſignata ſit, aſportare te uelle ex Sicilia literas ſuſpicantur: Hoc, inquam, enarrans Pædianus, Aſportare aliquid, inquit, eſt, ut intereat: Deportare, ut mutet locum.

Omnia mea mecum porto.) Pectore quidem, ut ait Valerius, illa geſtabat, non humeris, non oculis uiſenda, ſed æſtimanda animo. Quæ domicilio mentis incluſa, nec hominum nec deorum manibus labefactari queunt: & ut manentibus præſto ſunt, ita fugientes non deſerunt.

Ludibria fortunæ.) Quibus fortuna ſolet ludere eos qui habeant, quum eripit. Sine appoſitione exemplorum.) id eſt, Quum exempla non apponuntur ad probandum. Exemplum Græci appellant παράδειγμα, quo nomine & generaliter uſi ſunt in omni ſimilium appoſitione, & ſpecialiter in iis quæ rerum geſtarum autoritate nituntur, ut ait Quintilianus libro quinto. Eodem autore libro tertio, exempla plurimum in conſiliis poſſunt: quia facillime ad conſentiendum homines ducuntur experimentis. Sunt autem exempla uelut experimenta, & uelut quædam futurarum rerum imagines. Lentius.) id eſt, craßius, & minus (ut ita dicam) efficaciter, quod minus perſuadeant. Vita atque factis.) In codice antiquo melius ſcriptum eſt, Vita igitur atque factis. Subtilius quàm ſatis eſt.) id eſt, nimium ſubtiliter. Quàm ſatis eſt, legitur melius, quàm ut in nonnullis codicibus ſcriptum eſt, quàm factis. Quibus tandem Romulus, &c.) Romulum ut deum coluerunt Romani ueteres. de eo illud Ennii eſt, Romulus in cœlo cum diis genitalibus æuum Degit. Aeuum enim proprie æternitatis eſt, quæ non niſi in deos uenit: ut ait Seruius libro Commentariorum ſexto. Qua ratione à Iulio Proculo perſuaſi fuerunt, Plutarchus ſcribit fuſius in uita Romuli. Iis ne, quæ iſti bona appellant.) id eſt, magna ne ui auri & argenti, ſupellectile, amœnitatibus, epulis?

Numa Pompilius.) Qui religionem Romæ inſtituiſſe dicitur. Capedines.) Capedo fictile uas erat, quo in ſacrificiis utebantur, à capiendo dictum, quod amplum et capax eſſet. Vrnulis quoque fictilibus in ſacrificiis ex Numæ Pompilii inſtituto utebantur. Autore Plinio capite duodecimo, libri trigeſimi quinti, Numa rex ſeptimum collegium figulorum inſtituit. quo in loco plaſticen, id eſt figlinam artem laudat maxime. Ea enim deorum ſimulachra, alia uaſa ad ſacrificandum, alia ad uſum hominum, alia ad mortuorum ſepulturam fingi oſtendit. Delicatas.) id eſt aureas, argenteas, murinas, aut cryſtallinas. Delicatas templorum pateras inſectans Perſius, Dicite, inquit, Pontifices in templis quid facit aurum? Patera quid ſit, Marcus Varro explicat illis uerbis, libro de Lingua latina primo:

In poculis, inquit, erant pateræ: eo quod pateant, latinè ita dictæ. Hiſce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ cauſa, cum magiſtri fiunt, potio circumfertur: & in ſacrificando dijs hoc poculo magiſtratus dat deo uinū. Hæc ille. Sex. Pompeius itidem ſignificat, Romanos uti patera in ſacrificijs ſolitos. *Pateram, inquit, perpluere in ſacris cum dicitur, ſignificat perpluere, aut pertuſam eſſe.* Quid egerit.) *id eſt, quid ſpectarit, quid ſe aſſecuturum animo propoſuerit.* De hoc Bruti facto Liuius & Dionyſius Alicarnaſſeus ſatis multa ſcripſerunt. Q. Mutium.) De Q. Mutio, de Horatio Coclite, quanta uirtutis exempla ediderint, ignotum non eſt: itaq; conſulto præter eo. ſi quis tamen amplius uolet legere, apud T. Liuium libro ſecundo inueniat: quemadmodum de P. Decio in bello Latino, deq; eius filio in bello Samnitico ſe deuouentibus, idem libris 8. & 10. ſcripſit. In ponte.) Sublicio. Continentia C. Fabricij.) Samnitum legati, cum ad C. Fabricium grandē pecuniam dono offerrent, orarentq; uti acciperet: tum Fabricius planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, atque inde porrò ad uentrē imum deduxit, Legatisq; ita reſpondit: *Dum illis omnibus membris, quæ attigi, obſiſtere atq; imperare potero, mihi nunquā quicquam deerit. propterea pecuniā, qua nihil mihi opus eſt, ab ijs non accipiam, quibus eam uſui eſſe ſcio.* Hæc A. Gellius capite XIIII. libri primi, ex Iulij Higini ſententia. Valerius Maximus libro IIII. de Abſtinentia & continentia, idem exemplum poſuit, adiecitq; Fabricium locupletem non multa poßidendo, ſed pauca deſiderando factum eſſe. Continentiam autē, ut ſit auaritiæ contraria, ex hoc loco ſatis cognoſci poteſt, ut ſit continens is qui rebus ſuis contentus, aliena nō cupiat. Quid tenuitas uictus M. Curij.) Hoc exemplum eodem in loco Valerius Max. ſcripſit. Plutarcho in uita Catonis autore, cum Curium ad focum ſedentem, & rapas coquentem legati Samnitum offendiſſent, magnū auri pondus obtulerunt. Eo repudiato, Curius negauit auro opus eſſe ijs, quibus cœna tam tenuis ſatis eſſet. Sequebatur.) id eſt, ſibi proponebat, & ſperabat.

Duo propugnacula.) duo fulmina belli Cicero appellat, pro L. Cornelio Balbo: *Cum duo fulmina noſtri imperij ſubito in Hiſpania Cn. & P. Scipiones extincti occidiſſent.* Duo fulmina belli Scipiadas, Virgil. appellat lib. Aen. 6. De Cn. & P. Scipionū fratrum cæde in Hiſpania anno ſecundi belli Punici 8. T. Liuius libro XXV. ſcribit ampliter. Aduentum.) Per Hiſpaniam in Italiam. Valla libro 5. ſcribens intercludere eſſe iter impedire, & quaſi iter claudere, locum hunc aliter citat, ad hunc modum, *Qui iter Pœnorum cadaueribus corporum ſuorum intercludendū putauerunt.* Quid Africanus maior, quid minor?) Africanus maior fuit filius P. Scipionis eius, qui in Hiſpania occidit. Minor filius Pauli Aemylij, adoptatus eſt ab Africani maioris filio. Inter horum ætates

rum ætates interiectus Cato.) M. Cato quinq; annis minor erat Africano maiore, ut ſcripſimus in Catonem maiorem Ciceronis. Is mortuus eſt primo anno tertij belli Pun. quod Scipio minor confecit. Vel ipſi iudicent.) id eſt, ipſimet ſint iudices. Horum alicuius.) ſimiles eſſe malint. Corinthijs operibus.) ut uaſis, ſed præcipue ſignis, quibus plerique ita capiuntur, ut ſecum circunferant, ut autor eſt Plinius cap. 8. libri 34. Idem de ære Corinthio ſcripſit capite ſecundo eiuſdem libri. Se ſimiles eſſe malint.) Quid hi iudicare debeant, Alexander Magnus admoneat, qui à Diogene diſcedens amicis dixiſſe fertur, Ego profecto niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe uellem. Ipſe quoq; Diogenes quantum diuitias contempſerit, tum oſtendit, qui Alexandro optionem danti petendi quicquid uellet, reſpondit, Vt ſibi parumper à ſole diſcederet. apricanti enim Diogeni Alexander officiebat. Atque hæc quidem.) bona, quæ fortunæ ludibria appellauit. Facile adduci ſolent nonnulli.) id eſt, ſunt nonnulli, qui facile credũt hæc bona nõ eſſe, ſed uoluptatem bonum eſſe etiam ſummum dicunt, quorum ſententiam hoc in loco Cicero refutat. Abijcies.) id eſt, abiectum facies. Vt nihil inter te & quadrupedem.) Scribit Ariſtoteles in Ethicis, duos ſenſus nobis communes cum beluis eſſe, guſtum & tactum. Voluptates igitur quæ his duobus ſenſibus percipiuntur, ut nihil inter hominem & belluam interſit, efficiunt. Nihil aliquid.) Vt ſæpius dicitur, nihil quicquam. Quicquam ne bonum.) Ab efficientibus arguit uoluptatem bonum non eſſe, quod hominem non faciat meliorem, ſed deteriorem. Vt enim quiſque, &c.) Id conſequens eſt. Plurimorum.) Epicureorum. De uoluptate, quod bonum non ſit, Cicero in libro de Officijs tertio, in libro de Senectute, & fuſius in libris de Finibus bonorum & malorum diſputat.

Ὅτι αὐταρκὴς ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Id eſt,
Quod ſufficiens uirtus ad felicitatem.

Hi paradoxorum tituli capita ſunt eorũ, de quibus in Paradoxis ipſis diſputatur. Caput autem nonnunquam ſignificat quandã orationis breuitatem, multa in ſe complectentẽ. Vulgo dicitur ab alijs ſumma, ab alijs ſubſtantia. Vt cum dicimus, epiſtolæ caput eſt. Itaq; hæc capita quo ſint breuiora, id quod facile intelligi poteſt, non adſcribitur, quale eſt, Hoc in paradoxo diſputatur, aliud'ue quid ſimile, et uerbũ principale orationis. Non Stoicorum tantum hoc paradoxum eſt, ſed etiam accedit ad Epicureorum dogma: qui, ut ait Cicero in L. Piſonem, ſapientem dicunt, etiam ſi in Phalaridis tauro incluſus ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen, ſuaue illud eſſe, ſeſeq; ne tantulum quidem commoueri. Tantam uirtutis eſſe uim uoluerunt, ut non poſſet unquam eſſe uir bonus non beatus. Idem paulo poſt: Nec mihi ille M. Regulus, quem

Carthaginenſes reſectis palpebris, illigatū in machina, uigilando necauerunt, ſupplicio uidetur affectus. Nec C. Marius, quem Italia ſeruata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Africa deuicta ab eodē, expulſum & naufragum uidit. Fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ. Supplicium autē eſt pœna peccati. Aliaq́; in eam ſententiam perſequitur. Hæc autem diſputatio eſt libri Tuſculanarum quæſtionum quinti.

Nec ego uero.) Hoc modo melius putem legendū, ut in codice antiquo ſcriptum eſt, quàm quo modo in uulgatis codicibus, Nec uero ego: ut ſit uerò aduerbium, non coniunctio. M. Regulum.) Quo ſupplicio Attiliū Regulum Pœni affecerint, eſt apud A. Gellium capite 4. libri 6. Et apud Ciceronem libro de Officijs tertio. Tot uirtutum præſidio.) Ex more Stoicorū loquitur, qui uirtutes coniunctas eſſe inter ſe dicunt, & ut ita dicam, concatenatas, ut nullam quiſquam habere poßit, quin habeat reliquas. Comitatu uirtutis ſeptus.) In codice antiquo ſcriptum eſt, comitatu ſeptus. Ibiq́; uirtutis otioſa dictio uidetur. Carperetur.) id eſt, cruciaretur & laceraretur. In codice antiquo male etiam ſcriptum non eſt, cum corpus eius caperetur, capi certe ipſe non potuit. Ipſe.) id eſt animus Reguli. Hominē animum eſſe, ſed qui ſit in corpore, ex Ciceronis ſententia ſcripſimus fuſius in librum de Senectute. Eam hoc in loco ſententiā Cicero ſequitur. Capi ipſe certe nō potuit.) Vt philoſophum Anaxarchum accepimus, cum à tyranno Nicocreonte torqueretur, dixiſſe, Tunde tunde Anaxarchi ſacculū, Anaxarchū nihil tundis. Ea etiam fuit beatorum martyrum uirtus, ut ſupplicia tyrannorū uel grauißima contemnerent. Vnus ex fortunatis hominib.) C. Marius in Arpinati agro natus obſcuris tenuibusq́; parentibus fuit. In domo Cæcilij Metelli à pueritia miniſter fuit, unde uirtutis cepit initiū. In Numantiæ obſidione P. Scipionis diſcipulus et miles fuit. Iugurtham Numidiæ regem cepit, qui cum duobus filijs ante currum eius triumphantis ductus eſt. Triumphali ueſte in Senatū uenit, quod ante eum nemo fecit. Teutonos, Ambrones, Cimbros magna ſtrage uicit, de ijsq́; triumphauit. Marſos poſtea fudit. Septies Conſul fuit, quod ante eum contigit nemini. Plures eius ſecundas res Plutarchus in eius uita deſcribit, quare in fortunatis hominibus uideri poßit. Qualis autem in aduerſis reb. fuerit, poſtq̄ à L. Sylla Cos. in urbe Roma uictus hoſtis patriæ à Senatu iudicatus eſt, Cicero ſcribit in oratione poſt reditū ad Quirites: Quod ſi quis, inquit, exiſtimat me aut uoluntate eſſe mutata, aut debilitata uirtute, aut animo fracto, uehementer errat. Mihi quod potuit uis & iniuria, & ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abſtulit, dißipauit. Quod uiro forti adimi non poteſt, id mihi manet & permanebit. Vidi ego fortißimum uirum municipem meum C. Marium, quoniam nobis quaſi aliqua fatali neceßitate, nō ſolum cum ijs qui hæc delere

delere uoluiſſent, ſed etiam cum fortuna belligerandum fuit: cum tamen uidi, cum eſſet ſumma ſenectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, ſed confirmato atq; renouato. Quem egomet dicere audiui, tum ſe fuiſſe miſerum, cum careret patria, quam obſidione liberauiſſet, et cum ſua bona poßideri ab inimicis ac diripi audiret, cũ adoleſcentem filium uideret eiuſdem ſocium calamitatis, cum in paludibus demerſus concurſu ac miſericordia Minturnenſium corpus ac uitam ſuam conſeruaret: cum parua nauicula traiectum in Africam, quibus regna ipſe dederat, ad eos ſupplex inopsq; ueniſſet. Recuperata uero ſua dignitate, ſe nõ commiſſurum, ut cum ea quæ amiſerat ſibi reſtituta eſſent, uirtutem animi nõ haberet, quam nunquam perdidiſſet. Quo beatius.) Eſt enim beatus, qui eſt ea animi conſtantia, ut nullis aduerſis rebus de gradu, ut aiunt, deijciatur. Neſcis inſane.) Hoc ad M. Antonium referri poteſt, ut nonnulli putant. Sed cum in communes locos hæc paradoxa Cicero coniecerit, uériſimilius eſt ſermonem infinitum eſſe, id eſt ad nullam certam perſonam & definitam directum, ſed ad quemlibet. Aptus.) id eſt colligatus & prudens. Apere enim pro eo quod eſt colligare & comprehendere ueteres Latini dixerunt. Ex ſeſe.) id eſt ex animo ſuo. Ne unum diem.) In codice antiquo tantum ſcriptum eſt, unum diem. Iſtiuſmodi mortis.) quibus tu me terrere conaris. Magnifica uero eſt illa uox Theodori Cyrenei, qui Lyſimacho regi mortem ſibi minitanti, Enimuero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis uim aſſecutus es. Cumq; hoc dicto iratior factus cruci eũ affigi iußiſſet, Terribilis hæc, inquit, ſit purpuratis tuis: mea quidẽ nihil intereſt, humi'ne an ſublime putreſcam. Autor eſt Valerius Maximus libro ſexto, de Libere dictis. Quicquid acciderit.) ſiue mors, ſiue exiliũ. In tam ingrata ciuitate.) quã ego ab interitu liberaui, cum Catilinæ coniuratioñe oppreßi. Quid enim ego laboraui.) Oſtendit ſe dignũ eſſe eo ſtatu, quẽ neq; fortunæ temeritas, neq; inimicorũ iniuria labefactare poßit. Quod ſi contrà contigerit, ciuitas Ro. à ſe ſeruata, ingrata fuerit. Ab improbis.) aut ab ingratis ciuibus, aut certe ab inimicis meis. Quorũ cum uita omnia extingũtur.) id eſt qui nihil unquã in uita geſſerũt, quod apud poſteritatẽ ulla laude dignũ eſſet: quorũ memoria, ut dici ſolet, perit cũ ſonitu. Ea autem laus apud poſteritatẽ permanſura uirtute paratur. Inde eſt illud Virgilij lib. Aeneid. 10. Breue et irreparabile tempus Omnibus eſt uitæ: ſed famã extẽdere factis, Hoc uirtutis opus. Iis qui animũ unà cũ copore interire credebãt, mors maxime terribilis erat. Itaq; autore Ariſtotele lib. Ethicorũ 3. Mors maxime omniũ terribile eſt. Eſt enim ultimũ uitæ, et nihil pòſt homini mortuo aut bonum aut malũ eſſe uidetur. Circunſcriptus.) id eſt definitus, ut ei loco fines quidã et limites aſcripti ſint, ultra quos progredi aut nõ liceat, aut iucundum

 non ſit.

non ſit. Qui tamen ſi ita circumſcriptus ſit, ut ex eo egredi non liceat, id moleſtum admodum ſit. Quemadmodum à patribus accepimus, fuiſſe Pariſianum quendam ciuem ſeptuagenariũ, qui nondum unquàm ex urbe egreſſus fuerat. Id quum regi Ludouico XI. *inter alia noua dictum eſſet, homini ad ſe accerſito interdixit, ne toto anno proximo ex urbe egrederetur. Eo ipſo anno ciuis is, cui circumſcriptus erat habitandi locus, qui antea nunquam egredi cupiſſet, incredibili egrediendi cupiditate incendebatur. Qui omnem orbem terrarum, &c.) Stoici dicunt omnem orbem terrarum unam urbem eſſe. Hoc autem Socraticum eſt. Socrates enim cum rogaretur, cuiatem ſe eſſe diceret: Mundanum, inquit. Totius enim mundi ſe incolam & ciuem arbitrabatur, ut ait Cicero libro Tuſculanarũ diſputationũ quinto. Vbi illud Teucri dictum ſcribit, Patria eſt, ubicunq; eſt bene. Cui nec ſatis eſt, quod eſt.) Vt paradoxo ſuperiore, Nunquam expletur nec ſatiatur cupiditatis ſitis, &c. Te conſcientiæ ſtimulant, etc.) Autore Cicerone in L. Piſonem, Supplicium eſt, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti, ſuſcepta fraus, impedita et oppreſſa mẽs, conſcientia, bonorum omnium odium, nota iuſti Senatus, amiſſio dignitatis. Idem paulo pòſt: Nolite putare P. C. ut in ſcena uidetis homines conſceleratos impulſu deorum terreri, Furiarum tædis ardentibus: Sua quenq; fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Conſcientiæ ſtimulus quantum hominem quieſcere non ſinat, quantũ eius mentem uexet, Macrobius per fabulam eam de Tityo gignante, quæ eſt apud Virgilium libro Aeneid. 6. & apud alios poëtas, ſignificari dicit, libro de expoſitione Somnij Scipionis primo. Nihil, inquit, aliud intelligi uoluerunt, quam tormenta conſcientiæ flagitio obnoxia, uiſcera interiora rimantis, & ipſa uitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione laniantis, ſemperq; curas ſi requieſcere fortè tentauerint, excitantis, tanquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec ulla ſibi miſeratione parcentis: lege hac, qua ſe iudice nemo nocens abſoluitur, nec de ſe ſuam poteſt uitare ſententiam. Metus exanimant.) ne iudicijs & legibus ſupplicio afficiare. Quamobrem.) Concluſio eſt, in qua à contrario probat paradoxum.*

Ὅτι ἶσα τὰ ἁμαρτήματα. Id eſt,
Quod æqualia peccata.

Hoc paradoxum eſt Stoicorũ. Ii enim peccata paria exiſtimant, ut Chryſippus ait in quarto Naturalium quæſtionum, & Perſeus, & Zeno. Nam ſi uerum uero maius non eſt, nec falſum falſo maius erit: ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum. Nam & qui centum ſtadia abeſt à Canopo, & qui unum, æque in Canopo non ſunt. Itaq; & qui minus peccat, & qui amplius,

æque

æque in recto opere non ſunt. Authore Cicerone lib. de Finibus. 4. Stoici peccata paria probantes, negant honeſto quicquam honeſtius, atq; turpi turpius. Vt, inquiunt, in fidibus plurimis, ſi nulla earũ ita contenta numeris ſit, ut concentum ſeruare poßit, omnes æque incontentæ ſint: ſic peccata quia diſcrepant, æque diſcrepant, paria ſunt. Itemq;: Quoniam, inquiunt, omne peccatum imbecillitatis & inconſtantiæ eſt, hæc autem uitia in omnibus ſtultis æque magna ſunt, neceſſe eſt eſſe peccata paria. Eodem authore eodem libro, Stoici eos qui natura doctrinaq; longe ad uirtutem præceßiſſent, niſi eam planè conſecuti eſſent, ſumme eſſe miſeros dicunt, nec inter eorum uitam, ac improbißimorum quicquam omnino intereſſe. Vt Plato tantus ille uir, ſi ſapiens non fuerit, nihilo melius, quàm quiuis improbißimus, nec beatius uixerit. Idem Stoici dicunt, ut eſt apud eundem pro L. Murena, non minus delinquere eum qui gallum gallinaceum, quum opus nõ fuerit, quàm eum qui patrem ſuffocauerit. Item pro Milone, ut ad iudicia quoq; hoc paradoxum peruenire cognoſcas: Non alio, inquit, facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Interſit inter uitæ dignitatem ſummorum atq; infimorum: mors quidem illata per ſcelus iiſdem pœnis teneatur. À legibus.) Niſi fortè magis erit parricida, ſi quis conſularem patrem, quàm ſi quis humilem necauerit. Platonis quoq; (antequam ſecta Stoicorum eſſet) hæc fuit ſententia, ut hoc paradoxũ Socraticum uideatur. Is enim libro de Legibus 12. Si quis, inquit, publicum aliquid furatus fuerit, ſiue paruum, ſiue magnum id ſit, pari ſupplicio afficiatur. Nam qui rem paruam ſuſtulit, & ſi minori ui quàm qui magnam rapuit, æqua tamen cupiditate furatus eſt. Ariſtippus Cyrenaicus, qui Platonis æqualis fuit, quiq; ſummum bonũ in uoluptate corporis poſuit, uoluptates pares dixit, nec differre à uoluptate uoluptatẽ, nec plus altera mulcere alteram, ut in uita eius Diogenes Laërtius ſcripſit. Rerũ euẽtu.) id eſt eo in quo peccatur, iiſq; rebus quæ conſequantur, poſtquàm peccatum ſit. Sed uitijs.) id eſt, cupiditate & ſcelere eorum qui peccarant. Metienda.) id eſt æſtimanda, & ut indocti dicunt, menſuranda. Quoquò te uerteris.) id eſt, quodcunq; peccatum commiſeris. Auri.) id eſt, auro onuſtam. Lapſa eſt libido in muliere ignota.) id eſt, ignota & obſcura mulier ſtuprata eſt. Tanquam tranſire lineas.) In ludo pilæ uitia quoq; paria, & uirtutes pares uidere licet. Si quis enim pilã proxime funem, ſed ſuprà pepulerit, non magis uincet, quàm ſi altißime pepuliſſet: Si quis item infra funem, ſed proxime pepulerit, tantum amittet, quantum, ſi ea tantummodo tacta, pulſa nõ fuiſſet. Tranſire lineas.) Nam eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines, Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum. Si arguitur non licere.) id eſt, ſi id oſtenditur, quod non liceat. Id autem non licere, nec maius quidem eſt, nec minus. Vt non licet tibi magis occi-

dere hominem alienum, quàm alij patrem. Quod ſi uirtutes pares ſunt.) Argumentum eſt ex conſequentibus, quod Cicero uocat, ex rebus ſub eandem rationẽ uenientibus. Si uirtutes pares ſunt.) Stoici uirtutes pares eſſe dicebant. Mneſarchus, ut ait Cicero lib. de Oratore 1. qui uirtutẽ unam haberet, omnes habere, easq; ipſas inter ſe æquales eſſe & pares dicebat. Chryſippus Stoicorum grauißimus, librum unum ſcripſit, quod uirtutes æquales ſint, ut eſt apud Diogenem Laërtiũ libro ſeptimo. Nec bono uiro meliorem.) Stoici negant quenquam uirum bonum eſſe niſi ſapientem. Sapientẽ autem dicunt eum, qui ita perfectus eſt & abſolutus, ut omnes uirtutis numeros habeat, quam ſapientiam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus, ut ait Cicero in Lælio. in ijs autem in quibus ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum nullo modo eſſe poteſt, ſed ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Vt ait idem lib. de Officijs 3. Bono igitur uiro melior eſſe nõ poteſt, ſi is demum bonus eſt, qui omnes uirtutis numeros habet. Nam plures alius habere non poteſt. Depoſitum.) Fidei ſuæ commiſſum. Lucrari.) negando ſe accepiſſe. Auri pondo decem, &c.) Eum qui depoſitum non reddat, uirum bonum non eſſe, Herodotus libro 6. ſignificat. Is enim de Glauco Lacedæmonio ad hanc ſcribit ſententiam. Vir quidem Mileſius apud Glaucum, qui iuſtus prædicabatur, dimidiam ſuam pecuniã depoſuit. Mortuo illo uiro Mileſio, eius filij oſtenſa nota quam à Glauco eorum pater acceperat, depoſitum repoſcunt. Negat Glaucus meminiſſe ſe accepti depoſiti, ſed cum his agit, ut quarto menſe redeant, ut ijs depoſitum reddat, ſi reminiſcatur. Interim Apollinẽ conſulit, an iureiurando depoſitum negaturus ſit. Ei Pythia reſpondet, Nihil referre deũ tentare, & facere. Itaq; fore ut tota Glauci domus intereat: quod breui factũ eſt. Effuderit.) id eſt, effuſe ei operam dederit. Conſtantia.) perſeuerantia. Nihil recto rectius.) Vt ſi recta regula eſt, alia rectior eſſe non poteſt. Prauitates animi.) Prauum & rectum contraria ſunt. Inquit.) aliquis, quicunq; ſit. Socrates, &c.) dicet idem. Iſtum doctum & ſapientẽ uirum.) Socratẽ oraculo Apollinis iudicatum fuiſſe ſapientiſſimum ignotum non eſt ei, qui paulo humanior ſit. Baiuli.) onera ferentes, quos hæc quoque ætas poſtremos exiſtimat ex ijs qui labore corporis uictum ſibi quærũt. À Baijs baiuli dicti ſunt. Quæ ſit eius uerbi ratio, alio loco docuimus. Operarij.) id eſt, ut uulgo dicũt, mechanici. Sed ne utilior.) Huius paradoxi utilitas quæ ſit, oſtendit. Hoc certe Paradoxũ bonos uiros ab improbitate etiam parua arcere poßit ſi peccata omnia paria eſſe cognoſcant. Improbi autem homines ad grauißima quæq; flagitia excitari poßint, ſi ijs ſe grauius peccaturos non exiſtiment, quàm ſi leue aliquod ſcelus admitterent. Manus inferantur.) In codicibus alijs eſt, manũ inferant. Inferre manũ et afferre dicimus pro eo quod eſt, aliquem iniuſte percutere, ſiue

manu,ſiue telo. Quamcunq; in domum.)familiam,ſiue nobilem ſiue igno/ tam. Nuda.)id eſt ſimplicia:&,ut ita dicam,ſine circunſtantijs. Per ſe.)id eſt ſimpliciter,et in generali. Saguntini.)Hi enim metuentes ne in hoſtis ma nus deuenirent,incluſi cum coniugibus ac liberis,domos ſuper ſeipſos concre mauerunt. ut eſt apud Titum Liuium libro 21. Liberos.)id eſt nō captiuos. Parenti nonnunquam.) Vt Saguntini ſerunt. Siue iniuria.) Antiquo iure Ro manorum domini in ſeruorum necem poteſtatem habuerunt. Autore Mode/ ſtino libro Digeſt. 48. ad legem Corneliā de Sicarijs,poſt legem Petroniam & Senatuſconſulta ad eam legem pertinentia, dominis poteſtas ablata eſt ad beſtias depugnandas ſuo arbitrio ſeruos tradere. Oblato tamen iudici ſeruo, ſi iuſta domini querela ſit, pœnæ tradetur. Diuus Hadrianus, ut in eius uita Aelius Spartianus tradit,ſeruos à dominis occidi uetuit, eosq; iuſsit damnari per iudices,ſi digni eſſent. Cauſa diſtinguit hæc.) patrem & ſeruum neca/ re. Multa peccantur.)Genus hoc dicendi,quia rarum eſt,adnotandum eſt.

Is qui ſeſe ac domo.)In codice antiquo ita ſcriptum inuenio,Is qui in domo, in ſede,in Republica collocauit. In ſede.)Vt in primo Aeneid. Sedes ubi fa/ ta quietas Oſtendunt. Præſtat.) id eſt præponderat. Et in rem malā præſtare dici,adnotandū eſt. Non quæ cuiq; peccato pœna ſit.) Nam rerū euentu pec cata metienda non ſunt. Ex euentu aūt pœna conſtituitur. Sed quantū cuiq; liceat.)Licere et oportere ita diſtingui,ut hoc ſpecies ſit,illud genus,pro Cor nelio Balbo ſcripſimus. Etiam ne in minimis rebus.) Legendum fortaſſe ſit,etiā in minimis rebus. Rerum modū.)id eſt exitū rerū. Fingere.) id eſt cōponere & ſtatuere. Animorū modum.)id eſt limitē & lineas,quas tranſi re nō oporteat. Si paulo ſe moueat.)In codice antiquo melius ſcriptum uide tur,ſi paululū ſeſe mouerit. Seſe mouerit.)id eſt motū corporis fecerit. Ex/ tra numerū.) id eſt modos,& ut uulgo dicunt,contra notulas & cantū.ut in ſaltationibus fieri uidemus. Syllaba una breuior aut longior.)Intelligi poſsit, ſi breuis ſyllaba ut longa,aut cōtrà pronūciata ſit:ſed potius,ſi uerſus ſyllaba una deficiat, aut abundet. Exibilatur & exploditur.)In codice antiquo ſcri ptū eſt ſolū,exploditur. In uita quæ omni geſtu,etc.)Cicero in libris de Of/ ficijs,quale ſit uitæ decorū,ſæpe oſtendit ex hiſtrionū decore. Omni uſu.)In codicibus alijs melius ſcriptū eſt,omni uerſu:ut geſtus ad motū,uerſus ad ſyl/ labā referatur. Peccare.)Peccaſſe,nō peccare,in antiquo codice lego. Poē tā nō audio in nugis.)À minore ad maius, oſtendit improbitates animi arcen/ das eſſe. In nugis.)id eſt in rebus uanis,& in fabulis. Digitis peccata di/ mentientē.)Mos quidā nō uulgaris fuit apud ueteres, per digitos,eorumq; ar ticulos dinumerandi:quem ex uenerabilis Bedæ ſententia Iodocus Clichtho/ ueus aſcripſit libro 6.quem de myſtica numerorum ſignificatione edidit.

Ordinis.) id eſt modeſtiæ, quam Græci εὐταξίαν *nominant, quam Stoici definiunt, ut ſit ſcientia rerum earum quæ aguntur aut dicuntur, loco ſuo col locandarum. ut eſt in libro Ciceronis de Officijs primo.* Magis.) *Lego mi nus, in codice antiquo.*

Ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται. Id eſt,

Quod omnes ſtulti inſaniunt.

Vt in morbis corporis multo leuior ſtultitia quàm inſania exiſtimari ſo let, ita in morbis animi inſania multo grauior exiſtimata eſt: qua ſtultus di catur, qui etiam leue aliquod crimen admiſit, etiã ex imprudentia: inſanus ue ro, qui multis criminibus uel grauiſsimis dedita opera ſuſceptis, ita ſe implica uit, ut hoc ipſum peccare eũ delectet, etiã ſi nulla peccandi cauſa ſit. Stoici ue ro ut omnia peccata exiſtimant æqualia, ita ſtultitiã inſaniæ parẽ faciunt. Hoc autem Parodoxon non tam probat Cicero, quàm docet P. Clodiũ inſanũ eſſe, cumq́; multis legibus damnatũ exulem fuiſſe, quamuis ſolũ non mutauerit: ſe uero exulẽ fuiſſe negat, quamuis ut Clodiano furori cederet, ex urbe exiuerit.

Ego uero te.) *Primum oſtendit P. Clodium inſanum eſſe, ſe uero ſapien tem,* Non ſtultum.) *ut uulgo ſtultum intelligit.* Rebus addicã neceſſarijs.) *Sunt qui hoc ita exponant, argumentis ueris & certis conuincam. quod argu menta quibus dubia & incerta probamus, certa & confeſſa eſſe debeant. In certis enim dubia probari non poſſunt. Fortaſſe poßit intelligi, ut Cicero di cat, curatorem Clodio dandum tanquã furioſo. Furioſum enim, dominum eſ ſe rerum ſuarum uetant 12. tabulæ, ut ſcripſi amplius in Catonem Maiorem. Furioſus igitur, quum ei curator datus eſt, neceſſarijs rebus addictus eſt, nec ſuis rebus uti poteſt ſine curatoris autoritate. Hic ſenſus ſi placeret, legendũ eſſet, Ego uero te non modo ſtultum, ut in aliquo uno codice inueni ſcriptum.*

Tolerantia.) *id eſt patientia.* Rerum humanarum.) *quæ aduerſæ homini bus eueniunt. Hanc rerum humanarum tolerantiã Cicero in libro de Officijs primo, appellat rerum externarũ deſpicientiã. Omnino, inquit, fortis animus & magnus duabus rebus maxime cernitur. Quarum una in rerum externa rum deſpicientia ponitur, ut perſuaſum ſit, nihil hominẽ, niſi quod honeſtum decorumq́; ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere.* Contemptio ne fortunæ.) *Contemptionem à Cicerone ſæpe, contemptũ raro dici inuenias. Contemnere autem, & metuere contraria ſunt.* Fugitiuorum.) *id eſt ſeruo rum improborum, qui à dominis profugerunt. quales fuerunt ij qui Spartaco duce cum Romanis pugnantes ſæpe uicerũt.* Illa tum ciuitas.) *Eo anno quo P. Clodius erat Tribunus pl. Cicero ex urbe eiectus, furori Tribunitio ceſſerat. Reſp. à Tribuno Clodio, & à Coſs. Piſone et Gabinio maxime uexata fuit, ut cum alijs in locis multis, tũ maxime in Oratione pro P. Seſtio Cicero ſcripſit.*

Hi autem

Hi autē Coſs. ut in eadem oratione Cicero ait, ad delendū Senatū, affligendum equeſtrē ordinem, extinguenda omnia iura atq; inſtituta maiorū, ſe illis faſcibus, cæteriſq; inſignibus ſummi honoris atq; imperij ornatos eſſe arbitrabantur. Nihil ualebant.) In codice antiquo ſcriptū eſt, uacabant. Cum leges in ea nihil ualebant.) Non hoc ſolū fecit Clodius eo anno, quo fuit Tribunus pl. ut leges nihil ualerent, ſed etiam multas leges Reipub. pernicioſas tulit, quas enumerat Cicero pro P. Seſtio. Vbi idem ſcripſit legem Aeliam & Fuſiam à Clodio ſublatam. Cum ferro pulſis magiſtratibus.) Cum 8. Calend. Februarij lex ferenda eſſet de reditu Ciceronis, P. Clodius multa de nocte forum, comitium, curiam armatis hominibus ac ſeruis occupauit, in Q. Fabriciū, & P. Seſtium Tribunos pl. impetū fecit. Senatus nomen.) Nam autoritas Senatui detracta erat à Tribuno & Conſulibus. Quinetiam Cōſul Gabinius in concione dixerat errare homines, ſi etiam tum Senatum aliquid in Repub. poſſe arbitrarentur. Concurſus.) id eſt, conuētus celeriter factus. Latrociniū.) id eſt latrones, ut ſeruitia pro ſeruis, & miniſteria pro miniſtris dicimus. Conſtitutum.) 8. Calend. Febr. Reliquiæ coniurationis.) id eſt, reliqui ex coniuratione. A Catilinæ furijs.) qui patriā incendere coniurauerat. Accerſitus.) cum reuocatus ſum. Cum eſſet in Repub. Conſul.) P. Lentulus. Is enim cum Q. Metello Cos. anno proximo poſt Gabiniū & Piſonē in Senatū retulit de Cicerone reuocando. Itaq; Cicero in Oratione poſt reditū in Senatu, eum appellat principē, parentē, deum uitæ ſuæ, fortunæ, memoriæ, ac nominis. Qui tum occiderat.) id eſt, cuius nomen in Repub. non erat. Eſſet conſenſus populi liberi.) id eſt, cum populus Ro. legem libere tuliſſet uno conſenſu de meo reditu. Populi liberi.) Qui Piſone & Gabinio Coss. liber non fuerat, quē ad ueſtitū redire Conſules coēgerant. Quæ uincula ſunt.) Vt in oratione pro A. Cluentio: Hoc, inquit, uinculū eſt huius dignitatis, qua fruimur in Rep. Hoc fundamentū libertatis, hic fons æquitatis. Mens, & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus neruis ac ſanguine et membris uti nō poteſt. Iactā & immiſſam.) Sumpta translatio eſt ab ijs, qui in inimicū aliquid iaculantur, quod inimicum non lædat, quod ad eum non perueniat. Cum parietes diſturbabas.) Quo die Cicero ex urbe diſceſſit, P. Clodius domū eius, quæ in Palatio erat, incendit, parietes diſturbauit, ut eo in loco deæ Libertatis templū ædificaret, tanquā Ciceronis exiliū Romanæ ciuitati libertatem afferret. Ruere.) Id ad Diſturbabas refertur, ut Deflagrare ad Faces inferebas. Nihil neq; meum eſt.) Stoici enim nullū bonum præter uirtutem exiſtimant, quæ eripi nō poteſt. Conſtantiam.) id eſt uirtutē, quæ ideo mihi conſtans eſt, quia à natura eſt. Meas curas.) id eſt meū ſtudiū, meum in Remp. ut ita dicā, zelū. Huius.)

Z id eſt

id eſt mei,cum Remp *ſeruaui.* Rediŭ *mihi glorioſum,&c.)* Antitheſis eſt.
Semper.)etiam cum aberam. Cum meam ſalutem Senatus.)Senatus literis
Conſularibus ſalutem Ciceronis exteris nationib commendauit. Non animo
factisq́;.)Ciuis pernicioſus, hoſtis potius quàm ciuis habendus eſt. Itaque Ci/
cero in prima Inuectiuarum in Catilinam, negat eos qui à Republica defece/
runt,unquam iura ciuium Romæ tenuiſſe. Cædem in foro fec ſti.)Cum Clo
diani armati octauo Calend. Februarij,ut diximus,forum,curiam,comitiũ oc/
cupauerunt,tam multos fuiſſe ab his occiſos,Cicero dicit pro P.Seſtio,ut cor/
poribus ciuium Tyberis repletus,& cloacæ refertæ fuerint. Templa tenui/
ſti.) Templum Caſtoris intelligit, quod armatis hominibus & ſeruis Clodius
occupauit, ne lex ferretur de Ciceronis reditu. Id autem Caſtoris templũ pro
foro iudiciali:ut contrà, forum pro eo templo ſæpe dicitur. Priuatorum do/
mos.)id eſt,meam domum. Inuidioſe,pluralem pro ſingulari ponit. Aedesq́;
ſacras incendiſti.)Templum NympharumRomæ à Clodio combuſtum fuiſſe,
ſcripſimus in Milonianam. Cur hoſtis Spartacus.) À ſimili probat, P. Clo/
dium hoſtem eſſe,non ciuem. Quo tempore L. Lucullus gerebat bellum cum
Mithridate,74. gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt,qui ſeruorũ
multitudine congregata,magnum exercitum conflauerunt, cuius Chryſus &
Spartacus duces fuerunt, à quo Romanus exercitus ſæpe uictus eſt. De eo T.
Liuius libris 95.96.97. Tuo nomine.) id eſt, quo nomine appellandus es.
Suum enim exilium Cicero nunquã appellat. Meum illud iter.)id eſt,meus
diſceſſus. À me ante geſtas.) In opprimenda coniuratioue, & ciuitate ſer/
uanda. Nam propter coniuratos eos, de quibus ultimum ſupplicium in car/
cere ſumpſit Cicero,abire coactus eſt, quod indemnatos eos fuiſſe Clodius di/
ceret. eos enim populus Romanus non damnauerat. Cuius iniuſſu non licebat
lege Sempronia de capite ciuis Romani ſupplicium ſumere. Solum non mu
tauerunt.)id eſt,urbem non reliquerunt. Exul autem quaſi extra ſolũ dicitur,
quod ſolũ mutauerit. Vertere ſolum à Cicerone ſæpe dici,alio loco docuimus.

Non appellatur inimicus.)id eſt,nunquid contra leges facit,& legibus dam
natur. Qui cum telo fuerit.) Lege Iulia de ui publica tenetur,qui cum telo
dolo malo in conuentu fuerit, aut ubi iudicium publicè exercebitur, ut autor
eſt Vlpianus libro Digeſtorum 48. de ui publica. Eodem in loco Paulus ſcri/
bit, telorum appellatione omnia, ex quibus ſinguli homines nocere poſſunt,
accipi. Autore Caio Iuriſc. libro Digeſtorum 47. de furtis,teli appellatione,
& fuſtis, & ferrum, & lapis, omne deniq; quod nocendi cauſa habetur,
ſignificatur. Lege Cornelia de Sicarijs teneri eũ,qui hominis occidendi cauſa
cum telo ambulauerit,Martianus ſcribit libro Digeſtorum 48. ad legem Cor/
neliam de Sicarijs. Ante Senatum tua ſica deprehenſa eſt.) Autore Cice/
rone pro

tione pro Milone, Comprehẽſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat: extorta eſt confitenti ſica de manibus. Item paulò poſt: Inſidiator erat in foro collocatus, atque in ueſtibulo ipſo Senatus. Qui hominem occiderit.) Non appellatur inimicus, qui hominem occiderit? Qui hominem.) Is lege Cornelia de Sicarijs tenetur: quemadmodum is, cuius dolo malo incendium factum ſit. Incendium quamuis dicatur ſæpius, Incenſio tamen in ea re nonnunquam dicitur. ut in oratione pro P. Sylla: Quinque hominibus comprehenſis atque confoßis, incenſione urbem, internecione ciues, uaſtitate Italiam, interitu Rempublicam liberaui. Et libro Inuectiuarum in L. Catilinam tertio: Qui eſſet decimus annus poſt uirginum abſolutionẽ, poſt Capitolij autem incenſionem uiceſimus. Ab incendio incendiarium Vlpianus deflectit lib. 48. Digeſtorum, ad legem Corneliam de Sicarijs: Si quis, inquit, dolo malo inſulã meam exuſſerit, capitis pœna plectetur, quaſi incendiarius. Deflagrarunt.) Deflagrauit, in codicibus alijs ſcriptum eſt melius. In foro.) id eſt, in templo Caſtoris. Et iam caſtra.) id eſt, non ſolum Caſtoris templum armatis hominibus occupaſti, ſed etiam in eo caſtra poſuiſti. Familiarißimus tuus de te priuilegium tulit.) In codicibus alijs ſcriptum eſt, Familiarißimus tuus Cornificius de te priuilegium tulit. Is autem eſt Q. Cornificius, de quo Cicero libro Epiſtolarũ ad Atticum primo: Credo, inquit, te audiſſe, cum apud Cæſarem pro populo fieret ſacrificium, ueniſſe eò muliebri indutum ueſtitu uirum, idq́; ſacrificium cum Virgines inſtauraſſent, mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam. Is fuit princeps, ne tu forte aliquem noſtrum putes. Poſtea rem ex S. C. ad Virgines & Pontifices relatam, idq́; ab ijs nefas eſſe decretum. Deinde ex S. C. Conſules rogationem promulgaſſe. De hac Clodij de inceſtu cauſa, quodq́; corruptis iudicibus abſolutus ſit, Plutarchus in uita Ciceronis plura ſcripſit.

In opertum.) id eſt, in myſterium, in ſacrificium, quod Bonæ deæ in domo Cæſaris Conſulis fiebat. Erat enim mos, ut quotannis in domo Conſulis Bonæ deæ ſacrificium pro populo Romano fieret. De hoc inceſtu P. Clodij, deq́; Bonæ deæ ſacris, ſæpe licet legere in Orationibus Ciceronis, & apud Plutarchum. In portu.) ut in exilium deportareris. Eius loci ius tenebit.) id eſt, eius loci ciuis erit. Ius enim ciuitatis tenet is demum, qui ciuis ſit. Si ibi cum legibus, &c.) id eſt, ſi eius loci ciuis non fuerit.

Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι. Id eſt, Quod omnes ſapientes liberi, omnes autem ſtulti ſerui.

Hoc Paradoxum Stoicorum eſſe, teſtis eſt etiam Diogenes Laërtius libro ſeptimo: Stoici, inquit, dicunt ſolum ſapientem liberum eſſe, improbos

autem ſeruos. Libertatem enim operandi eſſe poteſtatem, qua ſtulti & impro bi omnino careant. Eſſe autem ſapientes non modo liberos, ſed etiam Reges. Autore Cicerone libro de Oratore tertio, Stoici dicunt omnes qui ſapientes non ſunt, ſeruos eſſe, latrones, hoſtes, inſanos.

Laudetur uero hic imperator.) In M. Antonium hoc dictum uideri po teſt. Sed potius ſit communis locus, ut ſi ne Imperator quidem, qui ſapiens non eſt, liber ſit, alios non eſſe liberos oſtendat, qui ſapientes non ſint. Libe ro.) Antiquo iure Romanorum ſeruis militare non licebat. Itaque ſecundo bello Punico poſt pugnam Cannenſem inopia liberorum hominum octo mil lia iuuenum ualidiorum ex ſeruitijs prius emerunt, & libertate donauerunt, quàm armauerint, ut eſt apud T. Liuium libro 22. Autore Martiano Iuriſc. lib. Digeſt. 49. de re militari ab omni militia ſerui prohibentur, alioqui capite puniuntur. Imperator igitur niſi liberis non imperat: ſed ne ipſe quidem Im perator eſſe poteſt, niſi liber ſit. Nam nemo Imperator eſt, qui magiſtratus non ſit, magiſtratus autẽ ſolis ciuibus mandatur. Qui nõ poteſt cupiditatibus ſuis imperare.) Lactantius libro diuinarum Inſtitutionum primo, Herculem fuiſſe fortem negat, quod cupiditatibus ſuis imperare non potuerit. Non, inquit, for tior iudicandus eſt, qui leonem quàm qui uiolentam & in ſeipſo incluſam fe ram ſuperat iracundiam: aut qui rapaciſsimas uolucres deijcit, quàm qui cupi dates auidiſsimas coërcet: aut qui Amazonem bellatricem, quàm qui libidi nem uincit, pudoris ac famæ debellatricem: aut qui fimum de ſtabulo, quàm qui uitia de corde ſuo egerit. Quæ magis ſunt pernicioſa, quia domeſtica & propria mala ſunt, quàm illa quæ poterant uitari & caueri. Ex quo fit, ut il le ſolus uir fortis debeat iudicari, qui temperatus eſt & moderatus & iuſtus. Quod ſolus ſapiens liber ſit, ſcribit Cicero in libro de Finibus tertio. Quàm grauis, inquit, quàm magnifica, quàm conſtans conficitur perſona ſapien tis? Qui cum ratio docuerit, quod honeſtum eſſet, id eſſe ſolum bonum, ſem per ſit neceſſe eſt beatus: uereque omnia iſta nomina poßideat, quæ irride ri ab imperitis ſolent. Rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec ſe, nec ſuos regere potuit. Rectiùs magiſter populi (is enim eſt Dictator) quàm Sylla, qui trium peſtiferorum uitiorum, luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis magiſter fuit. Rectius diues, quàm Craſſus, qui niſi eguiſſet, nunquam Eu phratem nulla belli cauſa tranſire uoluiſſet. Recte omnia dicentur eius, qui ſcit uti ſolus omnibus. Recte etiam pulcher appellabitur. animi enim linea menta ſunt pulchriora quàm corporis. Recte ſolus liber, nec dominationi cu iuſquam parens, nec obediens cupiditati. Recte inuictus, cuius etiamſi corpus conſtringatur, animo tamen uincula inijci nulla poßint. Teneat.) id eſt co hibeat & refrenet, ne quid per iracundiam turpiter faciat. À doctiſsimis.)

Stoicis.

Stoicis. Alioqui doctiſsimos homines appellat poëtas. ut pro Milone: Non ſine cauſa fictis fabulis doctiſsimi homines memoriæ prodiderunt, & cætera.

Poteſtas *uiuendi ut uelis.) Eadem ſententia perſcripta eſt in libro de* Offi*cijs primo:Vixerunt nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit, quod & regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent. libertate uterentur: cuius proprium eſt, ſic uiuere ut uelis. Viuere autem ut uelis non eſt, ut uulgo perſuaſum eſt, uiuere in luſtris & ganeis ſine cuiuſquam metu: ſed id honeſtam quandam uiuendi rationem præ ſe fert, ut hoc loco docet Cicero.* Officio.*)id eſt honeſto, eo ſcilicet quod efficere debeat.* Via.*) id eſt modus.* Non propter metum.*)Autore Cicerone pro A.Cluentio, Legum idcirco omnes ſerui ſumus, ut liberi eſſe poßimus.* Libere.*)id eſt, nulla cupiditate ſuadente, aut cogente.* Ab ipſo.*)id eſt, ab ipſius animo, non à cupiditatibus.* Quæ uim habere maximam dicitur.*)Fortuna eſt domina rerum & externarum, & ad corpus pertinentium, ut ait Cicero in libro Tuſculanarum Quæſtionum quinto. Qui in libro de Officijs ſecundo magnam uim eſſe in fortuna dicit in utranque partem, uel ſecundas ad res, uel aduerſas. Nam & quum proſpero flatu eius utimur, ad optatos exitus prouehimur: & cum reflauit, affligimur. De ui fortunæ quia alij multi ſcriptores tradiderunt, illud ſolum aſcribamus, quod eſt apud Plinium cap.7. libro 2. Toto, inquit, mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium uocibus fortuna ſola inuocatur, & una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuicijs colitur. Volubilis à pleriſque & cæca etiam exiſtimata, uaga, inconſtans, incerta, uaria, indignorumque fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola utranque paginam facit.* Fortuna ipſa cedit.*)Nihil enim bonum niſi uirtutem ſapiens exiſtimat. uirtus autem nullum habet cum fortuna commercium. quin potius uirtuti fortuna cedit, igitur & ſapienti. Id adeò uerum eſt, ut Metrodorus Epicureus(quoniam ſine uirtute beatè uiui poſſe Epicurus negabat) illa dicat apud Ciceronem libro Tuſculanarum Quæſtionum 5. Occupaui te Fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aſpirare non poſſes.* Sicut ſapiens poëta.*)Hunc arbitror eſſe Appium, de quo Saluſtius in oratione ad C. Cæſarem de Repub. ordinanda: Res, inquit, docuit id uerum eſſe, quod in carminibus Appius ait, Fabrum eſſe quemque fortunæ.* Suis quiſque fingitur moribus.*)non autem fingitur fortunæ. Nam fortunæ ſuæ quiſque faber eſt. Suam quiſque fingit fortunã. Igitur ſua cuiq; præſertim ſapienti fortuna cedit.* Conficiendũ.*)id eſt concludendum.* Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos.*)Quod omnes improbi ſerui ſint, non ſunt ſerui, ut qui à dominis empti ſunt. Illi*

enim ſunt ſerui animo, hi autem ſerui corpore. Et quanto animus corpore ex cellentior eſt, tanto illorum quàm horum ſeruitus grauior eſt. Facta nexu.) Nexus erat quædam iuris ſolennitas, quæ in rerũ abalienatione fieri ſolebat. Caij Iuriſc. de nexu faciendo illa uerba ſunt: Eſt, inquit, mancipatio imaginaria quædam uenditio, quod ipſum ius proprium eſt ciuium Romanorũ. Eaq; res ita agitur. adhibitis non minus quàm quinq; teſtibus ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Ego hũc hominem ex iure Quiritiũ meũ eſſe aio, iſq; mihi emptus eſt huius ære, æneaq; libra. Deinde ære percutit libram, idq; æs dat ei, à quo mancipium accipit quaſi precij loco. Nulla autem res lege 12. tabularum aliter niſi per hanc ſolennitatẽ abalienari poterat. Aut aliquo iure ciuili.) Alijs enim multis modis ſeruus habebatur, ut eſt apud Quint. libro 5. Nam etiã ſeruus erat aut uerna, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus. Si ſeruitus eſt.) De ſeruitute animi, non corporis intelligit. Leues.) id eſt uiles, nec ullo honore dignos. Id enim leuis, autore Gellio, ſignificat. Cui mulier imperat.) Libidinoſos homines & mulieroſos negat eſſe liberos, quod cupiditatis cauſa mulieribus ſeruiant. Quemadmodum de Hercule ſcripſit Quintil. libro tertio, quod cum regina Lydiæ Omphale ueſtitum mutauerit, & imperata penſa tractauerit. Quod amplius ſcripſit Diodorus Siculus libro 5. Nequißimum ſeruum.) Nequã dici quaſi nequicquã, extincta media ſyllaba: eumq; nequam eſſe, qui neq; rei, neq; frugis bonæ ſit, eſt apud A. Gellium libro 7. Etiam ſi in amplißimæ familia natus ſit.) id eſt, quamuis amplißimis et nobilißimis parentibus natus ſit. In magna familia ſtultorum.) Fortaſſe ſeruorum, nõ ſtultorum legendum ſit. Nam Oſcorum lingua famel ſeruus dicitur, unde familia uocata eſt. ut autor eſt Sex. Pompeius, quamuis idem paulo antè ſcribat, familiam antea in liberis hominibus dici ſolitam. Inde patrem & matrem familiæ poſtea hoc nomine famulos appellatos. Romani ueteres, ut ait Macrobius libro Saturnaliũ primo, omnem dominis inuidiam, omnẽ ſeruis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, ſeruos familiares appellauerunt. In ſeruorum autem familia aliud aliorum officium eſt. Sed qui fideliores, honoratiores, lautiores erant, hi Atrienſes appellabantur, quod in atrio dominorum diuitias, ſigna, tabulas, imagines maiorum cuſtodirent. quemadmodum qui erant uiliores & abiectiores, mediaſtini dicebantur: quod in medio ſtantes, parati eſſent ad omnium imperia. Veluti in domibus nobilium ſunt miniſtri, qui uulgo appellantur famuli per cortem. Nonnullis autem ciuibus Romanis tam magnæ ſeruorum familiæ fuerunt, ut Marcus Craſſus, autore Plutarcho in eius uita, ad quingentos ſeruos fabrilis artis et architecturæ peritos emerit. Ac tu

pari ſtultitia, quos ſigna,&c.) Si emendata lectio eſt, ſententia eſt: Tu es ſimili ſtultitia, atque ſunt ſerui atrienſes, quos ſigna, alia'que quæ ipſi in atrio cuſtodiunt, delectant. *Cælatum argentum.)* id eſt uaſa, alia'que opera argentea cælata. *Corinthia opera.)* id eſt ex ære Corinthio facta. Aeris Corinthij tria ſunt genera, autore Plinio capite ſecundo, libri trigeſimiquarti. Vnum candidum, argento nitore quàm proxime accedens. Alterum, in quo auri fulua natura. Tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit. Eodem autore capite octauo, eiuſdem libri: Si ſignis, quæ Corinthia uocant, plerique in tantum capiuntur, ut ſecum circunferant, ſicut Hortenſius Sphingem Verri reo ablatam, Nero amazonem, & paulo ante C. Ceſtius ſignum quod ſecum etiam in prælio habuit. *Ex ſummis, &c.)* id eſt, nos nati ex ſummis ciuitatis, ſumus principes, id eſt primarij ciues. *Ne ſeruorum.)* Conſeruorum alij legunt, ut cohæredes & condiſcipulos dicimus. *Qui tractant iſta.)* Hi autem ſerui mediaſtini ſunt. *Iſta.)* id eſt ſigna, tabulas, & cætera, quæ in atrio aſſeruantur. *Qui ungunt.)* ut magis niteant, & ne rubigo aut ærugo incommodum afferat. *Magnis imperijs.)* ut Præturæ, aut conſulatui, aut exercitui. *Actæonis.)* Echionis legendum eſt. Plinius capite ſeptimo, libri trigeſimiquinti, clariſſimos illos pictores nominat, Apellem, Echionem, Melanthum, & Nicomachum, quorum tabulas ſingulas opibus oppidorum ueniſſe dicit. Eodem autore capite decimo eiuſdem libri, illæ ſunt Echionis picturæ nobiles, Liber pater, Semiramis ex ancilla regnū adipiſcens, Anus lampadas præferens, & noua nupta uerecundia notabilis. *Aut ſignum aliquod Polycleti.)* Polycletus Sicyonius nobilis fuit ſtatuarius, in faciendis ſignis ære Deliaco uſus eſt. Multa eius opera Plinius capite octauo, libri trigeſimoquarti, enumerat. Huius ſigna nonnulla eſſe in atrio Titi imperatoris dicit, quo opere nullum abſolutius plerique iudicant. *Suſtuleris.)* id eſt iniuſte acceperis.

Clamores tollentem.) Id in magnæ rei alicuius admiratione fieri ſolet. *Ineptiarum.)* id eſt rerum ineptarum, ut tabularum, ſignorum, aliorumq́; eiuſdem generis. *Nonne igitur, &c.)* Hoc poſſit obijcere quiſquam, quem ſigna, tabulæ, & cætera delectent. Ei Cicero reſpondens: Sunt, inquit. Nam nos quoque, &c. *Feſtiua.)* id eſt pulchra & iucunda, qualia ſunt ea quæ feſtis diebus delectāt. *Eruditos.)* id eſt qui pulchra re, uenuſta, & artificioſa oblectentur.

Non uincula uirorū ſint.) id eſt uiros nō faciant ſeruos. *Si L. Mūmius.)* L. Mummius Conſul omni Achaia in deditionē accepta, Corinthum ex Senatuſconſulto diruit, quia ibi legati Romanorum uiolati fuerant. Signis tabulis'que urbem Romam repleuit. Iſq; primus tabulis externis autoritatem Romæ fecit. Eius uictoria mores populi Romani ad Corinthia & tabulas pictas inclinauit, ut L. Scipionis & Cn. Manlij ad cælatum argentū & ueſtes Attalicas,

ut Pompeij

ut Pompeij Magni de Mithridate ad margaritas gemmasq́;. Abſtinentiſsi/mum uirum egit Mummius in urbe diruenda. nihil enim ex ijs opibus orna/mentisq́;, quæ prædiues Corinthus habuit, in eius domum peruenit: ut è uita ipſe exceſſerit non relicturus filiæ dotem. Autores ſunt Plinius cap. 7. li. 34. cap. 4. lib. 35. et cap. 1. lib. 37. & T. Liuius libro 52. Matellionē.) Matellio, ut ait Sex. Pompeius, uas urinæ eſt. Autore Plinio cap. 2. libri 34. Vaſa Co/rinthia ſculptores transferūt modò in lucernas, modò in trullas, nullo mundi/tiarum reſpectu. Trullam autē pro uaſe ſtercorario accipiunt. Totam Corin thum.) id eſt totam Corinthi prædam. Quæ tanta fuit, ut unam Ariſtidis tabu lam Liberum patrem continentem, rex Attalus à L. Mummio ſex millibus ſeſtertium emerit: ut ait Plinius capite 4. lib. 34. Diligentē.) quod matellio/nem diligenter tractaret. M. Curius.) De hoc dicemus Paradoxo proximo.

Videat aliquem.) ut L. Philippum, Q. Hortenſium, Licininum Murenam, L. Lucullum. Summis populi beneficijs uſum.) id eſt uirum Conſularem. Conſulatus enim ſummus erat Romæ magiſtratus. Is autem populi Roma/ni ſuffragio mandabatur. Id autem ſuffragium erat populi beneficium, quod in mandando Conſulatu ſummum erat. Barbatulos mulos.) Mulus pi/ſcis eſt marinus litoralis & gregalis, barba gemina inſignitus in labro infe/riori. Plinius capite 17. libri 9. autor eſt, ubi multa de hoc piſce, quem ob id Veneti barbonem uulgo appellant, ut Perottus ait. Nos à barba barbo/nem piſcem uulgo appellamus, ſed qui in fluminibus capiatur. Mulus mari/nus tanto in precio fuit apud ueteres, ut Aſinius Celer uir Conſularis mulum unum ſeptem millibus nummum mercatus ſit: ut ex Samonici ſententia Ma/crobius libro Saturnalium tertio ſcribit, octo millibus nummū fuiſſe emptum. & Aſinium Celerem Claudio principe fuiſſe, Plinius ait. Mululos autē per diminutionem dixit, uel ut notaret maiorē uirorum Cōſularium ſtultitiam, uel quia hi piſces parui ſunt. Nam Plinius hūc piſcem eſſe dicit magnitudine mo dica, binasq́; libras ponderis raro admodum exuperare, nec in uiuarijs piſci/nisq́; creſcere. Hos tantum, ut inquit, ſeptentrionalis & proxima occidentis parte gignit Oceanus. Exceptantem.) id eſt ſæpe capientem. De piſcina) Lacus & ſtagna, quæ piſcibus uiuis coërcentur clauſa, ſuo atq; proprio no/mine piſcinas nominauerūt, ut ait A. Gellius cap. 15. libri ſecundi. Quod in pi ſcinis uiui piſces clauſi coërceantur, eas etiā uiuaria Plinius lib. 9. ſæpe appel lat. Quod in uiuarijs piſcinisq́; neget Plinius mulos creſcere, id illum habet intellectum: mulos ex Oceano in uiuaria et piſcinas transferri, ſed ibi nō cre ſcere. Pertractantem.) manibus. Murenarum copia gloriantem.) L. Lici/nius Craſſus orator, uir Cenſorius, murenam in piſcina domus ſuæ mortuam, atratus tanquam filiam luxit. Id ei collega Cn. Domitius cum in Senatu tan/

quam turpe

quàm turpe obieciſſet, tantum abfuit ut confiteri erubuerit, ut etiam gloriatus ſit Cenſor piam rem et affectuoſam feciſſe. Autor eſt Macrobius lib. Satur. 3. Idem *ſcribit,* Licinios *Craſſos appellatos* Murenas, *quod ijs murenæ fuerunt chariſſimæ. Quo eodē in loco ſcripſit, nobiliſſimos illos principes* L. Philippū, & Q. Hortenſium *piſcinas habuiſſe refertas piſcibus precioſiſſimis, itaq; hos à Cicerone piſcinarios appellatos.* M. *Cato minor, ut idem ſcribit, hæres* Luci lij *factus, piſces de eius piſcina* 40. *millibus uendidit.* C. *Cæſar dictator, cum tri umphales cœnas populo daret, ſex millia murenarum à* C. Hirrio *ad pondus mutuò accepit.* Nam *permutare precio alia'ue merce* Hirrius *noluit, ut ait* Pli nius *cap.* 55. *libri* 9. Eodem *in loco ſcribit,* Hortenſium *murenam ita dilexiſſe, ut exanimatam fleſſe credatur.* Maiore aliquo negotio.) *quàm ut piſces per tractet: aut maiore, id eſt multum magno.* An eorū ſeruitus dubia eſt.) *id eſt, an dubium ſit eos eſſe ſeruos.* Cupiditate peculij.) Peculiū *à* Tuberone *defi- nitur, ut ſit quod ſeruus domini permiſſu ſeparatum à rationibus dominicis habet, deducto inde ſi quid domino debetur. Dictū eſt autem peculium, quaſi puſilla pecunia, ſiue patrimonium puſillum. Autor eſt* Vlpianus *libro* Dige- *ſtorum* 15. De *peculio* Sex. Pompeius. *Peculiū ſeruorum à pecore dictum, ut pecuniam patrumfamilias, aut nobiliū. De peculio* Valla *lib.* 6. *plura ſcribit, ubi locum hūc citat.* Hæreditatis ſpes.) Senſus *eſt,* Sperās *hæreditatem alicu ius, ut eius animum alliciat, ei quàm inique inſeruit? Erat autē apud* Romanos *ueteres teſtamentorum libertas. Alienū enim, ut propinquū, hæredem facere licebat.* Quid iniquitatis.) Autore *Cicerone libro de* Repub. 3. *ut eſt apud* Non. Marcellum, *iniuſtæ ſeruitutis genus eſt, cum hi ſunt alterius, qui ſui poſ- ſunt eſſe.* Locupletis.) *ut maiorem habeat hæreditatem.* Orbi.) *id eſt libe- ros nullos habentis, ut facilius hæres fiat.* Senis.) *ut hæres fiat citius.* Quid iam illa cupiditas.) *Ambitioſos ſeruos eſſe probat, quod cupiditati ſeruiant. Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumq; contentio, ut ait Cicero libro de Officijs* 1. Autore M. Varrone, *ut eſt apud* Non. Marcellum, *tanta inuaſit cu piditas honorum pleriſq;, ut uel cœlū ruere, dummodo magiſtratū adipiſcan tur, exoptent.* Quæ uidetur eſſe liberior.) Magiſtratus *enim quod alijs im- perent, uidentur liberiores.* Honoris.) *id eſt magiſtratus.* Imperij.) *id eſt ut ſis prætor, aut Conſul, & prouinciam ſorte obtineas.* Cethego homini non probatiſſimo.) Haud *ſcio an Cethegus ſit is, qui poſtea Catilinæ ſocius fu erit, de quo in carcere ſumptum ſupplicium ſit.* Huius *tamen uita obſcœna, li- bidinum ac flagitiorum plena erat.* Nihilominus *ciuitatis* Romanæ *princeps uidebatur: nec Senatus quicquam cenſebat, aut populus iubebat, niſi quod* Cethego *placuiſſet.* Is *inſignem meretricem* Romæ *familiariter colebat, no- mine* Preciam, *quæ & formæ ut uenuſtate, & ſermonis comitate reliquas*

omnes longe præſtabat. Itaq; multos nobiles ex Romana iuuentute ſibi amo/res deuinxerat. Qua ex cauſa quæ in Repub. gerebantur, cognoſcebat, ci/uium diſcordias componebat, amicitias confirmabat. Accedente Cethego amatore, maior huius in Republica fuit potentia. Nec quicquam Cethego probabatur, niſi quod Precia iuſsiſſet. Octauius, qui Ciliciam prouinciam miniſtrabat, id temporis mortuus eſt. L. Lucullus Conſul nimium gloriæ cu/pidus, Mithridaticum bellum decerni ſibi maxime cupiebat. id ſe aſſecuturum ſperabat, ſi Ciliciam Cappadociæ proximam obtineret. Itaq; Preciam tum do nis, tum blanditijs ſibi deuinxit, eiusq; beneficio id aſſecutus eſt, ut Cethegi ſuffragio Ciliciam obtinuerit. Hoc licet fuſius legere apud Plutarchũ in uita Luculli. Res.) id eſt prouinciæ et gloriæ cupiditas. Lucullum Cethego ſer/uiſſe hic Cicero dicit, quẽ ſeruiſſe Preciæ, apud Plutarchum eſt. Qui ſibi eſ/ſe ampliſsimi uidebantur.) id eſt, L. Lucullum Cos. Conſulatus enim am/pliſsimus magiſtratus erat. Plurali aũt pro ſingulari uſus eſt, ut ſit intellectio.

Quæ ſeruitus eſt.) Argumentum à contrario eſt. Cum cupiditatũ domi/natus exceſsit.) id eſt cũ quis pecuniã aut imperiũ non cupit amplius, ſed adeptus eſt iniuſtè. Paulo loquacioribus.) qui conſilia fidei ſuæ credita celare non poſſunt. Quæ enim norũt, aut metu, aut leuitate facile effutiunt. Aut quia adoleſcentes ex magnorum uirorum accuſatione probitatis & eloquentiæ laudem capeſſere ſolebant, ut eſt in lib. de Off. 2. in qua ſententia locũ hunc intelligi Valla lib. 6. autor eſt. Paulo loquacioribus.) Adoleſcentes enim ex ſchola prodeuntes, in accuſando ſenibus in foro iamdiu uerſatis loquaciores erant. Eſt ſeruiendum.) Nam ut ait Iuuenalis Saty. 3. Quis nunc diligitur, niſi conſcius, & cui feruens Aeſtuat occultis animus, ſemperq; tacendis? Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam, Participem qui te ſecreti fecit hone ſti. Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo uult Accuſare poteſt. Qui ui dentur aliquid ſcire.) à nobis factũ eſſe turpiter ſcilicet. Quid ualet igitur.) Quantum conijcere licet, hæc L. Craſsi uerba ſunt ex quadã concione ad po/pulum Ro. quã diſſuaſit ne Cinna, Marius, Carbo, et Sertorius cum patria bel lum gerentes, in urbem reciperentur. In ea autẽ concione illa uerba fuerunt, Eripite nos è ſeruitute, nolite ſinere nos cuiquam ſeruire, niſi uobis uniuerſis, quibus poſſumus & debemus. Is autem eſt L. Craſſus orator, de quo ſæpe Ci cero, & T. Liuius libro 80. meminerunt. In libertatem uindicari.) id eſt è ſeruitute eripi. Niſi uobis uniuerſis.) id eſt uniuerſo populo Rom. ad quem hæc oratio habebatur. Exaggerato.) id eſt cumulato. Stoici enim uirtutes ita inter ſe connexas eſſe dicebant, ut nemo unam habere poſſet, quin haberet reliquas. Non reddere.) id eſt non ſoluere. Ille uideat.) M. Antonius, de quo in principio huius Paradoxi intelligere uidebatur.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. id eſt,
Quod ſolus ſapiens diues.

Hoc quoq; Paradoxon Socraticum eſt. Socrates enim apud Platonem in Phædro, deos orat ut ſapientẽ ſolum diuitẽ exiſtiment. Idem rogatus, an quiſquam Crœſo, qui regum omnium opulentiſſimus erat, beatior eſſet: neſcire ſe quantũ haberet uirtutis, reſpondit. Significabat enim, ne diuitem quidem eum eſſe, niſi ſapiens eſſet. Autore Valerio Maximo lib. 7. de ſapienter dictis & factis: Gyges regno Lydiæ armis & diuitijs abundantiſſimo inflatus, Apollinem Pythium ſciſcitatum uenit, an quiſquam mortalium ſe eſſet fœlicior. Deus ex abdito ſacrarij ſpecu uoce miſſa, Aglaũ Pſophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, ſed ætate iam ſenior, terminos agelli ſui nunquam exceſſerat, paruuli ruris fructibus ac uoluptatibus contentus. In hoc autem Paradoxo primum Cicero probat eum eſſe diuitẽ, non qui multa poſſideat, ſed qui ſuis rebus contentus ſit: deinde eum uere diuitem eſſe, qui uirtutem habeat.

Quæ eſt iſta.) Ad M. Craſſum diuitem uerba dirigit. Illud Paradoxum, Sapientem eſſe diuitem, Craſſus ita deflectebat, ut diceret eum qui diues eſſet, ſapientem eſſe. Cum igitur Stoicos placere ſibi diceret, quod bonum uirum ſapientem diuitem eſſe oſtenderent: uide, inquit Cic. ne illud magis oſtenderẽt, omnia in ſapiente ſita eſſe. Craſſo enim auaritiæ macula inuſta erat. Autor eſt Plutarchus in uita Ciceronis. Cicerone autore in libro de Finibus tertio, ut ante diximus, rectius ſapiens appellabitur diues quàm Craſſus, qui niſi eguiſſet, nunquam Euphratem nulla belli cauſſa tranſire uoluiſſet. Ad hunc Craſſum pertinere poſſit illud, quod multo antè ſcripſerat Cato de liberis educandis, ut eſt apud No. Marcellũ: Perſpicuum eſt maiorẽ curã habere nos marſupij, quàm uitæ noſtræ. Tam inſolens oſtentatio) Solent qui diuites ſunt, & glorioſi, diuitias ſuas oſtentare. Memorabile eſt illud Valer. Max. lib. 3. de paupertate: Cornelia, inquit, Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius oſtenderet, traxit eã ſermone, quouſque è ſchola redirent liberi Et hæc, inquit, ornamenta mea ſunt. Omnia nimirum habet, ut idem ibidem dicit, qui nihil concupiſcit, eo quidem certius, quàm qui cuncta poſſidet, quia dominium rerum collabi ſolet, bonæ mentis uſurpatio nullũ triſtioris fortunæ recipit incurſum. Audiſſe.) à præceptoribus, et præcipue Stoicis. Stoicum Diodorum Cic. audiuit. isq; in domo Ciceronis mortuus eſt, ubi habitauit & uixit: ut ait idem Cicero de Claris oratoribus. Liberaliter.) id eſt honeſte, & ſine cuiuſquã iniuria. Itaq; nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Hominũ ſermo) id eſt, fama hominũ de te. Nullũ quæſtũ turpẽ putas.) M. Craſſus uirtutes, quas habuit plurimas, unius auaritiæ ſordib. obſcurauit. Hoc enim præcipuũ inipſo uitiũ, cætera quæ

in ipſo fuerunt,longe ſuperauit.Huius rei clariſſimum teſtimoniũ præbet magnitudo diuitiarum,quas breui admodum tempore ſibi comparauit. Autor eſt *Plutarchus in principio uitæ* M.*Craßi,ubi aſcribit quàm iniuſte tãtas diuitias cõparauerit. Iſti ordini.) Senatorio,ex quo tu es.* Autore T. *Liuio libro* 22. Q. *Claudius Tribunus plebis legem tulit,ne quis Senator,qui'ue Senatoris pater fuiſſet,maritimam nauem, quæ pluſquàm trecentarum amphorarũ eſſet, haberet.Id ſatis habitum ad fructus ex agris uectandos.His uerbis ſignificat, mercaturam omnemq́; alium quæſtum Senatori turpem eſſe. Paciſceris.) iniuſte ſcilicet. Socios.)populi Romani,aut tuos,quibuſcum ſocietatem coiſti. Aerariũ expilas.)*M.*Craſſum ſuo & Pompeij Conſulatu tertio rapuiſſe duo millia pondo auri è Capitolini Iouis ſolio,à Camillo ibi condita,Plinius autor eſt cap.*1.*libri* 33. *Vt ne ærario quidẽ abſtinuiſſe credas,qui tali ſacrilegio ſe obſtrinxerit. Si teſtamẽta amicorũ expectas quidẽ,atq; ipſe ſupponis.) In codice antiquo melius ſcriptum mihi uidetur ad hunc modum, Si teſtamenta amicorum expectas,atq; te ipſe ſupponis.* Apud *Vallam libro* 6.*ita lego, Si teſtamenta amicorum expectas,ac ne expectas quidem,atq; ipſe ſupponis.* H*æc lectio mihi uideretur melior, ſi loco atq;,ſed ſcriberetur.Supponere eſt, falſum & adulterinum loco ueri ſubijcere: ut quum quis matri ſublato filio, eius loco alium,ut ita dicam,reponit,partum ſupponere dicitur.*Inde *ſupponere teſtamentum,eſt falſum pro uero ſubijcere.Et ſuppoſita perſona, quũ quis alium ſe eſſe ſimulans,eius nomine teſtamentum,aliud'ue quid facit: ut apud* Ciceronẽ *pro* A.*Cluentio,Aiulius Aſinium ſe eſſe ſimulãs,eius nomine teſtamentum fecit.De eo illud eiuſdem* Ciceronis *in eadem Oratione: Dum uero eum fuiſſe* Oppianicum *conſtabit, qui tabulas publicas municipij ſui corrupiſſe iudicatus ſit,qui teſtamentum interleuerit,qui ſuppoſita perſona falſum teſtamentum obſignandum curarit.* Virgilius *in libro* Aeneid. 6.*de Paſiphaẽ in tauro ligneo incluſa,quam pro uacca taurus iniuit, Suppoſitaq́; furto Paſiphaẽ.*Q*uum teſtamentorũ libertas eſſet, multorũ amicorũ hæres* M.*Craſſus factus eſt.Multis item teſtamentis hæres ſuppoſitus eſt, ut autor* Cicero *eſt libro de Off.*3.*L.* Minutij *Baſilij locupletis hominis falſum teſtamentum quidam è Græcia Romam attulerunt. quod quo facilius obtinerent, ſcripſerunt hæredes ſecum* M.*Craſſum &* Q. *Hortenſium,ætatis eiuſdem homines potentiſſimos.* Q*ui quum illud falſum ſuſpicarentur, ſibi autem nullius eſſent conſcij culpæ,alieni facinoris munuſculum non repudiauerunt. Inanem.)id eſt uacuum,non plenum, non ſatiatum. Sat eſt.) ad tuendam rem familiarem.Opus eſt enim maiore pecunia,qui duas plures'ue filias habet,quàm qui nullam.Si habeat quantum ſatis eſt ad earum dotem, ſitq́; contentus, diues eſt.* Vt *aiũt.)id eſt,ut in fabulis eſt.Danao Beli filio quinquaginta filiæ,eiusq́;*

fratri

fratri Aegypto filij totidem fuiſſe dicuntur. Quæ *breui tempore maximas copias,&c.*) *Luxuria,ebrioſitas,ambitio,largitio, quam prodigalitatem ap/ pellant, diuitias maximas breui tempore exhaurire poſſunt.* Neminem *eſſe diuitem.*) In eandem ſententiam illud Ciceronis ex libro de Officijs primo eſt: Nuper M. *Craſſus negabat ullam ſatis magnam pecuniam eſſe ei qui in* Re/ *pub. princeps uellet eſſe,cuius fructibus exercitum alere non poſſet.* Hoc di/ *ctum* Craßi Plutarchus *in eius uita memorans:* Bellicorum,inquit,ſumptuum *nullus eſt modus:nulla menſura bellum nutritur,ut inquit* Archidamus. Au/ tore Plinio *cap.10.libri 33.* M. *Craſſus in agris ſuis ſeſtertium 20. millia poſſe dit:*Quiritium *poſt* Syllam *ditißimus.Nec fuit ſatis,niſi totum* Parthorum *eſu riſſet aurum.* Quod.) *id eſt,alere exercitum ſuis fructibus.* Reficiatur.) *id eſt conficiatur tantum pecuniæ.* Tueri.) *id eſt ut uulgo dicunt,*intertenere:*ut tueri domum, familiam, aliáque generis eiuſdem dicimus.* Tueri *ſex legio/ nes.*) Plinius *in eo loco cuius nuper mentionem feci,* Craſſum *dicit negaſſe di uitem, niſi reditu annuo legionem tueri poſſet. Si locus emendatus eſt,ſignifi cat* Cicero,*in* Romano *exercitu ſex legiones eſſe ſolitas. Verum apud* T. Li/ *uium ſæpe inuenire licet, legiones quatuor fuiſſe in exercitu conſulari. ut li/ bro 8.*T. *Manlius in bello* Latino,*legiones quatuor. Libro 21.* Sẽpronio Lon/ *go duæ,&* P. *Cornelio Scipioni totidem datæ ſunt,cum hi ad ſuſtinendum* An *nibalis aduentum mitterentur. Libro 22.cum* Q. *Fabius Dictator cum* Minu/ *tio partitus exercitum eſt, ei legiones duæ, &* Minutio *totidem obuene/ runt. Eo tempore legio habebat quatuor millia peditum, & trecentos equi/ tes,eoſq; omnes ciues* Rom. *Poſtea* C. *Marius adiecit duo millia,& ducentos pedites. Scribit* Vegetius *in libro ſecundo,ſe in omnibus autoribus inueniſſe, ſingulos Conſules aduerſus hoſtes copioſißimos non amplius quàm binas le/ giones,additis auxilijs ſociorum duxiſſe. Idem paulo antè ſcribit,auxilia à ſo/ cijs,uel fœderatis gentibus mitti ſolita. Auxilia autem pro auxiliaribus mili/ tibus,ut miniſteria & ſeruitia pro miniſtris & ſeruis dici,ſæpe inuenias.*
Vel *potius egeſtatem.*) *Correctio eſt. Paupertas nonnunquam honeſta eſt, egeſtas uero ſemper turpis.* Apud Virgilium *libro* Aeneid.*6.turpis* Egeſtas *in ueſtibulo inferorum habitat.* Nunquam *obſcure.*) *id eſt ſemper palàm, ut ijs qui honeſte rem quærunt.* A *contrario arguit.* Rem *quærunt.*) *id eſt,di/ uitias acquirunt.* Mercaturis *faciendis.*) *id eſt, mercaturas faciendo intelligi mus opus eſſe quæſito. Mercaturas facere dicit,pro eo quod uulgo dicũt mer caturam exercere. ut* Actione in Verrem *7. Alios qui à prædonibus erant ca/ pti,cum mercaturas facerent,ut aliquam ob cauſam nauigarent, ſua uolun/ tate cum piratis fuiſſe arguebat.* Operis *dandis.*) *id eſt,operas ſuas locando.* Publicis *ſumendis,*) *id eſt conducendo uectigalia populi* Romani. *ut facie/*

*bant Publicani, quos honeſtiſsimos homines atque ornatiſsimos Cicero ap/
pellat pro lege Manilia. Nocentes & pecunioſos.) Vtrunq; ualet ad iudi/
cium corruptelam. Nam qui innocens eſt, Iudices nõ uult corrumpere: qui pe
cunioſus non eſt, non poteſt. Vtrunq; expreſsit Cicero Actione in Verrem ſe
cunda: Inueterauit, inquit, iã opinio pernicioſa Reip. uobisq́; periculoſa, quæ
non modo Romæ, ſed apud exteras nationes omnium ſermone percrebuit, his
iudicijs, quæ nunc ſint, pecunioſum hominem, quamuis ſit nocens, neminem
poſſe damnari. Corruptelam.) Id uſitatè dixit: Corruptio autem uix Latinè
dicatur. ut libro de Legibus 1. Tantam autem eſſe corruptelam malæ conſue
tudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati. Qui tuas mer
cedum pactiones in patrocinijs.) M. Craſſus orator fuit, multorũ cauſas etiam
cum Cicerone defendit, ut L. Murenæ, & L. Cornelij Balbi. Idem Craſſus im
proborum hominum patrocinia ſuſcipere ſolebat, ut ait Salluſtius in Catili/
na. Lege autem Cintia, pœna ſtatuebatur aduerſus eos qui precio cauſas ora/
uiſſent, ut ſcripſimus in Commentarijs in Catonẽ Maiorẽ Ciceronis. Inter/
ciſas.) id eſt, interpoſitas, aut definitas. Pecuniarũ.) pactiones ſcilicet. In con
cionibus candidatorum.) Quæ ſint illæ candidatorũ conciones, legere nõ me
mini. Dimiſsiones libertorum.) id eſt, quò libertos tuos dimiſeris, id eſt in di/
uerſas prouincias miſeris. Ad fœnerandas diripiendasq́; prouincias.) Fœ/
nerari prouinciam nouè dictum eſt, quamuis fœnerari pecuniam & benefi/
cium alibi dicat Cicero. ut Actione in Verrẽ 4. Idem præterea pecunias iſtius
extraordinarias grandes ſuò nomine fœnerabatur. Et in libro de Amicitia:
Neq; enim beneficium fœneramur, ſed natura propenſi ad liberalitatem ſu/
mus. Societates.) De ſocietatibus ijs quæ in negociationibus coiri ſoleant, eſt
in lib. Inſtitutionum Iuſtiniani tertio. Poſſeſsiones uacuas.) Vnde eiecti domi
ni ſunt, præcipuè in furioſa illa & inhumana Syllæ proſcriptione. Proſcri/
ptiones locupletum.) Cum Sylla uictor proſcriberet eos, qui Marianas par/
tes ſecuti fuerant, multos ex locupletibus ſimul proſcripſit, ut eorũ bona publi
carentur. Q. Aurelius nullis ſe negocijs implicans, forum ingreſſus, proſcri/
ptorum nomina legebat in quibus cum ſeipſum comperiſſet: Albana, inquit,
uilla me proſcripſit. Paululum progreſſus, iugulatus eſt. Autor eſt Plutarchus
in uita Syllæ. Qui cædes municipiorum.) Non Romanos ſolum proſcripſit
Sylla, ſed etiã in municipia, colonias, præfecturas Italiæ ſæuijt, quæ aduerſas
partes adiuuerant. Aliorum enim oppidorum arces demoliebatur, aliorũ mu
ros euertebat, alijs publicam multam imponebat, alia tributis grauioribus op
primebat, ut author eſt Appianus libro de Bellis ciuilibus 1. Aut cædes muni/
cipiorũ, id eſt municipũ, ut ſit intellectio. Qui illam Syllani tẽporis meſſem
recordetur.) Cũ Sylla ciuiũ Rom. bona uendens, ſuam ſe prædam uendere di*

ceret,

ceret, *Marcus Craſſus ex ijs permulta paruo emit. Cum idem Sylla magnam urbis partem incendio uaſtaſſet, areas multas, earum domini partim egeſtate compulſi, partim nihil audentes petenti negare Craſſo, uendiderunt exiguo precio. Qua ratione magnam urbis partem emit. Seruos ad quingentos emit fabrilis artis & architecturæ peritos, quibus ad domos in areis uacuis ædificandas uteretur, quorum operas locabat ijs qui à ſe areas emerant.* Hac ratione grandem pecuniam ſibi comparauit. Amplius hæc Plutarchus in uita Craßi. Meſſem.) *Metaphora eſt ad augendam inuidiam. Vt enim ſegetes ſecantur in meſſe, ita in Syllæ proſcriptione ciuium colla ſecabantur.* Subiecta.) *id eſt ſuppoſita & falſa.* Sublatos.) *id eſt interfectos.* Delectum.) *militum ſcilicet.* Decretum.) *Senatus.* Eſt *enim ad uulgi opinionem* mediocris) *Ciceroni multas fuiſſe diuitias, ſed eas iniuſte partas, obiecit Salluſtius.* Eius *ad maledicta* Cicero *reſpondens, amicorũ teſtamentis ſe factum dicit locupletiorem.* Pecuniam Pyrrhi.) *Pyrrhus cum in* Italia *bellum gereret cum* Romanis, Legatum Cyneam Romam *miſit. Is ubi redijt,* Fabritij *apud* Romanos *dignitatem eſſe maximam, ut uiri boni, bellatoris egregij, ſed uehementer pauperis* Pyrrho *retulit.* Fabritio *poſtea miſſo ad* Pyrrhum *legato, de captiuis redimendis,* Pyrrhus *ipſe ſeorſum blanditus, ut à ſe pecuniam acciperet, hortabatur, non ob turpem aliquam cauſam, ſed ut amicitiæ atque hoſpitalitatis monimentũ eſſet.* Eam Fabritius *prorſus renuit, ut ait* Plutarchus *in uita* Pyrrhi. An reſponſum Marci Curij.) Marcus Curius, *qui ferociſsimas gentes ſubegerat, qui* Pyrrhum *ex* Italia *eiecerat, qui ter triumphauerat, agellum quendam poſſedit, ubi domuncula fuit.* Ibi *cum ad focum ſederet, & rapum torreret, aurum quod* Samnitum *legati dono offerebant, repudiauit.* Iis *auro opus eſſe negauit, quibus huiuſmodi cœna ſatis eſſet: quí que aurum habentibus imperare, quàm aurum habere, longe pulchrius iudicarent.* Autor *eſt idem* Plutarchus *in uita* Catonis Maioris. Autore Plinio *capite tertio, libri decimioctaui:* Marcus Curius *poſt triumphos, immenſum que terrarum adiectum imperio pro concione dixit,* Pernicioſum *intelligi ciuem, cui ſeptem iugera non eſſent ſatis.* Idem *iurauit, ſe ex præda nihil attigiſſe, præter guttum faginum, quo ſacrificaret: ut ait idem capite trigeſimonono, libri ſextidecimi.* Manium, *non* Marcum, *hunc idem ſolet appellare.* Autore Sex. Pompeio, Manius *prænomen eſt, dictum ab eo quod mane quis initio natus ſit: ut* Lucius, *qui luce.* Illud Marci Varronis, *quod eſt apud* Non Marcellum, *de ijs qui paruo contenti, ſed boni uiri erant, aſcribendum mihi uiſum eſt:* Aui, *inquit, & ataui noſtri, quum allium ac cepe eorum uerba olerent, tamen optime animati erant.* Luc. Pauli.) Aemylij, *qui* Conſul *iterum* Perſem Macedoniæ

Regem

Regem uicit, de eoq; triumphauit. An libertatem.) *Liberalitatem legi oportet.* Africani.) *Scipio Africanus minor L. Pauli filius à P. Scipione Africani maioris filio adoptatus eſt. Itaque Scipio adoptatus eſt, quemadmodum eius frater Q. Fabius Maximus appellatus eſt, quod in Fabiorum familiam adoptatus ſit. Iure enim ciuili Romanorum, qui adoptabantur in familiam, et in nomen familiæ adoptabantur.* Q. Maximo fratri.) *Huius Scipionis liberalitatem in ſorores, Cicero commendat in libro de Amicitia: Quid, inquit, dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem? liberalitate in ſorores? bonitate in ſuos? iuſtitia in omnes? Hic Q. Maximus à deuictis Allobrogibus, Allobrogicus cognominatus eſt, qui primus omnium Romanorum argenti mille pondo habuit, ut ait Plinius capite 11. libri 33.* Summarum uirtutum.) *ut abſtinentiæ & liberalitatis.* Quàm magnum uectigal ſit parſimonia.) *Idem ſcripſit Cicero in libro de Rep. quarto, ut eſt apud Non. Marcellũ: Optimum, inquit, & in priuatis familijs, & in Rep. uectigal duco eſſe parſimoniam.* Iſtum quæſtuoſum.) *M. Craſſum.* Ille.) *id eſt aliquis ſumptuoſus.*

Capit.) *id eſt percipit.* Sexcenta.) *Valla libro tertio putat ſcribendum ſexcena. Ego uero ſexcentena.* Centena.) *id eſt, quotannis centum ſeſtertia.*

In illis.) *prædijs.* Sola.) *id eſt pauimẽta.* Ea faciẽti.) *id eſt uillas in prædijs tã ſumptuoſe ædificanti.* Veſtẽ.) *id eſt ueſtes. In hac re ſingulare pro plurali ſæpe dici inuenire licet.* Infinite.) *id eſt, in infinitum. qua uoce alibi quoque uſus Cicero eſt, ut libro Academicarum primo: Eoq; etiam interire non in nihilum, ſed in ſuas partes, quæ infinite ſecari atq; diuidi poßint: cum ſit nihil omnino in rerum natura minimum, quod diuidi nequeat. Quæ autem mouentur, omnia interuallis moueri, quæ interualla etiam infinitè diuidi poßint. Et libro de Oratore ad Brutũ: Ne infinite feratur, ut flumen, oratio.* Non modo ad fructum.) *Sententia eſt: Ille ſumptus ſexcentũm ſeſtertiũm, qui in tectis auratis, ſolis marmoreis, alijsq; rebus inſumitur, exiguus eſt & ad uictum, et ad fœnus, unde lucrum percipi poßit. id eſt, tanti reditus parui ſunt homini ſumptuoſo.* Ex meo tenui uectigali.) *Nã etiã priuata uectigalia ſunt.* Detractis ſumptibus cupiditatis.) *Nullos enim ſumptus facio, ad quos ulla impellat cupiditas.* Aliquid etiã redundabit.) *Itaq; exiguũ non eſt ad fructum et ad fœnus.* Ad ſe tuendã.) *id eſt ut uulgo dicũt, ad ſe intertenendũ. In ea re tueri à Cicerone ſæpe dici inuenias.* Huius ſeculi.) *id eſt huius temporis, quo diuitiæ à bonis quoq; expetũtur.* M. Manilius.) *is eſt qui cũ Africano minore, Lælio, Philo, Scæuola, alijsq; diſputat de Rep. in libris quos de Rep. Cicero conſcripſit, qui temporum iniuria non extant.* Licinios.) *Lucinos legi oportet. C. enim Lucinus Fabricius appellatus eſt. Ab alijs tamen Luſcinus, ab alijs Lucinius appellatur.* In Carinis.) *Carinæ uicus erat urbis Romæ.* In Labicano Labi-

bicano.)Labicanum,nõ Lauicanũ dici,ſcripſi pro Cn.Planco.à Labico uetuſto oppido,quod prope Tuſculum fuit,non procul ab urbe Roma, Labicanum dictum eſt.Idq; pro prædio Labicano,ut Tuſculanũ,Pompeianum,Formianum,aliaq; eiuſdem generis.Quid ſi in Vaticano,non in Labicano legas.Agrum enim Vaticanum Romæ proximum fuiſſe ac cepimus.Cuius de appellatione eſt apud A.Gellium lib.16. Cenſus.) id eſt diuitiarum:ut apud Iuuenalem ſatyra 14.Miſera eſt magni cuſtodia cenſus. In hac re cenſus ſæpe dicitur. Cenſus adiectiuum pro diuite & pecunio o dicitur.ut in lege Voconia:Ne quis homo cenſus,unicam habens filiam,eam hæredẽ relinqueret. Victu atq; cultu.)id eſt,quum ad uictum & cultum ſatis eſt. Modus.)id eſt menſura. Emacem.) eorum quæ ad cultum,uictum,& ſumptum pertinent.Quum enim hæc domi habentur,magnum uectigal eſt.Emax autẽ,qui ſolet emere:ut uendax,qui ſolet uendere,dicitur.M.Cato de re Ruſtica: Patrẽfamilias uendacem,non emacem eſſe oportet.Inde emacitatem Columella dixit libro quarto:Quoſdã emacitas in armentis,quoſdam exercet in comparandis mancipijs.Hæc autem uocabula in ax,habitũ quendam ſignificant: cuiuſmodi ſunt audax,edax,uorax,bibax,furax. Callidi.)id eſt ſagaces, experientes & prudentes. Prata.)Prata magno ab antiquis æſtimata fuere,quibus nonnulli in bonis dant primatum.itaq; antiqui ea parata appellauerunt,ut ait M.Varro libro de re Ruſtica 1.Eorum facillima agricolis cura,ac minimi impẽdij eſt,ut ait Plinius cap.28.libri octaui decimi.Itaq; M. Cato Maior interrogatus quis eſſet certiſſimus quæſtus, reſpondit,Si bene paſcat:id eſt,ſi bona prata paterfamilias habeat.

Areas quaſdã.)Authore Sex.Pompeio,area proprie dicitur locus uacuus,id eſt ſine ædificio,quaſi exaruerit,& non poſſit quicquam regenerare.Huiuſmodi areæ in quibus ædificaretur aptæ erant. Et nonnullæ magno uendebantur.Vt authore Plutarcho,M.Craſſus poſt L. Syllæ crudelitatem,areæ ſpacium ad ædificandum unicuique pro arbitrio ſuo uendebat.C.Cæſar,ut in eius uita ſcribit Suetonius, forum de manubijs inchoauit,cuius area ſuper ſeſtertiũ millies cõſtitit. Ab huius areæ ſimilitudine,area appellata eſt ubi frumenta ſecta terantur & areſcant. Ea qua ratione fieri ſolita ſit,M.Cato,& M.Varro libro de re Ruſtica primo,& libro ſecundo ſcripſerunt.Huiuſmodi areas locari ſolitas, indeq; magnum quæſtum fieri,Calepinus dicit: ex quibus locum hunc intelligendum putat. Huiuſmodi areas quidam lapidibus muniebant, quidam etiam tegebant. Magni æſtimant) Quamuis ita in omnibus exemplis,quæ in manus peruenerint, legam,magno tamen,non magni legendum pu-

dum putem. ut apud Vergilium, Magno mercentur Atridæ. Paruo enim & magno adiungi ſolent cum uerbis emere, uendere, æſtimare, aliud'ue quid huiuſmodi ſignificantibus. Minime quaſi noceri poteſt. Columella lib. ſecundo: Neceſſarius, inquit, cultus prati eſt, cui ueteres Romani primas in agricolatione tribuerunt. Nomen quoq; indiderunt, ab eo quod protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret. M. quidem Porcius & illa commemorauit, quod nec tempeſtatibus affligeretur, ut aliæ partes ruris, minimiq; ſumptus egens per omnes annos præberet reditum, neq; eum ſimplicem, quum etiam in pabulo non minus præberet, quàm in fœno. Appetunt.) ſine ratione.

PETRI MARSI IN LIBRORVM M. T. Ciceronis de Natura deorum Commentarios, *ad Chriſtianiſs. Lodouicum Galliarum regem, Præfatio.*

Spectaculū cœleſtis domicilij iucundiſsima uarietate diſtinctum, Sereniſsime rex Ludouice, finiti motus atq; æquabiles, nec nō clariſſimorum luminum ratus ordo, & non ſine maxima commodorum omnium ſuis temporibus non minus grata quàm neceſſaria copia moderatus, priſcos illos quos caſcos appellauit Ennius, ad tantæ molis tantiq; operis ac muneris autorem & moderatorem cognoſcendum & honorandum excitarunt, & erexerunt. Quapropter ne ingrati uiderentur, ſupremam illam naturam tantarum rerum effectricem caſtiſsima religione pientiſsimoq; cultu honeſtandam decreuerunt. Eamq; uirtutem ſtudioſiſsimè amplexi ſunt, qua uel maxime uis humani cenſetur ingenij, & pietatem ſolidiſsimum reip. fulcrū ritè arbitrati, leges ſanxerunt, quibus diuini cultus & cerimoniæ ſedulò ſeruarentur, & augerentur in dies. In eos autem qui contumaci elatione, ac ueſania ſacros ritus contempſiſſent, ſeueriſsime animaduerterūt. Creuitq; illis cū umbratili quadam religione fortuna. Nec ardentiori ſtudio & pia ſolertia his tenenda ſunt, & recolenda, qui nō delirum illum, & oſcitantem neſcio quem Epicurum, non Cyprium Zenonem à poetica profectum, non Stagyritem Ariſtotelem, aut illum quem diuum appellant omnes et admirantur Athenienſem Platonem: ſed autorē ſalutis noſtræ, ueritatisq; magiſtrum ſectamur Ieſum, quem uerum deum, & uerum hominem catholica fides profitetur & colit: qui oportunè dux è cœlo demiſſus, ut errantibus iu-

ſtitiæ

ſtitiæ ac pietatis,quibus uera religio,ſapiensq; continetur,uiam benignere ſeraret,atq; ad æterna ſublimis theſauri præmia dirigeret. Omnibus principibus & regibus cura hæc incumbit, ut populis rectè ac piè uiuendi exemplo ſint: ſed Maieſtati tuæ uel maxime conuenit, religioſiſsime rex Ludouice:quē Chriſtianiſsimū & appellāt omnes,et uenerātur.qua profecto nūcupatiōe nullos titulos,nulla elogia,nullos ex omni mundo celeberrimos triumphos duco conferendos. Efficiendumq; tuæ prudētiæ eſt,et amplitudini,ut honeſtiſsimū pro uera religione certamē pro focis,aris,delubris & templis hæreditaria hac & magnificentiſsima appellatione arguat te eſſe digniſsimum. Carolum illum undiq; Magnū uiribus tuis & opibus propone imitandum: qui contuſis Longobardorum ceruicibus, Italiæ diuturno furore barbarorum diuexatæ aſſertor,& mundiſsimæ religionis Apoſtolicæq; dignitatis reſtitutor appellatus eſt. Italia prouinciarum omnium quondam regina & totius orbis munimentum tuæ Maieſtati fouenda,& omni ſtudio augenda eſt: ut expeditum iter Gallicis copijs terra mariq; conſternat in barbaros: qui & obſcœnitate morum & probroſiſsima ſuperſtitione ſoli hoſtes habēdi ſunt. Cur te primogenito militantis eccleſiæ filio,rege Galliarum, uiris & armis inſtructiſsimo, canis ille Ottomannus lumen quondam orientis Cōſtantinopolim occupat? Cur diuinæ ſapientiæ dicatū templū profanat? Cur omnē Græciam impunè peruagatur? Cur inde Apolloniā, ſinumq; Hydruſium,hinc ad Vgros, Noricos, & Charintios, licenter excurrit atque prædatur? Cuius omni dedecore ac ſacrilegio pollutas acies,minimo quidem negocio uinci poſſe, Parthus ille Thamberlanes declarauit. Cur Soldanes ille Memphites, imò ſpurciſsima belua, Saluatoris noſtri uenerandum ſepulchrū poſsidet? cur à Chriſtianis uectigal, & portorium exigit? Cur Magmedes,ueneno ſus ille coluber,adoratur: & Chriſtus contemnitur? Hæc hæc tua ſint ſpolia,Chriſtianiſsime rex, & de ſæuiſsimis canibus triumphales exuuiæ. Auguſtiſsimus ille mons Sion Gallicis trophæis decorari & inſigniri efflagitat. Heraclij pietas te prouocet,qui è Perſicis penetralibus ſacroſanctum dominicæ crucis uexillum in ſanctam retulit ciuitatē:ubi ſummus ille rex noſter, & pontifex,precioſiſsimam hoſtiam pro natura quam aſſumpſerat offerens, obediētia et lachrymis exaudiri meruit. Ad has magnificas laudes Chriſtiana religio undiq; afflicta clementiā tuā inuitat,tuas implorat opes, ad te ſupinas tendit manus. Honeſtis & pijs uotis aderit Dominus,& (ut Claudianus de ſuo Imperatore cecinit) æther tibi militabit, & con-

iurati ueniẽt ad claſsica uenti. Nõ hæc ſcribo, ut prudentiſsimum regem, & ſapientiſsimum, ſui officij moneam. perſuaſionem tam temerariam à mea ſimplicitate auertat Deus: et uerba, quæ ſtudium Chriſtiani candoris, & ſpes clariſsimi de ſpurciſsimo & immaniſsimo hoſte triumphi dictant, ne quis malignè interpretetur. Me Chriſti ſeruulum & presbyterum zelus domus Dei comedit, & incendit. Hanc ſpecioſiſsimam lauream Chriſtianiſsimo regi auguror, uoueo, exopto: ut Silianus ille Liger Cor. Scipioni his uerſibus,

Nam tibi ſeruantur, niſi uano caſſa uolatu
Mentitur ſuperos præpes, poſt rema ſubactæ
Fata puer Libyæ, & maius Carthagine nomen.

Sed hæc hactenus. M.T. Cicero, cui primas in eloquio & philoſophia noſtri tribuunt, ambiguitatem omnem & controuerſam difficultatẽ de ui & natura ſupremi numinis, tribus uoluminibus diſtinxit, aperuit, diſſoluit, terminauit. Variarum diſciplinarum autores, atque perſonas Academica libertate ſuſtinens, quid à quoq;, & quid contra quenq; diſputatũ ſit, non minori eruditione quàm dicendi gratia expreſsit. Quod tanti tamq; uarij atq; multiplicis ingenij monimentũ, alioqui diuinum, ſic mendoſum erat, cicatricoſum, atq; luxatum, ut nullum fermè uſum his præberet ingenijs, quorũ cultibus tantus ille uir benigniſsimè laborauit. Secundus liber omnẽ rationem Stoicorũ, & piã & ueram complexus, neſcio quo & ſcriptoris, & legentium malo fato, ſic eſt tranſpoſitus, ut pleraq; præpoſtera habeantur, confundantq; ſententiam. Laboraui pro uiribus, ut euulſa & diſsipata membra ſuis locis reſtituerem, & quaſi articulatim ferruminarem. Quantum profecerim, clara huius memoriæ ingenia æſtiment, quorum iudicaturam boni & æqui ſemper conſulam. Quod opus reconcinnantum, & qualitercunq; nõ ſine multarum lucubrationum laboribus enarratum, Maieſtati tuæ ſacraui, rex religioſiſsime, ut tanto patrocinio tutum, publica iudicia non exhorreat. Noui equidem, quid ſarcinæ languidis iam, & ſeneſcentibus humeris impoſuerim. Sed Horatianum illud me illexit, Eſt quódam prodire tenus, ſi non datur ultra. Decebat certe à teneris unguibus diuino famulitio adſcriptũ, hanc qualẽcunq; operam religioni non negare. Vnũ præfari libet, ac perorare: Cũ Iouem, naturam, fatũ, & cætera id genus nomina legeris, Chriſtianiſsime rex, nihil mouearis. Is enim Stoicorum mos eſt, uim diuinam uarijs nominibus appellare. Seneca Cordubenſis, inter Stoicos non ignobilis, huic ſententiæ adſtipulatur his uerbis: Cum

naturam

naturam nominas, Deo mutas nomen. quid enim aliud eſt natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo infuſa, & partibus eius inſerta? Licet tibi hunc Iouem optimum maximumq́; appellare, & Tonantē, & Statorem. Hunc eundem & fatum ſi dixeris, non mentieris. namq; fatū nihil aliud eſt, quàm ſeries implexa cauſarum. Ille autem prima omnium cauſa, ex qua cæteræ pendent. Quæcunq; uoles nomina illi propriè aptabis, uim aliquam effectumq́; cœleſtium continentia. Tot appellationes eius poſſunt eſſe, quot munera. Vis illum prouidentiam dicere, rectè dicis. eſt enim cuius conſilio huic mundo prouidetur. Vis illum uocare mundum, non falleris. ipſe enim eſt totū quod uides, totus ſuis partibus inclytus, & ſe ſuſtinens, & ſua. Hercules dicitur, quoniam uis eius inuicta eſt. Mercurius, quia ratio penes deum eſt, & ordo, et ſcientia. Necnō M. T. Varro, græcorum & latinorū literatiſsimus, apud Ciceronem in primo Academico ſic loquitur: In natura eſt perfecta ratio, & ſempiterna, quam uim animum dicunt eſſe mundi, eandemq́; eſſe mentem & ſapientiam perfectam, quem Deum appellant, omniumq́; rerum quæ ſunt ei ſubiectæ, quaſi prudentiam quandam procurantem. quam interdum neceſsitatem appellant, quia nihil aliter poſsit atq; ab ea conſtitutum ſit, quaſi fatalem & immutabilē continuationem ordinis ſempiterni. Nonnunquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improuiſa et inopinata nobis, propter obſcuritatem, ignorationemq́; cauſarum. Hæc Seneca & Varro. Priſci ergo philoſophantes, naturæ uenatores atq; interpretes, unum Deum rerum omnium creatorem & moderatorem cognouerunt. Sanctiſsimæ ac ineffabilis Trinitatis myſteria, doctor ueritatis, imò ueritas ipſa Chriſtus Ieſus, nondū reſerauerat. Illi puris tantum naturalibus utebantur. Nos diuina gratia illuſtrati, Deum ſectamur ducem. Vnde fluuius eloquentiæ Lactantius, gentes ſuperſtitionibus addictas excuſat, dicens: Fragilium cultores aliquid ſapientiæ retinent, & habere ueniam poſſunt, quia ſummum hominis officium, & ſi non re ipſa, tamen propoſito tenent. Siquidem hominum atq; mutorū uel ſolum, uel certe maximum in religione diſcrimen eſt. Homo autem per ſe ipſum peruenire ad hanc ſapientiam nō poteſt. Philoſophi, quod ſummum fuit humanæ ſapientiæ aſſecuti ſunt, ut intelligerent quid nō ſit. illud aſſequi nequierunt, ut dicerent quid ſit. Nota Ciceronis uox eſt, Vtinam tam facile uera inuenire poſſem, quàm falſa cōuincere. Quod quia uires humanæ cōditionis excedit, eius officij facultas nobis eſt attributa, quibus tradidit Deus ſcientiam ueritatis. Hæc diſertiſsimus Chriſtianæ ueritatis et

purißimæ religionis aſſertor Lactãtius. Deo igitur Optimo Maximoq́; habenda eſt gratia, qui humanam ſortem miſeratus, mediatorem deſtinauit, qui aberrantem ouem humeris ſuis ad gregem retulit. Cui honor eſt & gloria, in æuum omne. Tuamq́; maieſtatem ornamento Chriſtianæ fidei natam fouere ac tueri dignum ducat.

IN M. T. CICERONIS DE NATVRA DEORVM LIBRVM I. PEtri Marſi Commentarius.

QVVM *multæ res in philoſophia.)* Præfatio hæc Ciceronis ad Brutum in Academica philoſophia conſummatißimum, bimembris eſt. Etenim beneuolentiam et attentionem undiq; colligens, de ſumma huius quæſtionis, & ambiguæ propoſitionis difficultate agit imprimis. Deinde inſtitutum citra tamẽ arrogantiam commendãs ſuum, his reſpondet qui repentinam philoſophandi operam, et relictæ, nec nõ penè iam obſoletæ diſciplinæ patrocinium admirabantur: et in aliena re magis quàm decuiſſet curioſi & habebantur, & erant. demum omni ſe inuidia liberans, uarias philoſophorum ſententias de ui & natura diuini numinis repetit, ut Academiam non eſſe procacem oſtendat, ſed cautam atq; prudentẽ, cum incognita nõ habeat pro cognitis, nec cuiuis opinioni temerè aſſentiatur: ueritatis, quæ maximas habet latebras, indagatrix ſagacißima, & uenatrix. Explicatæ.) euolutæ, enodatæ, enarratæ. Quæſtio.) inquiſitio, indagatio, perſcrutatio. eſt autẽ quæſtio, in dubitationẽ ambiguitatemq́; adducta propoſitio. ut cum quæritur, quæ ſit natura & qualitas diuinæ maieſtatis, & an cœlũ ſit uolubile, & cætera id genus. Eſt pulcherrima.) honeſtißima & glorioſißima. quoniam ratio nobilißima pars animæ uires diffundit ſuas, & ad faſtigium ſupremũ aſcendit. cum nobilißimum obiectum, id eſt Deũ glorioſum atque ſublimen contemplatur, & quoad fieri poteſt cognoſcit & perſpicit. obiecta quippe potentias perficiunt omnis, ut inductione manifeſtũ eſſe poteſt. Humanæ rationis obiectũ eſt ueritas: uolũtatis uero, id quod bonũ & eſt, & habetur. eſt enim appetitus uerus id eſt rectus, & decorum ſeruans ſuum. Moderandã.) temperandam, & menſura quadam ac ratione ponendam uenerationem ſupremæ naturæ, quæ optima eſt et maxima,

maxima,id eſt gratioſiſſima,benigniſſima,liberaliſſimaq́;, nec non potentiſſima, ut iure à creaturis colenda honorandaq́; ſit,ne ingratæ uideantur, & pio caſto´que timore formidanda,ut in officio ueræ humanitatis contineantur. talis quippe nexus & uinculum,quo diuinis beneficijs obligantur,religio eſt & ius quod inter deum & illas intercedit. Religio autem mediũ inter ſuperſtionem,id eſt inanem diuini numinis metum,& impietatem,ſortita eſt locum: habetq́; ſuum modũ,id eſt terminum hinc & inde fixum, citra quem & ultra (ut inquit Flaccus) uerum,id eſt decens & rectum atq; laudabile nequit conſiſtere. omnis enim uirtus ſua formula moderata eſt. Summũ bonum hominis, dicit Lactantius,in ſola religione eſt. nam cætera etiam quæ putantur eſſe homini propria,in cæteris quoq; animalibus reperiũtur. Diſcrepãtes.) diſſonæ,diſcordes,contrariæ. Argumento.) indicio,ſigno,demonſtratione. Hæc diſcrepantia,inquit, arguit atque demonſtrat cauſam,quæ mouit philoſophantes ad tale ſtudium, fuiſſe cognitionis & ſcientiæ cupiditatem. natura quippe ſcientiam deſiderant omnes, & ueritati primas dare cõſueuerunt philoſophi: qui ſapientiæ ſtudio & ardore incenſi,ueritatis indagationi ſeſe penitus addixerũt. Arguere eſt indicare, demonſtrareq́;. unde argumentum, Græci elenchum appellant. Vnde Diuus Paulus dixit fidem eſſe hypoſtaſim, id eſt quandam ſubſiſtentiam, ita dixerim, & confirmationem earum rerum quæ ſperantur futuræ. dat quippe illis eſſe,atq; formam bene fundata fides: quæ ſic rebus futuris inhæret, ac ſi ſubſiſtentes & formatas uideret ac tangeret. nec non elenchum,id eſt argumentum, indicium, & demonſtrationem eorum quæ nondum apparent, aut uidentur: ſed ipſa fides illa credit ac ſi uideret. Modus loquendi eſt, hoc rem illam arguit, & hoc illi rei argumento eſt, & hoc eſt illi commodum, & commodo. Prudenter.) ſapienter & cautè: ne temerarius aſſenſus hebetudinem & ignorantiam illorum argueret, demonſtraret, atque traduceret. Fortius.) ualidius, obſtinatius. Temeritate.) inconſulta & imprudenti credulitate alicuius rei. nonnulli ſiquidem præſumptæ opinioni ſic inhæreſcunt, ut ſaxis oſtrea: nec facile auelli poſſunt. Hanc temeritatẽ alibi notans Cicero, dicit: Sed neſcio quomodo plerique errare malunt, eamq́; ſententiã quam adamauerunt, pugnaciſſimè defendere, quàm ſine pertinacia quid conſtantiſſimè dicatur, exquirere. Temerarium.) inconſultum, hebes, imprudens, fatuum. Conſtantia.) firmo ſtabiliq́; iudicio: citra leuitatem & fluctuationem rationis & mentis. Sentire.) ſentẽtiam falſam habere,

habere,abſurdumq́; aliquid affirmare. Explorate.)*exactè,exquiſitè, diligenter comprehenſum ratione ſit, & intellectum.* Pleriq;.)*multi, & magna pars hominum, qui duce natura* Deum *eſſe affirmarunt.* Communis *nanque conſenſus,uox naturæ uidetur.* Veriſimile.)*probabile & credibile.Loquitur ut Academicus, qui nihil affirmat,ſed ueri ſimile ſectatur & probat.* Quo.)*ad quam opinionē & cognitionem naturali quodam præſcripto uehimur & trahimur.* Dubitare.)*ambigere, ac ſibi nō liquere deos eſſe,aut nō eſſe. Ordo eſt:pleriq; dixerūt eſſe,Protagoras ſe dubitare dixit.* Protagoras *Abderites, inquit Laert. aut ut* Heraclides *ſcripſit,Teius,librū ſic auſpicatus eſt:De dijs quidem ſtatuere nequeo,neq; an ſint,neq; utrū non ſint.ſunt enim plurima quæ id ſcire prohibeant, quoniam & ſumma rei obſcuritas,& breuis hominis uita.Tali exordio offenſi Athenienſes, libros Protagoræ in foro cremauerunt,uoce præconis undique conquiſitos.* Omnino.)*prorsus ac penitus enunciarunt nullos eſſe deos.* Melius.)*ex Melo inſula, una Cycladum,& urbe eiuſdem nominis. Ariſtophanes in Nebulis, appellat Socratem Melium,id eſt impium, & Melij Diagoræ ſectatorem. & Melicarum gruum meminit Gellius. Cyrene oppidum Aphricæ,patria huius Theodori.* Cauſam.)*negotium, litem, & controuerſiam comprehendit.* Moliantur.)*parent,efficiant,moueāt,agitent.* Vacent.)*uacui ſint, & immunes.* Dijudicatur.)*diſceptatur, definitur, & declaratur.* Errore.)*tenebris & caligine uitæ.* Philoſophi.) Epicurus *eiusq́; familia, quæ uana quædam de Deo et ſenſit,& differendo delirauit atq; euomuit.nam Deum maximum optimumq́; gratia priuauit & ira.id eſt beneuolentia,beneficentia, prouidentiaq́; erga humanum genus,& iuſta ſontum punitione,quæ ira Dei appellatur. Impiam hanc profanamq́; ſententiam talibus numeris proſecutus eſt* Lucretius, *Nec bene pro meritis capitur,nec tangitur ira.* Pietas.)*iuſtitia erga Deum,agnitio ſummi autoris & patris:nec non optima uoluntas et gratus animus erga diuina beneficia.Sanctitas eſt ſcientia colendi Deum,et uenerandi.religioſus dicitur caſtus,obſeruans,cohibens ſeſe certis legibus,finibusq́;.* Ita.)*ea conditione ac lege,ſi à Deo conſiderantur,& ſi beneficus eſt in nos Deus: aliter incaſſum talia fierēt tanta mentis puritate, integritateq́;. hoc eſt enim uerum ſacrificium, quo ſumma gaudet bonitas,cum pectus uidelicet generoſo honeſto incoctum eſt.* Permanare.)*defluere aliquod ad nos beneficium & gratia.* Quid eſt.) *ut quæ cauſa eſt,ut deos honoremus,et obſecremus ſi humana nō curāt, ut oſcitans* Epicurus *hallucinatus eſt & effutiuit, uerbo deos ponens, re au-*

re autem è medio tollens. *Hanc opinionem refellens* Lactantius, *dicit: Quomodo religio ipſa ſine metu teneri aut cuſtodiri poteſt? quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, utiq; non colitur. ita fit, ut religio & maieſtas honore & metu conſtent. metus non eſt, ubi nullus iraſcitur. ſiue igitur gratiam deo, ſiue iram, ſiue utrunq; detraxeris, religionem tolli neceſſe eſt: ſine qua uita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate completur. multũ enim refrenat homines conſcientia, ſi credamus nos in conſpectu* Dei *uiuere: ſi non tantum quæ gerimus, ſed etiã cogitamus aut loquimur, audiri à deo putemus: ubicunq; nobis latẽdi occaſio arriſerit, auferamus aliena, ſi præter leges nihil eſt amplius quod colendum ſit.* Hæc *dum ſentit* Epicurus, *religionem funditus delet: qua ſublata, perturbatio uitæ ſequitur.* In *ſpecie.) figura, forma, & apparentia, ita dixerim. Senſus eſt: ut reliquæ uirtutes non poſſunt ſimulari, ſic nec pietas: quoniam, ut alibi dicit* Cicero, *nihil ſimulatũ poteſt eſſe diuturnum: & ita omnia ficta celeriter, tanquam floſculi decidunt. & Seneca* Neronem *ſic monuit:* Nemo *poteſt perſonam diu ferre fictam: ficta cito in naturam ſuam recidunt: ſoluto ſinu ad uirtutem accedendũ eſt.* Perturbatio.) *peruerſio actionum & officiorum, quibus humana uita decoratur, & mutuis fulcitur beneficijs.* Confuſio.) *permixtio iuris & iniuriæ, ut nullus ordo uitæ remaneat, nulla lex honeſtatis, nulla cura decori: ſed caligine cuncta obducerentur, & ritu ferarum tranſigeretur uita, ſi fundamentum uel maximum reipublicæ religio tollatur è medio.* Fides.) *dictorum conuentorumq; conſtantia, firmitas & ueritas.* Societas.) *coniunctio, comitas, amicitia mutua, & charitas, beneficiorum officiorumq; uiciſſitudo, qua humana ſocietas colligatur et continetur.* Retinendum *eſt, inquit* Lactantius, *omni modo uinculum ſocietatis humanæ: quia homo ſine homine nullo modo poteſt uiuere. retentio autem ſocietatis, eſt comitas, id eſt auxiliũ præſtare, ut poſſimus accipere.* Idem Cicero *in* Legibus *ſic ſcribit:* Qui *deum nõ agnoſcit, aut homini nocet, iniuſte & contra naturã ſuam uiuit: & hoc modo abrumpit iuſtitiam legemq; diuinam.* Excellentiſſima.) *præclariſſima, quoniam eſt communis uirtus, & cuiq; dat quod illi debetur. itaq; cũ deum honorat, pietas appellatur: cum hominibus proſpicit, officium: cum uita defunctos non fraudat, fides dicitur.* Sunt *autem alij.)* Agit *iam de ratione grauiſſima & pientiſſima, Stoicorum, qui huius regiæ quam ſpectare cupimus, fidiſſimi & ſolertiſſimi ſunt ianitores: exploſis* Epicureis, *quorum deliramenta nata ſunt in hortis quibus* Priapus *et* Venus *præſunt. & iccirco* Priapea *ſunt, &* Venerea, *cum nil appetant præter*

marceſcens ocium, & turpiſsimā uoluptatem, ad quam etiā cœli numē detrahere laborarunt. Magni.)*docti.* Nobiles.)*celebres & clari.* Mente.)*conſilio.* Ratione.)*prouidentia.* Cenſeant.)*putent, iu dicent, ſtatuant.* Tempeſtates.) *metata & dimenſa temporū ſpacia.* Ea tempeſtate, inquit Saluſt. in exercitu noſtro fuere complures. Vnde dicimus, noſtra tempeſtate fiunt hæc. Pubeſcant.) *creſcant, uigeant, fructusq́; ferant.* Translatio ab adoleſcentulis, quorū pubertas à 14. ætatis anno incipit, & ephebi, id eſt pubeſcentes appellantur. Carneades.)*Cyrenaicus, nouorū Academicorū acerrimus.* Idē Cic. in Legib. ſic ſcribit: Perturbatricem aūt omnium rerū Academicam hanc ab Arceſila & Carneade recentē exoremus, ut ſileat. Nō ſecordes.) *cordatos, prudentes, ſolertes, & ſapientes.* Cauſa.)*negocio, quæſtione, controuerſia.* mitigandi ſunt, qui animo non inimico obiurgāt: et refellēdi, qui ruſticè maleuolè odioſeq́; inſectantur & urgent, contentioni & iurgio magis quàm rationi & ueritati ſtudentes. Iurgium dicitur diſſenſio. inde obiurgare, contendere, contráque ſentire: & obiurgatio, eſt caſtigatio quædam, poſt turpe factum. & pertinet ad amicos & propinquos. à iure & ago, iurgatio dicta, quaſi iuris actio. Obiurgatores ergo ſunt cōtradictores. Repellendi.)*reijciendi, cōfundendi, et cōfutandi ut eos temerarij & maligni conatus tandē pœniteat.* Multum uero.)*Alterum caput & membrū huius præfationis: quo tria proponit, quæ deinceps explicantur.* Fluxiſſe.)*emanaſſe.* De.)*propter libros phyſicos iam editos.* Extitiſſet.)*emerſiſſet philoſophandi noua quædam cupiditas & uoluntas.* Quid quaque de re.) *id eſt quod ſit meum dogma, & an certum aliquid habeam in rebus, an animus meus errore uagetur & fluctuet.* Noctem.) *caliginem, & ambiguitatem: quoniam eius decretum eſt, nihil certo ſciri poſſe, ac percipi.* Obfunderet.)*obijceret, ac ſpargeret menti & rationi quandam ignorantiæ & ambiguitatis nubem.* Familiaritates.) *conſuetudines & amicitiæ.* Diodorus Stoicus erudiuit Ciceronem in dialecticis. Inſtituti.) *eruditi atque inſtructi.* Etſi omnia.) *Senſus: Mea uita in priuatis negocijs & publicis arguit me è præceptis philoſophorum uixiſſe: cum præſcripta illorum eò tendant, ut uitam inſtruant, & rectam uiuendi aperiant uiam.* Ergo qui rectè uiuit, philoſophatur egregie. Referuntur.) *tendunt & reducuntur ad inſtructionem uitæ.* Præſcripſerit.)*præfinierit, docuerit, præceperit, ordinauerit.* Ratio.)*uia & modus philoſophorū.* Ocio.)*inopia quadam negociorum, & ingrata quiete marceſceremus, occupata à Cæſare republica.*

blica, iudicijsq; deletis. Reipubl. cauſa.) pro communi utilitate, ut ea qua poſſem ciuibus conſulerē. Noſtris.) Romanis & Latinis. Magni.) multum pertinere atque magnificum eſſe Romanis, cum hæc eſſent cognitione digniſſima. Contineri.) comprehendi & celebrari latino eloquio. Inſtituti.) decreti, incepti, conſilij: quoniam complures ad ſcribendum prouocaui. Inſtitutionibus.) diſciplinis, dictatis atquo dogmatibus. Communicare.) conferre, & alios participes facere. Quo in genere.) uerborum accommodatione & philoſophica dictione, copiáque. Nam Romani ſermonis egeſtatem locupletauit Cicero, & philoſophiam latinè loqui edocuit. Vnde Lucanus, Romani maximus autor Tullius eloquij. Aegritudo.) mœror, obortus ex patriæ interitu: & ciuium infelicitate, quos fortuna redegit ad iugum tyrannidis. Leuationem.) remedium & curationem, pondus ægritudinis releuantem. Ad hanc.) philoſophicam & literariam. Ea leuatione.) nullo alio modo mihi honeſto & graui. Pertractandam.) enarrandam, explicandam. Totæ.) integræ atque diffuſæ. quoniam res inuicem connexæ ſunt, & ſe uiciſſim declarant.

Continuatio.) connexio & ſeries, ordo quidam implexus atque inhærens. Nexa.) dependens. Aptæ.) iunctæ, connexæ, colligatæ: ut, Cœlum ſtellis ardentibus aptum. Qui autem requirunt.) Illis reſpondet, qui ſcire cupiebant quid certi de quaque re haberet Cicero: notat'que latenter eos, qui alicuius doctoris autoritate ac dignitate moti temerè credunt, cum potius acre iudicium adhibendum ſit, & ſententiæ diligenter æſtimandæ: cum labi, errare, ac decepi turpe ſit, ac malum. Idem Cicero in Lucullo ſic ſcribit: Aliqui de rebus incognitis iudicant, ad quamcunq; ſunt diſciplinā quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt. Nam quod dicunt omnia ſe credere ei quem iudicent fuiſſe ſapientem, probarem, ſi id ipſum rudes & indocti iudicare potuiſſent: ſtatuere autem qui ſit ſapiens, uel maxime uidetur eſſe ſapientis. ſed ut potuerunt rebus omnibus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententijs, iudicauerunt: aut re ſemel audita ad unius ſe autoritatem contulerunt. Quid ſentiamus.) quam ſententiam, certam uidelicet ac definitam, habeamus. non enim tantum quærendum eſt quid ego ſentiam, ſed quid ſentiendum ſit, exactè diſquirendum: ut Academici faciunt, qui non autorem ſententiæ reſpiciunt, ſed ipſam expendunt ſententiam, ne perſonæ æſtimatio iudicijs obſit. Curioſius.) maiori cura quàm deceat uiros graues atque prudentes. nam

curioſitas malignitatem quandã ſapit, leuitatem, et impudentiam. Unde Plautus dicit, Nemo curioſius qui non ſit maleuolus. Autores.*) perſonæ illorum qui aliquid dixerunt, aut fecerunt. unde dicimus autores ſententiarũ, qui ſententias ipſas enunciarunt: et. autores belli, duces & imperatores qui bellũ geſſerunt.* Momenta.*) uires, pondera, & qualitates.* Autoritas.*) æſtimatio & præſumpta opinio de dignitate alicuius perſonæ, quam ſapientiſſimam temerè forſitan iudicarunt.* Ratum.*) certum firmum, & exploratum.* Quare ita eſſet.*) quæ ratio eſſet huius affirmationis. nulla igitur allata ratione, ad autoritatem doctoris confugiebant: quod negligentiam quandam ſapit, & imprudentiam, præſertim in his in quibus humanũ iudicium falli poteſt. nam ſacris autoritatibus & diuinis credendum eſt, et nulla ratio efflagitanda, ne fidei merita diſpereant.* Præiudicata.*) antè cõſtituta, & præſumpta de doctoris iudicio & excellentia: ut illi credendũ eſſe opinarentur, etiam ſi nullam rationem afferret.* Autoritas.*) æſtimatio uiri, dignitas & excellentia.* Diſciplinam.*) doctrinam Academicam, & modum philoſophandi, ac uiam.* Quatuor libris.*) Deſiderantur proh dolor hi libri, temporum iniurijs, & principum literatorum'que ignauia, & incuria. extat tantum liber primus dimidiatus, & mutilus. cuius principium eſt, In cumano nuper. Sacratum erat opus M. Varroni: Cicero ut Romanis oſtenderet, quod philoſophandi genus maxime probaret, Academicam omnem rationem duobus libris enarrauit: in quibus Catulum & Lucullum nobiliſſimos ciues induxit diſputantes, quorum nomine libros inſcripſit, additis procemijs, quibus eorum uterque laudatus eſt. Catulus deſideratur, extat Lucullus. cuius principium eſt, Magnum ingenium L. Luculli. Deinde ut Varronis animum oblectaret, à quo libros de latina lingua expectabat, perſonas mutauit, morien te Pomponio Attico, Varronem'que, ſubſtituit & è duobus libris quos iam ad Atticum miſerat, quatuor effecit. ipſo autore in Epiſtolis ad Atticum, his uerbis: Ergo illam Academiam in qua homines nobiles illi quidem, ſed nullo modo philologi, nimis acutè loquuntur, ad Varronem transferamus. etenim ſunt Antiochea, quæ iſte ualde probat: Catulo & Lucullo alibi reponemus. & pòſt paulo: Commotus tuis literis, totam Academiã ab hominib. nobiliſſimis abſtuli, tranſtuliq; ad noſtrũ ſodalẽ, & è duobus libris contuli in quatuor. grandiores ſunt omnino quàm erant: libri quidem ita exierunt, ut in tali genere ne apud Græcos quidẽ ſimile quicquam. tu illam iacturã feres æquo animo, quod illa quæ habes de Academicis, fruſtra deſcripta ſunt. multo tamen hæc erunt ſplendidiora.*

didiora,breuiora,meliora. Nec uero.) *Eos refellit, q rationẽ Academicã derelictã & obſoletam aſſeuerabant.nõ enim,inquit,ſcientiæ interent cadentibus autoribus,& aſſertoribus.deſiderant tamẽ in lucẽ produci,& manifeſtari.quo ad ſe,claræ ſunt:à cæteris nihil aliud quærunt, niſi manifeſtari et declarari.* Ratio.)*modus,& uia diſputandi.* Aperte.)*manifeſte ac definitè.* Profecta.)*orta à Socrate,qui dixit ſe unum tantum ſcire,quod nihil ſciret. Arceſilas fuit Pitaneus.* Repetita.)*in uſum reuocata,& reſumpta.* Viguit.)*celebrata eſt,et culta.* Orbã.) *priuatã eſſe cultorib.et aſsertorib,qui orbes,id eſt oculi ſunt ſcientiarũ, quæ à cæteris lumen deſiderant.* Vitio.)*culpa aliqua ipſius diſciplinæ,cum bona in ſe ſit copioſa et utilis.ſed ideo relinquitur,quoniam & rerum omnium copiam, & fluuium dicendi uberrimũ expoſcere, quod pauci admodũ præſtare poßũt, & ideo paucißimi et penè nulli hoc modo philoſophãtur.* Tarditate.)*hebetudine ingenij atq; ſocordia.* Tardi dicũtur illi, quorũ mẽtes pigræ ſunt,et ignauæ. quib.celeres, prõpti, ſagaces, ſolertes, & ardentes opponuntur.* Propoſitũ.)*conſtitutum atq; decretũ.* Facultatem.)*poßibilitatẽ atq; efficaciã.Dico, inquit, me eſſe ſectatum tale genus, quamuis non affirmẽ illud me attigiſſe, & comparaſſe.& ſic deuitat arrogantiam.* Ratione.) *uia & modo diſputant.licet,inquit,nihil affirment.ueriſimile tamen ſequũtur,atq; probabile.* Alio loco.) *in Academicis,in quibus agitur de dogmate,id eſt decreto & placito huius diſciplinæ.* Indociles.)*rudes & inepti,nõ facile doctrinã percipientes.* Tardi.)*obtuſi,hebetes.et ſic aperit ſuum dogma Cicero,medium quoddam tenens inter Stoicos pertinaciter affirmantes,& nouos Academicos,qui nihil certi habebant quod ſequerentur:quod etiam in officijs repetijt,ut quondam enarraui.* Nota.) *ſic manifeſta,ut aſſenſus non debeat denegari.* Perciperentur.) *perfecte intelligerentur.* Viſum.)*apparentiã,ita dixerim,& aſpectum.id eſt, uiderentur eſſe ueriſimilia & idonea ut humanam uitam regerent,cum à pluribus talia iudicarentur:cum id nõ planè probetur.Viſum dicimus actum uidendi,et rem quæ uidetur.ut apud Vergilium, Rite ſecũdarent uiſum.Cicero alibi neutrũ ponit uiſum,& ſecundi ordinis,pro eo quod uidetur & apparet tam oculis quàm animo : græce dicitur phantaſma, & phantaſia,id eſt imaginatio.in primo Academico dicit,Viſis non omnibus adiungebat fidem,ſed his ſolum quæ propriã quandam haberent declarationem earum rerum quæ uiderentur : id autem uiſum cum per ſe ipſum cerneretur, comprehenſionem appellabat, ſimilem his rebus quæ manu prehẽderentur:& ſi ita erat cõprehenſum, ut conuelli ratione non*

ne non poſſet,ſcientiam nominabat. nam uulgo hæc quæ ad mores pertinent, institutis magis ciuilibus conſtare uidentur, quàm lege ueritatis & naturæ. unde Ariſtoteles in Moralibus *dicit:* Honeſta *& iuſta de quibus ciuilis conſiderat, tantam differentiam habent, & uarietatem, ut lege tantum eſſe uideantur, & non natura. talem uarietatem habent & ipſa bona, quia compluribus accidunt detrimenta ab illis.* Carum *igitur fuerit, atque ſatis de talibus atque ex talibus dicentes pingui* Mineruá, *& laxa quadam docendi uia, uerum ipſum oſtendere: & de his quæ ſunt plerunque, atque ex talibus dicentes talia, & concludere.* Inſignem uiſum.*) conſpicuum, ueriſimilem, probabilem pleriſq;: & his præſertim qui ob prudentiam & rerum uſum, recto cenſentur iudicio, & menſura rerum atq; iudicatura quadam æſtimantur. nõ enim quilibet homo eſt arbiter talium, ſed uerus homo, id eſt ſapiens, & factus ad unguem.* Humana *igitur talia habenda ſunt, qualia uidentur conſummatis uiris: & ſic eorum conſilio formandi ſunt mores & degenda uita.* Illuſtrem.*) clarum & euidentem, ut merito ſuadere poßit, atq; allicere.* Sapientis.*) prudentis, & nil temerè facientis: ſed id, cuius poßit, & ſi non certam, & ueram, tamen ueriſimilem cauſam reddere. hæc eſt certe officij forma, & his principijs atq; concluſionibus, humana uita citra repræhenſionem degitur & gubernatur.* Liberem inuidia.*) liuore illorum & calumnia, qui me arrogantem & procacem calumniantur* Academicum, *& hanc philoſophandi rationem, tenebras rerum appellant, & ingeniorum tricas ducunt.* Recenſebo, *inquit, priſcorum opiniones: & id quod pro omnibus & contra omnia diſceptatum eſt à philoſophis agentibus de ui & natura numinis. Sic certe planum erit atq; manifeſtum, an* Academia *procacitatis accuſanda ſit: nam philoſophorum ambigua diſſenſio, dogma probat* Academicum. In medio.*) in communi iudicio & æſtimatione.* Procax.*) garrula, loquax, & ſine iudicio multa uerba effundens impudenter.* Vt Statius in Synephebis.*) id eſt* Cæcilius *comicus cognomento* Statius. Idem Cicero *in Catone maiore dicit:* Vt ait Statius noſter in Synephebis. Gellius *ita ſcribit:* Statius *ſeruile nomen fuit. pleriq; apud ueteres ſerui eo nomine fuerunt.* Cæcilius *quoq; comœdiarum poëta inclytus, fuit ſeruus, & propterea nomen habuit* Statius: *ſed poſtea uerſum eſt in cognomentum, appellatusq; eſt* Cæcilius Statius. Synephebi *nomen comœdiæ, latinè* Compubeſcentes. *ut* Synapothniſcontes, *commorientes.* Exclamabo, *inquit* Cicero, *pro re grauißima, & maximo reipub. fundamento ad omnes*

omnes qui iudicare poſſunt & ſciunt, ut adſint, faueantq́; religioni & pietati. Popularium.) *eiuſdem populi, id eſt ciuium.* Proh, *nunc pro aduerbio ponitur, nunc pro interiectione dolentis & admirantis.* Ordo: Imploro *fidem deorum, populariumq́; adoleſcentium. & fides pro amico ſtudio, & iuſta ope, opportunoq́; auxilio ponitur.* Imploro.(*in auxilium aduoco.* Capitalia.) *pernicioſa, & pœna capitis punienda. & ſic dicitur homo capitalis, & qui capitale admiſerit.* Cerimoniæ.) *ſunt ritus ſacri. Cerimoniarum cauſam, inquit* Pompeius, *alij ab oppido ductam exiſtimant, alij à charitate dictas iudicant.* Templum *ſignificat ædificium deo ſacratum.* Delubrum, *autore* Varrone, *dicebatur, ſacer locus, in quo præter ædem ſit area aſſumpta deûm cauſa. ut erat in circo* Flaminio Iouis *ſtatoris, aut in quo dei ſimulachrum dedicatum ſit. ſicut locum in quo figerent candelam, cādelabrum appellatum: ita in quo deum ponerent, nominatum delubrum.* Solemnibus.) *uſitatis, & ſumptuoſis.* Auſpicijs.) *augurijs, & diuinationibus.* Erat augur Cicero, *& ideo dicit ſe præeſſe auſpicijs. de his latius in* Diuinatione *dicetur.* Referenda.) *reducenda, quoniā inde pendent. nam ſi deus eſt, & humana curat, fouet, uiciſſimq́; punit, hæc omnia caſtè, pieq́; ſeruanda ſunt. & eſt diuinatio, quoddam dei munus. Sin aliter exiſtimabitur, euaneſcent hæc omnia.* Et iccirco *uiris equisq́; fauendum eſt diuinæ cauſæ, ne ingrati uideamur, & impij.* Certi.) *explorati atque percepti. & hi erant* Platonici, Ariſtotelici, *&* Stoici. Addubitare.) *aliquam dubitationem habere.* Familiarem.) *amicum, & ſtudiorum communione mihi coniunctum.*

Nam cum ferijs Latinis.) *Principium dialogi, & explicationis rei propoſitæ, ac perdifficilis, & obſcuræ quæſtionis, de ui et natura numinis. quam in tria uolumina digeſſit* Cicero. *Primum continet* Epicuri *futilem rationem, eius'que refutationem per* Cottam Academicum, *&* Pontificem *maximum. Secundum, dogma* Stoicorum *grauiſſimum ac pientiſſimum complectitur. Tertium, oppoſitas* Cottæ *rationes* Academico *ritu omnia in ambiguum & dubium reuocantis euoluit: nec non* Ciceronis *iudicium, quod primas & ſummas diſciplinæ* Stoicorum *tribuit.* Feriæ Latinæ, *inquit* Varro, *dies conceptiuus dictus à* Latinis *populis, quibus ex* Albano *monte carnes petere fuit ius cum* Romanis, *à quibus* Latinis, Latinæ *dictæ. hæc* Varro. Templum

Ioui

oui Latiali poſuit in Albano monte Tarquinius Superbus,& nundinas inſtituit primus Latinus,in quibus quadrigæ certabant in Capitolio, uictorq; abſinthium bibebat in præmium. Credo, inquit Plinius, ſanitatē præmio dari, honorifice arbitratis maioribus. In exedra.) Exedræ, inquit Vitruuius, ſpacioſæ cōſtituantur in trib. porticib. habentes ſedes in quibus philoſophi rhetoresq;, ac reliqui qui ſtudijs delectantur, ſedētes diſputare poßint. Primus.) ſummam eruditionem & progreſſum in Epicureo dogmate. Progreſſus hab.) profectus ad cognitionem eorum quæ ad Stoicos pertinebant. M. Piſo erat Peripateticus. Vacaret.) uacuus eſſet, atque inanis. Re concinere.) conſonare, conuenire, & concordes in dogmate eſſe, atq; ſententijs. Verbis diſcrepare.) appellationibus ipſarum rerū, quibus nouaſſe nomina uidebantur Stoici. Genere toto.) natura, qualitate, proprietatibus. A' commodis.) utilibus: quoniam nihil dicebant utile quod honeſtum non eſſet. Et quaſi gradibus.) diſcriminibus: quoniam ſupremum gradum dabant uirtuti, ſecundum bonis corporis, tertium bonis externis. Stoici autem nihil appellabant bonum præter ipſum honeſtum, id eſt ipſam uirtutem: cætera uero æſtimabilia nominabant.

Non genere.) qualitate, ac natura. Nihil ſcire didiciſtis.) nihil affirmare, ac dubitare de omnibus, Academico more. Et quidē æquum.) iuſtum, & citra affectus iudicantem, & utentem Academica libertate, quæ in nullius magiſtri uerba iurauit, ſed probabilia tantum & ueriſimilia ſequitur. Certa quædam.) definita & terminata, ut erat dogma Stoicum, quod prodere magnū ducebatur nefas. Fidenter ſane.) animoſe, atque ſecuro animo. ut mos erat Epicureorum, qui ſuas hallucinationes cito enunciabant, nullo ſale, nullo lepore conditi, ſed ignorantia tantum audaces: quod uitium latius patuit, & nunc uiget imprimis. Itaque Velleius timebat ne uideretur in aliquo dubitaſſe, ſed tanquam omnia pugno comprehendiſſet, animo ſtabat, & promptus erat, & de dijs ita diſſerere exorſus eſt, ac ſi è deorum cœtu deſcendiſſet, oculisq; cœleſtia exploraſſet, ac palpaſſet manu. Epicuri inter mundijs.) ſpacijs & locis intermedijs. Intermundium appellabat Epicurus, ſpacium inter mundos, quos ex uanitate Democriti putabat infinitos. Cœlum, inquit Ariſtoteles, unum eſt, ac mundus unus, & non plures, ut aliqui dicunt. Futilesq; ſent.) uiles ac leues. Et ſic petulanter & impudenter Platonem deridet, qui in Timæo dialogo Deum fabricantem poſuit mundum, & mundana quæq; diſponentem, & mundum

dum eſſe animal, dicentem: Non dicam, inquit, mundũ eſſe deum, ut dixit Plato. hae enim ſunt monſtra quaedam & ſomnia philoſophorum. Anum fatidicam.) praeſagam, uaticinam, & fata populorum diſponentem & enunciantem: unde fatales dicti Sibyllini libri, fata Romanorũ continentes. Pronoea dicitur à pronoeo graecè, prouideo latinè. Ardentem.) igneum, et ſplendidum. Timaeus eſt Platonis dialogus de origine mũdi, ac eius autore deo optimo maximoq́; appellationẽ habuit à Timaeo Locrenſi, qui cum Socrate diſputat. de quo ſic ſcribit Plato: Timaeus iſte è Locris, quae urbs in Italia iuſtiſsimè gubernatur, nobilitate opibusq́; praeſtãtiſsimus, ſummis honoribus functus eſt, et ad ſumma totius philoſophiae faſtigia, ut opinor, aſcendit. Molitio.) aedificatio. Vectes.) ferrei pali, et caetera id genus inſtrumenta, quae machinae appellantur. Muneris.) officij talis, ac molitionis. Quinque formae.) figurae rerum atq; naturae, quatuor uidelicet initia rerum, Terra, aqua, aër, ignis: & quinta quaedam forma, è qua eſſet coelũ & mens, ut placuit Ariſtoteli. Idem Cicero in primo Academico ſic ſcribit, primae qualitates ſimplices ſunt, ex his ortae uariae ſunt & quaſi multiformes. itaque aër, ignis, aqua & terra, primae ſunt: ex his autem ortae animantium formae, earumq́; rerum quae gignuntur è terra. quintũ genus, è quo aſtra, mẽtesq́; ſingulares. Palmaris.) uictrix et triumphalis. ironicè loquitur Epicureus. Vt dicitur.) ut eſt in prouerbio, in illos qui illotis labijs et pedibus, id eſt ne prima quidẽ rudimẽta habentes, de rebus maximis audent decernere. Coagmentatio.) compoſitio, & conglutinatio. Extremum.) ultimum. Deſignationẽ.) deſcriptionem, modulum, et formã. Sin alia.) alterius naturae, atq; diſsimilis ab illa pronoea, quã uos Stoici ponitis. Extiterunt.) apparuerũt. Seculum eſt ſpacium centum annorum: Ariſtoteles primo de Coelo dicit, uita eſt illic ſemper permanens, perpetua, ſecundum perpetuitatem ſeculi ſeculorum, quod non habet finem, & eſt uita nobiliſsima. & bene dixerunt antiqui, quod finis & terminus continens tempus uitae cuiuslibet rei uiuae eſt, ſeculum illius rei. Secundum igitur hunc modum dicimus, quod finis coeli continẽs totum tempus perpetuum, eſt ſeculum coeli. & hoc nomen deriuatur à ſuo actu, quoniam eſt perpetuum. Dicitur enim à graecis aeon, id eſt ſemper exiſtens. Nõ enim.) Oſtẽdere nititur, licet deliret, fuiſſe tempus, antequam eſſet mundus. nam tempus eſt numerus motus, & à tenore temperato coeli ac mundi dicitur. Motus aũt ſine corpore naturali eſſe non poteſt. Sed fuit.) Aperit mentem ſuam de ſeculis atq; temporibus: aeternitas eſt quantitas, quae caret extremis. Temporum circumſcriptio.) deſignatio, menſuratio et determinatio menſurabat. Spacium.) quantitas eius & longitudo non poteſt cogitari. uidetur enim abſurdum, ut fuerit aliquod tempus, id eſt menſura motus eo tempore quo nullum erat tempus. id

eſt, cœli mūdiq; motus. Ceſſauerit.) ocioſa, feriataq; fuerit. Nec erat ullus.) labor uidelicet, cum omnia diuinæ maieſtati præſto eſſent, nec labori eſſet lo/cus. Omnes naturæ.) membra ipſius mundi, ut cœlum, id eſt aër, cæteraq; elementa. Signis.) aſtris & imaginibus, quæ cœlum ornant. Luminibus.) ſtellis, earumq; fulgoribus. Tanquā ædilis.) Quæ cauſa inquā impulit deum ornare mundū, tanquam ædilis, popularis, qui templa ornabat & ſpectacula, ut populi fauorem, & auram uenaretur. de utraq; ædilitate dictum iam eſt à me in commentarijs Officiorum. Gurguſtium (ut inquit Pompeius) eſt genus habitationis anguſtum, à gurgulione dictum. Varietate.) uaria exornatione colorum, ac rerum. Varietas, inquit idē in ſecundo de Finibus, propriè in diſparibus coloribus dicitur, ſed transfertur in multa diſparia. Varium poëma, uaria oratio, uarij mores, uaria fortuna. Ferè.) quaſi omnes, & fermè omnes dicitis. idem in Catone: Memini in illū ſermonē incidere, qui fermè erat in ore, id eſt, quaſi ab omnib. dicebatur. Molitio.) tam magna ædificatio, cum pauci ſint ſapientes. Stultorum.) inſipientium, quos Stoici dicunt miſeros ob id ip/ſum, quia ſtulti ſunt, etiā ſi uarijs & maximis fortunis abundarent. Bene meretur.) confert beneficia in eos qui indigni ſunt. Maximè quod.) ob hoc ip/ſum, quia ſunt tales: ſunt, inquit, natura miſerrimi, quia uacant animi bonis, ergo nulla bona extrinſeca poſſunt eos felices reddere, igitur diuina in hos benignitas uana eſt & irrita. Stultitia.) inſipientia, hebetudine, mentiſq; imperfe/ctione. Incōmoda.) damna, detrimenta, quæ à ſapientibus compenſantur cū emolumentis. Leniant.) mitigent, & æquo animo ferāt. Compenſatione.) permutatione, ac receptione ad æquale pōdus incōmodorū. cōmoda ſapientū ſunt bona animi, id eſt uirtutes, quæ animorū abſolutiones & perfectiones ritè dicuntur. talibus ergo cōmodis incōmoda rependunt. & ideo cōmoditas cœli non eſt ipſis neceſſaria, quoniā in ſe habent ueram et optimā compenſationē, charitas annonæ copia uini rependitur, dolor corporis animi lætitia. & ſic de ſimilibus Hor. dicit in Sermonib. Amicus dulcis, ut æquū eſt, Cū mea cōpenſet uitijs bona. Ferre.) tolerare ipſa incōmoda, cum nullā habeant bonorū mentis compenſationē, nullam conſtantiā, aſpera quæq; tolerantē, atq; frangentē.

Qui uero.) Deridet eos qui mundo animā dederunt: quæ, inquit, nō poteſt in alia figura quàm humana eſſe. hoc non intellexerunt huius opinionis autores. De quo.) qua re, id eſt forma animæ recipiēdæ apta. his uerbis, De forma partim nos natura admonet, partim nos ratio docet. Hactenus.) hucuſq;, & tantū, ſiue ſolū. Tarditatem.) hebetudinē. Cylindrus habet rotunditatē in longitudine, ut eſt colūna. quadratū eſt figura quatuor habens latera, et æquales angulos quatuor. Conus rotunditatē habet faſtigiatā ſine lateribus, quales ſunt fructus arboris, pinus, & faſtigia galearū. Pyramis eſt moles quadrangu

laris, in

laris,in acutum adſurgens ad formam ignis & flammæ,unde habuit nomen. Torqueatur.)rotetur & uoluatur. Conſtans.) tranquilla, ſedata, ſecura, immobilis. Inſiſtere.)quieſcere. Quodq;.)Diuexatio, inquit,humano cor/pori moleſtiſsima eſt,quoniã quod diuexatur,non eſt ſui iuris,& uexatio ma/gnam præ ſe fert calamitatẽ.ſic etiã cogitandũ eſt de Deo, inquit,ſi celerrimo motu torquetur. Incultas.)deſertas,aut nimio calore aut rigore,ut plaga ſep tentrionalis & auſtralis. Appulſu.)acceſſu,admotione. Qualia.)cuius na turæ ac proprietatis. Ab ultimo ſuperiorũ.)à primo phyſico, id eſt uenatore ipſius naturæ atq; interprete.Thales ergo aſcendẽdo erat ultimus,deſcendẽdo primus. ſic ultimũ autorẽ ſanguinis dicimus.principẽ originis. Repetã.) re/narrabo,incipiẽs à Thaletæ Mileſio, q aquã dixit eſſe qua nata ſunt oĩa,et ſic materiẽ rerũ omniũ poſuit in humore.principiũ et cauſã naſcẽdi poſuit in deo. Si dij poßũt eſſe.)quaſi dicat,eſſe nõ poßũt ſine corpore ſenſib.prædito, & ratione ſiue mẽte, quæ aliter intellectus & intelligentia dicitur. Cur aqua.) Alia deriſio,ſi ex ſentẽtia Thaletis deus eſt mens incorporea quædã, cur eam aquæ tanq̃ corpori adiũxit? Cõſtare.)p ſe eſſe ſine corpore. Natiuos.)tem/porarios,id eſt ortũ habere et occaſũ, licet diu uiuãt.Anaximãder & Anaxi/menes Mileſij fuerũt. Interuallis)ſpacijs tẽporis. Eosq;.)deos nil aliud eſſe dixit,q̃ mũdos infinitos. Sed nos.)Epicurei uidelicet,nõ dicimus eſſe deũ na/tiuũ et tẽporariũ,ſed æternũ. Quĩ.) quõ,qua rõe. Aera.)ſpirabilẽ naturã, quæ latinè aĩa dicitur,græcè uero aër,quia ſemp fluit et ſpirat. Statuit.)iudi/cauit,cenſuit. Infinitũ.)interminatũ.infinitas dicitur quantitas, quæ caret ex tremis.Numerus infinitus,inquit Philoſophus primo de Cœlo,eſt ille qui caret termino in multitudine.corpus habẽs finẽ eſt finitũ,etiã ſi diſtãtia linearũ tanta ſit,ut alia maior nõ reperiatur. Quaſi aut aër.)Deridet hãc opinionẽ,dicẽs, aër ſine forma et figura nõ poteſt eſſe deus: cui attribuẽda eſt ſpecies pulcher rima,forma uidelicet præſtãtißima, quã Epicurei humanã eſſe dicebãt, ut poſt paulò patebit. Conſequatur.)attingat,quoniã oĩa orta occidũt. Anaxagoras fuit Clazomenius,& deum eſſe dixit infinitam mentem,quæ per ſeipſam mo/ueatur. Diſciplinã.)phyſicam ſcientiã. Anaxagoras,inquit Velleius,primus cenſuit mentẽ diuinã, congeriẽ illã quatuor elementorũ ſegregaſſe in proprias formas ſiue naturas,et cuiq; ſuũ modũ et perfectionẽ conſtituiſſe,globus ille re rũ,quo partes rerũ omniũ continebantur,Chaos aliquãdo dicitur,et homiome ria,propter ſimilitudinẽ partiũ. Vnde Luc. Nũc et Anaxagoræ ſcrutemur ho/miomeriã, Quã Græci memorãt,ſed noſtra dicere lingua Non ſinit nobis pa trij ſermonis egeſtas.Anaxagorã ſequitur Ouid.in Meta.Ante mare et terras, et qđ tegit oĩa cœlũ, Vnus erat toto naturæ uultus in orbe,Quẽ dixere Chaos, etc.Deinde,Hãc deus & melior litem natura diremit.Nã cœlo terras et terris

abſcidit undas. Meliorem naturam appellauit propriã & ueram cuiuſque rei formã. Duplex eſt etenim natura, ut in Phyſicis dicit philoſophus: materia uidelicet et forma, quæ eſt natura quædã præſtantior, unũquodq́; ait ille, tũ magis dicitur, cum eſt actu, quàm cum potentia: & ſi eſt forma, eſt etiã natura.

Deſcriptionem.) deſignationem, effigiationem, & conformationem. Modum.) menſurã, quantitatem, qualitatemq́; ac perfectionẽ. à modo modulus, per diminutionẽ. Eſt modus in rebus, inquit Horatius, ſunt certi deniq; fines, Quos ultra citraq́; nequit conſiſtere uerum: id eſt, decens & conueniens. Vi.) potentia diuinæ mentis, quã infinitã dixit Anaxagoras. Ratione.) conſilio, arte, atq; intelligentia. Deſignari.) deſcribi, definiri, et ordinari. Et cõfici.) abſolui, dando uidelicet cuiq; ſuũ modũ & perfectionem. Ordo eſt: Anaxagoras uoluit omnium rerum deſcriptionem et modum deſignari, et confici ui ac ratione infinitæ mentis. In quo nõ uidit.) Deridet Epicureus hãc opinionem, dicens, nõ perſpexit Anaxagoras rei infinitæ naturã, quoniam ſenſibilis motus, & continuus non poteſt eſſe in re infinita, neq; aliquis ſenſus, quo res ſenſu aliquo percipiatur, uiſu uidelicet, auditu, tactu, olfactu, et guſtu. Senſui coniunctũ.) motũ ſenſibilem, quoniam motus ſine corpore naturali eſſe non poteſt. Continentem.) iugem, continuatũ: unde dicimus continens imperium, continens malũ, continentem matrem, continentẽ orationem, & ſimilia. Omnino.) penitus. Senſum.) iudicium ſenſuum, qui de ſuis obiectis adæquatis iudicant. Quo.) ſenſu, & per quem ueluti animæ inſtrumentum. Natura.) ipſa mens infinita, quæ eſt natura quædam. Nomine naturæ res omnes naturales intelligũtur. Natura, inquit Lactãtius, dicitur à naſcendo, nec alio nomine appellari poteſt ea uis, in qua ineſt & prouidentia excogitandi, & ſollertia poteſtasq́; faciendi. Melius igitur Seneca omniũ Stoicorũ acutiſſimus, nil aliud dixit eſſe naturam, quàm deum. Pulſat.) tacta et mota ab aliqua obiecto. unde dicimus, imago illa me pellit, id eſt tangit et mouet. alibi dicit Cicero, Vt animi pellantur uehementius. inde pulſus dicitur, uenæ ſubſultio, et motus ſanguinis. Natura.) proprietas & diſpoſitio naturalis ipſius infinitæ mentis, quæ ex Epicuri ſentẽtia nihil poteſt ſentire ſine corpore ac ſenſibus: quæ opinio abſurdiſſima eſt. Sed Epicurei neſciunt auocare mentẽ et rationem à ſenſibus, quos ipſi habent et ſolos et certos iudices. Deinde ſi mentẽ.) Affert aliã rationem, qua oſtendit abſurdam eſſe Anaxagoræ opinionem, dicentis infinitam illam mentẽ eſſe, quaſi quoddam animal. Si animal eſt, inquit, neceſſe eſt ut intra ſe habeat aliquid, propter quod dicatur animal: quæ appellatio nõ competit niſi habentibus ſenſibilẽ animã. Animal inquit philoſophus, eſt ob ſenſum, cũ ſit ſubſtantia animata ſenſibilis: mens autem nihil intra ſe habet, propter quod dicatur animal. ergo talis mens non eſt animal, & intelligi à nobis non poteſt, ſi

non habet

non habet corpus:nõ habet corpus,ut dicit Anaxagoras,*nulla eſt igitur.* Ali quid.)*id eſt animã, propter quam dicatur animal:ſed intra mentem nihil con tinetur.* Cingitur.)*ambitur & clauditur. quaſi dicat, nil poteſt mente cingi, cum ipſa mens non ſit corpus,quo intrinſeca cinguntur: ergo ſi nihil mente cingitur,corpore extrinſeco ipſa mens cingetur,habebitq́; corpus.hoc autem uos negatis,dicitisq́; illam eſſe incorpoream & liberam.igitur ſi talis eſt,in telligi à nobis non poteſt, & per conſequens nihil eſt.* Interius.) *intrinſe cum, & intus contentum.* Aperta.) *nuda.* Simplex.) *incompoſita, incor porea.* Nulla re.)*ſine admixtione alicuius rei ſenſibilis et corporeæ.* Qua.) *per quam,tanquam per organum & inſtrumentum, ut eſt corpus cum orga nis & ſenſibus.* Vim.) *potentiã & naturã non cognoſcimus,inquit, niſi ſen ſibile.* Notionẽ.)*intelligentiã,quæ ſenſibus innititur.* Cõuenit *hæc ſententia uo luptarijs &* Epicureis, *quorum cognitio pendebat omnis à ſenſibus,mentem nõ habebant,qua mẽtis natura et uis diſpicitur.* Alcineo Crotoniates.)*è* Cro tone,*clara quondam urbe* Calabriæ *ad mare. hic fuit Pythagoreus.* Non ſen ſit.)Deridet Alcineonis *ſententiã.* Pythagoras *fuit Samius,&* Italicæ *philo ſophiæ dedit auſpicium,dixitq́;* Deum *eſſe animum, per uniuerſas mundi par tes omnemq́; naturã commeantẽ atq́; diffuſum, ex quo quæ naſcuntur anima lia uitam capiant.* Naturam.) *proprietatem & qualitatem omnium rerum naturaliũ,id eſt elementorum.* Intentũ.)*diffuſum.* Commeantem.) *euntem, & penetrantẽ.* Noſtri.)*humani.* Virg. *dixit,* Deũ *ire per omnis* Terraſq́; *tra ctusq́; maris cœlumq́; profundũ.* Non uidit.) Deridet opinionẽ Pythagoræ.

Diſtractione.)*ſeparatione & auulſione.* Miſeri.) *infelices et uitioſi.* Infi xus.)*innexus,inhærens.* Infuſus.) *immixtus, cum nullum habeat cor pus, ſine quo nil poſſe conſiſtere atque commiſceri, hebetes* Epicurei *opi nabantur.* Xenophanes *fuit Colophonius, aſſeruitq́; dei ſubſtantiam rotun dam eſſe, & globoſam, nihilq́; cum hominibus habere commune, totum cernere,totumq́; audire, ſimulq́; eſſe omnia,mentem, prudentiam, æterni tatem.* In Lucullo *ſcribit idem* Cicero:Xenophanes, *unum omnia, neque id eſſe mutabile,& id eſſe deum,neque natum uſquam & ſempiternũ,conglo bata figura.* Adiũcta.)*addita ipſi deo, quem dixit eſſe quoddam infinitum.*

De ipſa mente.)Deridet *hãc ſententiã.* Reprehendetur.)*ut alij reprehenſi ſunt,qui putarunt mentẽ eſſe poſſe ſine corpore.maximè autem taxabitur de infinitate, quæ nullum poteſt habere ſenſum aut motum, cum nullum habeat corpus,ut de* Anaxagora *blatterauit.* Coniunctũ.) *coagmentatũ atq́; corpo reũ.*Parmenides *fuit Italus,ex* Elea *urbe* Lucaniæ. *hic duo elementa eſſe puta uit,ignem et terrã, illum opificis,hanc materiæ locũ tenere ac ordinẽ., in* Lu cullo *dicit* Parmenides. *opinatus eſt deum eſſe ignem, qui moueat terrã, quæ*

ab eo formetur. Commentitiũ.) fictum ad libidinẽ. Stephane græcè dicitur, latinè montis uertex. Stephanos uerò, corona. Continentem ardorem.) comprehendentem & habentem in ſe ardentem & igneã lucem. Orbem.) circulum quendam igneum & ſplendidum, quem uocabat Deum mundi Parmenides. Ordo eſt: Efficit commentitiũ quiddam, orbem ſcilicet, continentem ardorẽ lucis, quod commentitum Stephanen appellauit à coronæ ſimilitudine.

In quo.) Deridet talem opinionem. in qua re, inquit, nulla poteſt eſſe diuina figura, ut eſt humana, neq; ſenſus, cũ nullum habeant corpus. Eiuſdem.) Parmenidis multa ſunt præter ordinem naturæ dicta, & Deo inepte attributa. Reuocat.) refert, & reducit ad naturam diuinam. Generis eiuſdem.) ſimilia, & talia, quæ mortalia & caduca ſunt. De ſideribus.) quoniam dabat eis diuinitatem. In alio.) in Alcmeone, quem taxauit, quoniam rebus mortalibus immortalitatẽ dediſſet. Empedocles fuit Agrigẽtinus, de quo Lucretius, Quorum Agragantinus cũ primis Empedocles eſt, Inſula quem triquetris terrarũ geſſit in oris. Carmina quinetiã diuini pectoris eius, Vociferantur et exponũt præclara reperta. Labitur.) cadit in errorem ignominioſiſſimũ. Quatuor.) quatuor elementa rerum omnium, & principia. Senſu.) corpore ſenſibus prædito. Liqueat.) clarum ſit, & certum. Suſpicari.) opinionem uel minimã habere. quaſi dicat non, cum dixerit ſibi non liquere. Democritus fuit Abderites. Imagines.) figuras atomorũ minimas. Circuitus.) agitationes. Illam naturã.) uim, ſiue mentem, ſiue rationẽ, quæ imagines emittit ac mouet. Horũ ſententia, inquit Lactantius, quamuis incerta ſit, eòdẽ tamen ſpectat, ut prouidentiam unam conſentiant. ſiue enim natura, ſiue æther, ſiue ratio, ſiue mens, ſiue fatalis neceſſitas, ſiue diuina lex, ſiue quicquid aliud dixeris, idem eſt, quod à nobis dicitur Deus: nec obſtat appellationum diuerſitas, cum ipſa ſignificatione ad unum omnia reuoluantur. Fundit.) ſpargit per omne membrum naturæ: præterea ſcientiam humanam dicit eſſe diuinam, animamq; diuinam. Apolloniates.) ex Apollonia urbe Illyrica, quæ nũc uulgo Aulona dicitur. Senſum.) cognitionem, cum non habeat corpus & organa ſenſitiuæ potentiæ. Formam.) figuram, cum ſit natura quædam ſpirabilis, inconſtans, & ſemper fluens. Inconſtantia.) leuitate, uarietate, mutabilitate, cum pugnantia & dicat & ſentiat. Nominari.) Verba Platonis hæc ſunt, opificẽ quidẽ & patrem mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris prædicare ac eloqui uulgo impoſſibile eſt. Anquiri.) diligenter & curioſe inueſtigari. Anquirere eſt undique quærere. Idem in Oratorijs libris dicit, Anquirentibus nobis.

Senſu.) iudicio ſenſuum, cum non habeat corpus, quod σῶμα Græci appellant, inde à ἀσώματα incorporea. Prudentia.) perfecta ratione atq; ſcientia, quam extra corpus nullam eſſe opinabantur Epicurei. Voluptate.)

delectatione

delectatione corporis & animi. talis enim uoluptas, dicebant, ſine corpore non percipitur. notitia noſtra tribuit deo ſenſum, intelligentiam, & uoluptatem: igitur ut corpus habeat neceſſe eſt. ita tales homines hallucinabantur.

Et aſtra.) Platonis uerba hæc ſunt: *Itaque omnibus his de cauſis opifex deus mundum beatum deum effecit: aſtra etiam erroris expertia, quæ diuina animalia ſunt: terram autem altricem noſtram eſſe uoluit, necnon primam antiquiſſimamq́; deorum omnium qui intra cœlum geniti ſunt: cæterorum uero qui dæmones appellantur, & cognoſcere & enunciare ortum maius eſt opus, quàm ferre noſtrum ualeat ingenium. Priſcis itaque uiris hac in re credendum eſt, qui dijs geniti, ut ipſi dicebant, parentes ſuos optimè nouerunt.* Et animos.) *dixit eſſe diuinos.* Et eos.) *ut Oceanum, Tethyn, Saturnum, Rheam, Iouem, Iunonem, & reliquos.* Inſtitutis.) *ordinationibus ciuilibus, & legibus.* Repugnantia.) *contraria. nam cum dixiſſet, quid ſit deus anquiri non oportere, poſtea rebus etiam inſenſatis, brutis, & mortalibus certam diuinitatem attribuit.* In his.) *inter ea quæ in commentarijs repetijt à Socrate dicta & diſputata, quatuor uolumina ſunt, quæ uel Commentaria inſcribuntur, uel De dictis & factis à Socrate memoratu dignis.* Facit.) *inducit.* Iiſdem in erratis.) *lapſibus & falſis opinionibus, quales Platonicæ ſunt. Antiſthenes fuit Athenienſis.* Populares.) *priuatos, & populorum inſtitutis conſecratos. Plato agens de legibus, dicit: Deos non natura, ſed arte conſtare uolunt, eosq́; alijs alios eſſe, prout ſinguli ſecum conſentientes lege ſanxerunt. Priuatim uero ſinguli populi, inquit Lactantius, gentis aut ſuæ urbis conditores, ſeu uiri fortitudine inſignes erant, ſeu fœminæ caſtitate mirabiles, ſumma ueneratione coluerunt: ſic per populos atque regiones uaria ſacra ſuſcepta ſunt, dum grati homines eſſe in ſuos principes cupiunt.* Vim.) *potentiam, & numen, cum dicat eſſe deos populares.* Naturam.) *proprietatem & qualitatem.* Eamq́;.) *uim diuinam dicit eſſe animam, quam ſine corpore conſtare non poſſe dicebant Epicurei.* Euellere.) *extirpare. quoniã talis uis animalis, incorporea intelligi à nobis non poteſt.*

In tertio de Philoſophia libro.) *in opere quod de Cœlo mundoq́; inſcribitur, quod eſt in ordine tertium: quoniam liber primæ Philoſophiæ, quæ Metaphyſica dicitur, omnibus ſcientijs præponitur. in eo enim de his agitur, quæ ſunt communia ei quod eſt. In libro Phyſicorum agitur de natura mobili. Natura eſt principium motus & quietis, in eo in quo eſt. In libro de Cœlo, agitur de una ſpecie motus, qui dicitur circularis. deinceps alij ſunt, in quibus aliæ formæ motuum explicantur. Adde etiam, quod Philoſophiæ ratio tripartita eſt. Vna de uita & moribus: Secunda de natura, & rebus occultis: Tertia de ratione diſſerendi, quæ ob id Dialectice dicitur,*

id eſt diſpu-

id eſt, diſputatrix & rationalis. Ariſtoteles, inquit Lactantius, quamuis ipſe ſecum diſsideat, ac repugnantia ſibi & dicat & ſentiat, ad ſummum tamen unam mentem præeſſe mundo teſtatur. Hæc ille. Ariſtotelis uerba hæc ſunt, Cœlum eſt perfectum & completum per ſecula, ſupra ipſum nõ eſt alia cauſa nota ut moueat ipſum. Si igitur inueniatur alia cauſa, tunc erit etiam perfecta, exiſtens æterna, & poſt ipſam non erit alia nobilior. Menti.) rationi. Partes.) prouinciam & curam. Replicatione.) reuolutione, quoniã cuncta mouet. Ardorem.) igneum ſplendorem. Deſignarit.) deſcripſerit, & finierit eſſe deum. Senſus.) mens, ratio, intelligẽtia. Tanta.) tam magna. hoc ideo dicit, quoniam Epicurei ocioſam, quietam & feriatam naturam diuinam opinabantur. Vbi.) in quo loco. Si cœlum etiam deus dicitur, quod nos deorum domicilium aſſerimus, ſequitur, inquit, abſurdum hoc, ut deus ſit in deo, et dij deorum domicilia & ſedes habeantur. Senſu.) cognitione ſenſitiua, quæ eſt per corpus. Prudentia.) perfecta ratione, & intelligentia, quæ perficit animã corpore incluſam: & mundus, inquit, ſine corpore moueri non poteſt. Hæc opinio tardis Epicureis conuenit, qui ad corpus omnia referebant, & deum ſine corpore ſuſpicari non poterãt. Xenocrates fuit Chalcedonius, et ipſe Platonis diſcipulus. Species.) figura, forma'ue. Vagis.) errantibus et planetis. In ſtellis.) in numero ſtellarũ. Quaſi è diſperſis.) Deridet hanc opinionẽ Velleius. abſurdũ eſt, inquit, è diſperſis et diſparatis ſtellis quaſi membris componi & formari deum: quem ſimplicem & purum eſſe uultis, nõ eſt ſimplex, qui è diſperſis membris effingitur. Diſperſis.) diſsipatis per totum cœlum. Referſit.) repleuit. Et tum.) modo & interdum dicit mundum eſſe deum, interdum uero mentem, id eſt rationem & intellectum eſſe diuinum, id eſt, deum eſſe mentem quandam ſine corpore. Senſu.) cogitatione ſenſitiua, quæ fit per organa corporis. Mutabilem.) uariabilem. In deos.) numerum deorum. Inconſtantia.) leuitas. Menti.) rationi & animo. Signis.) imaginib. in cœlo notatis atq; zodiaco, quẽ latinè ſignifer ũ dicimus. Strato fuit Lampſacenus, & Phyſicus idcirco dictus eſt, quoniam in ea ſpeculatione præ cæteris uerſatus eſt. In natura.) efficacia & potentia, procreatrice atq; effectrice rerum omniũ. Vis quippe diuina elucet maximè in natura, id eſt productione eſſentiarum omnium, & qualitatum ex nihilo, aut ex ſuppoſita materia. Natura certe duas habet cauſas, efficientem uidelicet, & id quod efficitur. in prima eſt uis efficiendi, in altera recipiendi aptitudo, & formarum ſubiectum. Cauſas.) efficientiam et uim, ſiue potentiam. Strato igitur opinabatur deum eſſe naturam rerum, & uim qua omnia naſcuntur, augentur, & minuuntur. Senſu.) cognitione, atq; forma. Zeno fuit Cyprius, ex urbe Citio, unde Citieus, princeps Stoicorum. Naturalem legem.) id eſt, rationem inſitam naturæ,

turæ, iubentẽ, ea quæ fieri decet, prohibentemq́; inhoneſta & indecora, cui naturali legi conſentanea eſſe oportet ciuilia inſtituta. illud enim ius primum appellatur, hoc uero ſecundarium. Zenonis igitur opinio erat, legem naturalem eſſe Deum. Vim.) efficaciam & imperium. qui ergo manent in lege naturæ, deo optimo maximoq́; legislatori obſequũtur & parent. Quam legem.) Deridet hanc opinionem, ut abſurdam, Velleius, dicitq́; hanc legẽ Zeno nunquam efficiet animatam, quoniam ſine corpore anima eſſe non poteſt. nos autem dicimus Deum habere animam, & prudentiam. Aëthera.) ignem, uim efficiendi habentem. Si intelligi poteſt.) Illa res, inquit, naturam diuinam habere non poteſt, quæ animam non habet, nihil ſentit, nihil intelligit. Qui.) Talis Deus nunquã concipitur animo à nobis, aut in mentẽ uenit, cũ ad Deũ preces effundimus, cum aliquid ab eo deſideramus, optamusq́;, necnon cum aliquid uouemus atq; promittimus. imaginamur, inquit, in his omnibus Deũ ſentientem atq; prudentem, quapropter animantẽ eſſe oportet. Occurrere in hoc loco, eſt in mentem uenire. & per oppoſitum, non occurrit, & non ſuccurrit, dicimus. Rationem.) quandam ordinem, normam, & ſcientiam omnia moderantem & continentem, habere uim diuinam. Pertinentem.) diffuſam, extenſam per qualitatem rerum omnium. Affectam.) diſpoſitam, & talibus præditam qualitatibus & dotibus, ut diuina ſit, uimq́; habeat diuinã, ſitq́; Deus. Hoc idem.) diuinam quandam uim, quam ſuis oſtendunt mutationibus. Tollit omnino.) quoniam phyſicè interpretans oſtendit, fictis nominibus ipſarum rerum proprietates oſtendi, atq; originationes, ab Heſiodo, qui uelamentis poëticis naturam inuoluit: quam phyſicus, id eſt, naturæ apertus interpres atq; uenator, ueris appellationibus explicat. Perceptas.) animo comprehenſas. Significationem.) proprietatem naturæ, & qualitatem, quam fictum nomen ſignificat. omnis enim uis fabularum fictis nominibus cõtinetur, & citra nominum interpretationem ueritas fabulæ intelligi non poteſt. Idem eſt poëtæ, dicere ex Rhea et Chrono naſci Iouem: quod phyſico, è materia fluxa cum tempore naſci hoc & illud, quod proprias & diſtinctas habet qualitates. Ariſto fuit Ceius, ſiue Cius, à Cea inſula prope Euboeã. Senſum.) cognitionem aliquam. Ne ſit animans.) an habeat animam. Cleanthes.) Fuit ex Aſſo urbe Troadis, & Zenonis ſucceſſor, in ſchola et diſciplina Stoica. Cũ eo.) Ariſtone. Menti atq; animo.) rationi atq; prouidentiæ, quæ omnem naturam regit, fouet, modificat. & hæc mens totius naturæ, dicebatur à Cleanthe anima mundi, & Deus. Ardorem.) ignem omnium elementorum ſupremum. Delirans.) à uera exorbitans uia, & inſaniens. Contra uoluntatem.) liberum arbitrium, quod fatali neceßitati ſubiiciebat. Tum.) modo, interdum, aliquando. Ratione.) mente atq; intelligentia. Mente.)

cogitatione, cõceptu animi, et imaginatione. In *animi notione.) intelligẽtia.* In *ueſtigio.) in aliquo ſigno et nota: ut ſunt ueſtigia pedũ, quorũ formæ quantitatem et qualitatẽ rei ſignatæ oſtendunt.* Impreſſa, *inquit, et ſignata eſt in animi noſtri conceptibus diuina forma, quam reddit ambiguã hallucinatio* Cleanthis, *et inconſtantia.* Reponere.) *collocare, atq; figere, ut certã* Dei *notionẽ habeamus.* Perſeus.) *fuit* Citieus, *popularis* Zenonis, *et auditor.* Cultum.) *ornatũ, et utilitatẽ.* Abſurdũ *dicitur, quod rationi nõ conſonat: et per hoc ineptum, et inconueniens.* Sordidas.) *uiles, abiectas.* Deformes.) *turpes, caducas, et nullo honeſtamento decoratas.* In *deos.) in numerũ deorũ.* Cultus.) *conueniens ueneratio et memoria eſſet luctuoſa. etenim cultui mortuorum nil magis conuenit quàm lachrymæ.* Chryſippus.) *fuit* Solenſis. Somniorũ.) *uanarum opinionum, qualia ſunt ſomniantium uiſa.* Vaferrimus.) *acutiſſimus et aſtutiſſimus enarrator.* Coniectura.) *imaginaria opinione.* Informare.) *effingere, formamq; aliquam accommodare.* Cogitatione.) *imaginatione.* Ratione.) *intelligentia ſimplici, & prouidentia, ſiue pronœa: ac per hoc deo, quem talibus appellationibus enunciabãt.* Vniuerſæ.) *cõmunis et mundanæ: et ſic opinabatur deum eſſe animã mundi, quẽ nomine totius naturæ intelligebat. ſingulares quippe naturæ mundi partes ſunt.* Fuſionẽ.) *extenſionem per omnem naturã* Sic Verg. *dixit,* Deum *ire per omnes* Terraſq; *tractusq; maris, cœlũq; profundũ.* Eius.) *ipſius animi uidelicet.* Principatũ.) *præſtantiorẽ partẽ atq; uim, id eſt conſummatiſſimã rationẽ atq; ſapientiam.* Principatus *dicitur id quod in quoq; genere eſt præſtãtiſſimũ.* Mente *et ratione.) in excellentia mentis et rationis. habet quippe animus tenerum quid, et molle, appetitum uidelicet uariũ. habet et rationẽ, quam perficit ſapientia, in qua eſt animi principatus.* Continentẽ.) Comprehẽdentẽ *et conſeruantẽ, communem et uniuerſam rerũ qualitatẽ et proprietatẽ.* Ordo *eſt,* Dicit *animi principatum continentẽ communẽ naturã eſſe deum.* Tum.) *modo, et interdum præterea.* Fatalem *umbrã.) adumbratã quandã imaginem, et fictam, quam uocat fatum.* Idẽ Cicero *agẽs alibi de dogmate ueterũ* Academicorum *dicit,* Partes *aſſerebãt eſſe mundi omnia quæ inſint in eo quæ natura ſentiẽte teneantur: in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadẽ ſempiterna, quam uim animũ dicunt eſſe mundi, eandemq; eſſe mentẽ, ſapientiamq; perfectã, quẽ deum appellant: omniumq; rerũ quæ ſunt ei ſubiectæ quaſi prudentiam quandã procurantem, quam interdum eandẽ neceſſitatẽ appellant, quia nihil aliter poſſit atque ab ea conſtitutũ ſit, quaſi fatalem et immutabilem continuationem ordinis ſempiterni: nonnunquam quidẽ eandem fortunam, quod efficiat multa improuiſa, nec opinata nobis propter obſcuritatem ignorationemq; cauſarum.* Fluerent.) *naturalem fluxum haberent, atque liqueſcerent.* Mana-

rent.) ſcaterent, & laberentur. Vniuerſitatem.) communem uim atq; naturam, ſingulares conſeruantem naturas, & qualitates. Contineantur.) comprehendantur & adſeruentur. Aſſecuti.) adepti humanis ſuffragijs, ob beneficia in eos collata. Diſputat.) diſputando aſſerit. Manaret.) flueret. Simili ratione.) pari modo & uia. Perſequitur.) declarat et interpretatur. Perpetuæ.) nunquam abrogatæ legis naturalis, quæ uiuendi normulas in cordibus bonorum uirorum deſcribit. et idcirco ius naturale appellatur, primum ab Ariſtotele. Vim.) potentiam, efficaciam, naturam. Magiſtra.) moderatrix honeſtarum actionum. Eandem.) uim dicit eſſe fatalem, et neceſſitatem rebus imponentem. Veritatem.) certitudinem, & infallibilem euentum. Orpheus fuit Thrax, et de dijs ſcripſit: et Muſæus etiam Athenienſis. Veterrimi.) antiquiſſimi. Suſpicati.) leuiter opinati. Stoici.) autores Stoici dogmatis. è ſtomacho dicit hoc Velleius. Subſequens.) ſectatus & imitatus in tali genere interpretationis. Hic Diogenes Stoicus è Seleucia fuit, attamẽ propter uicinitatem Babylonius dictus eſt. Partũ.) emiſſionem puellæ. Dicunt fabulæ Vulcanum ſecuri diſſecuiſſe caput Iouis, et inde puellã armatã exiliſſe, quæ Minerua inuentrix artium dicitur. Ratio autẽ fabulæ eſt, quòd Iuppiter, humanum uidelicet diuinumq́; ingeniũ, habent in ſe ui quadam et aptitudine naturali artes omnis. ueruntamẽ ad actũ deducere ſine inſtrumentis, igneo beneficio ac ui elaboratis nullo modo poteſt. idcirco Vulcania ſecuris obſtetricata Ioui dicitur. Ad phyſiologiã.) naturalẽ rationẽ. Deiungit.) ſeparat, et oſtendit nõ eſſe fabulã, ſed naturæ opus. Ferè.) quaſi omnia quæ probi delirantes ſomniarunt, non iudicarẽt ratione ac uia, ut phyſicos decuiſſet. unde dicit Plato, rationes eſſe inſtrumenta proborũ. Abſurdiora.) irrationabiliora. Suauitate.) iucunditate numerorũ, et cantibus. Portenta.) prodigioſas et uanas opiniones eorum qui magicen exercuerunt, id eſt incantationes, euocationes manium, et cætera id genus, quæ ſuperſtitione quondã repleuerũt orbem. Sic etiam Aegyptij, qui monſtra quædã in deos retulerunt, adorauntq́; : nec non portitorem Stygium, atq; uelaturam commenti ſunt. In eo genere.) opinione de numinibus, ſuperis inferisq́;, nec nõ naturis et proprietatibus. Vulgi.) imperitæ multitudinis uana quæq; ſine aliquo delectu colẽtis. Inconſtãtia.) leuitate atq; fluctuatione. Incõſulte.) imprudẽter. Temere.) incõſiderate, ac ſine iudicio. Solus enim.) Laudat Epicurum à modo et uia, qua ſolus ille deos eſſe cognouit: cum cæteri per ea quæ facta ſunt, autorẽ ſe cognouiſſe gloriarentur: quod Epicurus abſurdiſſimum arbitratus eſt, dicens mundos infinitos, nam conſtare ac regi. Quod in omnium.] Hæc erat uia et ratio Epicurea, quoniã ipſa natura impreſſiſſet & imaginaſſet ſine aliqua doctrina cognitionem deorum, quod communi gentiũ et nationum conſenſu affirmabat.

patebit. Si nil aliud quærimus.) Quæ diximus, inquit, de deo, deq; eius excellentia & felicitate, ſatis eſſe uidentur ad firmandã religionem atq; diuinũ cultũ, quoniã quodcunq; excellens uenerationẽ meretur, tamen animus ad acriorem indagationem tendit, diſpicereq; cupit formam, & uitam eminentis naturæ, ac uenerabilis, ut opinio anticipata de deo confirmetur. Piè.) religioſè, caſtè, ſanctéq;. Coleremus.) ueneraremur, et honoraremus. Superſtitione.) uana religione, quæ uana deorũ nomina ueneratur, et creaturis honorem exhibet creatoris. Satis erat dictũ.) ſufficiens eſſe uidebatur ad perſuadendum diuinæ naturæ cultũ. Pietate.) religione, humilitate, iuſtitia, caſtitate ac puritate animi corporisq;. Iuſtam.) honeſtam & debitam: nec timeretur, inquit, deus, cum demonſtratum ſit in deo nec iram eſſe, nec gratiam: quibus ſublatis, deus non eſt timendus. Impendere.) imminere ac futuros eſſe, eũ nec gratia teneantur, nec tangantur ira. Opinionem.) quam habemus de ui & natura deorũ. Vitam.) uiuendi modũ & formam. Actionẽ mentis.) cogitationem & contemplationẽ proprij ſtatus, & ſortis. Agitationem.) ſolertiam, meditationem, & curã. Ac de forma.) Deos, inquit, humanã habere formã, eadẽ natura nos inſtruxit, quæ etiã deos eſſe monſtrauit: necnon ratio id cõcludit. Primo igitur de naturali præſcripto agit, deinceps rationẽ tangit, quam Epicureus putat eſſe uerißimam, cum futilis penitus uanaq; ſit. Speciem.) formam atq; figuram. Occurrit.) apparuit oculis, aut menti: Nõ uiderunt, inquit, homines, nec ſomniarunt aliam formam dei quàm humanam. Reuocentur.) reducantur, ac uera eſſe probentur anticipatione quadã, et natura, prolepſi.

Primas notiones.) prænotiones & ante perceptas cognitiones naturales de diuina forma. Ratio autem Epicurea eſt, præſtantißimæ naturæ præſtantißima forma debetur, ſed humana forma eſt præſtantißima, ergo hæc deo debetur et conuenit. Quæ compoſitio.) Probat aſſumptum, quaſi dicat nulla. Conformatio.) effigiatio, circumſcriptio, deſignatioq;. Lineamentorũ.) filorũ atq; ductuũ, quibus humana figura delineatur atq; deſignatur. ut pictura lineis, ut filis circumſcribitur: unde lineamẽta, ſunt qualitates et modi, proportionesq; figurarum, et commenſurationes, cũ lepore atq; uenuſtate. Gellius ait, per naturæ indicia penſiculare. ſignificat mores, naturasq; hominũ coniectatione quadam de oris & uultus ingenio, deq; totius corporis filo atq; habitu ſciſcitari.

Figura.) ſtatura, & motus corporis. Species.) forma, & facies uiſibilis.

Artificium.) ſolertiam et rationẽ in rebus efficiendis. Fabricam.) artificioſam elaborationem, atq; acumen in menſuris et proportionibus. Ad uſum.) utilitatem. Ad uenuſtatem.) gratiam atq; decorẽ diſpoſita. Animans.) habens animam et mentẽ. Sine uirtute.) abſolutione ipſius rationis, in qua hominis politici ſumma cõſiſtit. nam de actuoſa felicitate agentes philoſophi, dicunt ipſam

ſimilitudo: ſubinde quippe mutatur. Tranſitione.) fluxu, et mutatione ipſius imaginis: quoniã, inquit, infinita ſpecies ſimiliũ imaginũ fit ſemper continenti affluxu atomorũ, quæ formas illas nouãt et mutãt. Hinc aũt dei æternitatẽ colligebãt Epicurei, quoniã cũ iugiter eius corpus mutaretur, interire nõ poterat, ut oſcitãtes hallucinati ſunt. Indiuiduis atomis.) id eſt inſecabilibus, quæ minima corpora uocabant falſo Epicurei, ut ſuo loco dicetur. Exiſtat.) appareat, fiat, cõponatur. Ad deos affluat.) accurrat, adueniat: cũ ſumma delectatione deorũ, quibus ſubinde noua ueſtis inducitur, ut porci grunniunt. In eas imagines.) Mens noſtra, inquit Velleius, intuita talẽ imaginũ continuationẽ, cognoſcit naturã diuinã beatã eſſe atq; æternã. Infixã.) inhærentẽ, & acrius contemplantẽ. Capere intelligentiam.) percipere atq; intelligere quæ ſit illa natura, quã felicem appellamus, & nunq̃ deſinentem. Beatũ dicitur, cui nihil deeſt: æternũ uero, quod nec principium habuit, neq; finem habebit. perpetuũ id dicitur, quod habuit quidem principiũ, ſed fine non claudetur. Summa uero uis infinitatis.) totius naturæ infinitæ, quæ caret extremis, in qua uis infinita uolitat atomorum. In qua.) infinitate. Naturam.) proprietatem, & conditionem rerum, atque ſortem. Reſpondeant.) è regione poſita ſint, & librata. Hæc dicuntur à Græcis antiſtropha, quaſi oppoſita, & ex altera parte lanceq; appenſa. Virgilius, Contra elata mari reſpondet Cnoſia tellus. Iſonomia.) dicitur æqua & par diſtributio. ἴσος græcè æqualis, & par latine. νέμω tribuo, diſpenſo, diſtribuo. Ex hac.) æquali tributione. Quæ conſeruent.) ut ſunt infinita rerum ſemina, quos atomos appellant Epicurei.

Quærere à nobis.) Poſtquam egit de forma deorum, diſſerit breuiter de modo uiuendi. Quæ.) qualis ætas uiuatur. uita, inquit, eſt iucundiſſima & pacatiſſima, nihil curant, nunquam iraſcuntur. Nullius opera.) id eſt, pro nullo laborat, nihil cuiquam gratificatur. Molitur.) mouet, efficitq;. Sua.) propria & innata. Exploratum.) compertum, firmum & certum. Veſtrum.) quem uos Stoici opificem mundi & gubernationem facitis. Regat.) mente atq; conſilio. Gubernet.) actu ipſo & re. Viciſſitudines.) alternationes & mutationes. Ordines.) collocationes. Operoſis.) laborioſis. Securitate.) tranquillitate, curarumq; omnium uacuitate. Munerum.) officiorum & onerum. Natura.) naturali quadam ui, ſeminumq; fortuito affluxu: & non opera et arte diuina, ut uos Stoici dicitis. hoc nos docuit magiſter ueritatis Epicurus. Fabrica.) fabrili arte, artificioq;. Solertia.) acumine, prudentia, ratione, arte. Mente.) ratione atque prouidentia. Exitum.) finem & concluſionem. quia non diſpicitis uim naturæ: & in ratione claudicatis, ideo ad opificem deum confugitis, more Poëtarum, qui omnia fingunt ad libidinem: & cum in aliqua difficultate uerſantur, nomina inuocant, repe-

tuniq;

Comiter.) benigne, leniter, ut eius natura ferebat. In Bruto ſic ſcribit idem Cicero, Cotta erat remiſſus & lenis, & proprijs uerbis comprehendens ſolutè & facilè ſententiã. *Niſi dixiſſes aliquid.) Ad illud reſpondet, quod Velleius perorans dixerat, Habendam ſibi magis fuiſſe rationem audiendi quàm dicendi. Cotta igitur à decreto ſuæ ſectæ non diſcrepans, dicit ſe nihil fuiſſe explicaturum quod Velleius audire potuiſſet, cum ut Academicus nihil affirmaret, ſed potius ea reuocaret in ambiguum, quæ alij affirmaſſent.* Togatis.) *nobilibus Romanis, atq; patricijs.* De re obſcura.) *de ui & proprietate numinis, quod non facilè cognoſcitur.* Dilucidè.) *clarè, apertè.* Veſtri.) Epicurei, philoſophi Græci. *Philo noſter.)* Academicus philoſophus. Coryphæum.) *principem. Coryphæus græcè dicitur, latinè is qui tenet uerticẽ & ſummitatem, quæ κορυφὴ appellatur.* Hic Zeno Sydonius fuit, et Epicuri ſectator. Autore.) *ſuaſore.* Accepiſſem.) *audiuiſſem dicendi modum.* Diſtinctè.) *ordinatè, & confuſè, ut mos eſt Epicureorum. Diſtincta dicitur oratio, quæ ſuam habet diſtributionem. & unumquodq; dicit loco, id eſt opportunitate ſeruata, & decenti collocatione rerum atque uerborum. Prima uirtus diſputantis atq; ſcribentis eſt inuenire, altera diſtribuere atque collocare.* Epicurei autem male inueniebant, & collocabant peſſimè. Idẽ Cicero in ſecundo de Finibus, agens de Epicuro, dicit: Contemnit differendi elegantiam, confuſè loquitur. Grauiter.) *ſententioſè atq; ſeuerè.* In illo.) Zenone Epicureo, *accidit conſuetudine quadam, id eſt, ut conſueui de illo iudicare atque ſentire, ita de te nunc iudico & ſentio. uſu aliquid uenire, idem eſt fermè quod accidere.* Simonides.) *Ceius fuit, et poëta melicus, id eſt lyricus.* Hiero.) *fuit rex Syracuſanorum.* Deliberandi.) *conſultandi.* Suauis.) *iucundus & dulcis, cum eſſet poëta Melicus.* Cætera.) *per reliqua, & in cæteris.* Prudentia.) *cognitione uulgaria & iudicio.* Difficile eſt negare.) *id eſt, periculoſum.* Hæc erant uerba Epicureorum, *dicentium non facile atque impune negari poſſe deos eſſe, propter populum non recipientem tales opiniones.* Reſpondet Cotta, *fuiſſe hoc timendum in concione, in qua iudicium uulgi timetur & impetus: uerum inter doctos id aſſeuerandum eſt, quod rationi conſentaneum ſit.* Concione.) *populari cœtu, & iudiciario conuentu.* Conſeſſu.) *cœtu doctorum hominum, ueritatem diſputando quærentium, citra imperitæ multitudinis temeritatem, eſt facillimum, id eſt tutiſſimum, ſecuriſſimumq́;.* Sanctiſſimè.) *religioſiſſimè ac integerrimè.* Cerimonias.) *ritus ſacros & publica inſtituta circa diuinum cultum.* Opinione.) Ambiguo quodam iudicio, & incerto. Veritatem.) *certitudinem.* Planè.) Omnino. Occurrunt.) *in mentem ueniunt.* Conturbent.) *confundant, cogantq́; dubitare.* Liberaliter.) *ingenuè ac benignè.* Concedo, inquit, deos eſſe: ſed rationes

Epicureorum quibus id probetur, damno imprimis. Non pugno.) non contradico. Generumq́;.) conditionum & qualitatum. Argumentũ.) indiciũ. Leue.) futile, imbecillum. Immanitate.) feritate, ac prauitate morum. Suſpicio.) minima opinio. Atheos.) ſine deo, & impius. Abderites.) ex Abdera oppido Thraciæ. Sophiſtes.) dicitur qui dicendi artem docet, & moralem profitetur eruditionem.) Neq; habeo dicere.) non eſt mihi dicendum, cum non liqueat, ſitq́; ambiguum. In concione.) publico cœtu.. Profitendã.) apertè tenendã & aſſerendam. Dubitatio.) ambiguitas, qua Protagoras laborauit.

Si Tubulus.) idem Cicero in ſecundo de Finibus, ſic ſcribit: An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui cum prætor quæſtionem inter Sicarios exercuiſſet, ita apertè cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scæuola tribunus plebis ferret ad plebẽ, uellent'ne de ea re quæri. quo plebiſcito decreta eſt à Senatu conſuli quæſtio, Cneo Scipioni. profectus in exilium Tubulus ſtatim, nec reſpondere auſus eſt. erat enim res aperta. Lupus & Carbo.) mali fuerunt ciues, & impij. Satyricus poëta dicit, Secuit Lucilius urbem Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis. Neptuni filius.) immanis & ferus. Præſtantiſsimos uirtute, inquit Gellius, prudentia & uiribus, Iouis filios poëtæ appellauerunt, ut Aeacum, Minoa, & Sarpedonem: ferociſsimos & immanes, & ab omni humanitate alienos, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt. Adde etiam quod olim repentè aduenientes, è cœlo cecidiſſe dicebantur: & Terræ filij, qui ignotis parentibus nati fuiſſent. Explorata.) certa. Ad ueſtra.) peculiares Epicureorum rationes, quibus probant eſſe deos. Vnde.) ex qua ſubſtantia & re conſtituti, ubi habitent, quale habeant corpus, animum, & uiuendi modum. Regno.) poteſtate atque efficacia. & dicis, deos eſſe ex atomis. Venit in ſolum.) cadit in terram. Vt dicitur.) Prouerbium eſt, in eos uidelicet, qui ſine delectu atque diſcrimine affirmant omnia, & quodcunq; è quocunq; fieri poſſe imprudenter ac temerè aſſeuerant.

Hinc.) ex his atomis omnia formari dicis, & effici. Quæ.) atomi, corpora uidelicet minima & inſecabilia, ut nomen declarat, eſſe nõ poſſunt. nam legitima & naturalis magnitudo diuiſibilis eſt, cum trinam habeat dimenſionem. quæ hanc non habent, dici corpora nõ poſſunt naturalia. Varro apud eundẽ in primo Academico ſic loquitur, omnia interire in nihilum nõ poſſunt, ſed in ſuas partes, quæ finitè ſecari ac diuidi poſſunt, cum ſit nihil in rerum natura minimum quod diuidi nequeat. Nihil eſt enim.) Ratio quare nullæ ſunt, quoniam omnia naturæ membra corpora ſunt, & corpora diuidua atomi ueſtri dicuntur indiuiſibiles, ergo non ſunt corpora: & uacuum in natura nõ datur, ergo principia ueſtra labefactantur & ruunt, inane uidelicet atq; indiuidua.

Quod uacet) uacuum ſit, et caſſum aliquo corpore. Obſidetur.) repletur, occupatur.

occupatur. Locus, inquit Ariſtot. in Phyſicis, èſt ultima ſuperficies corporis ambientis locatum. Corporibus.) elementis, terra, aqua, anima, id eſt aëre atq; igni. Inane.) uacuum, ut uos Epicurei dicitis. Phyſicorum.) naturæ interpretum. Oracula.) quaſi diuina reſponſa, & ſententias arcanas atque obſcuras. Fundo.) enuncio, recenſeo, ſed an uera ſint neſcio: attamen uero ſimiliora uidētur eſſe, quàm ueſtra. Seruat decorum Academici Cotta, negatq; ſe ueritatem diſpicere, ſed tantum ueriſimile atq; probabile. Flagitia.) errata flagris digna, Leucippus, inquit Laërtius, Eleates fuit, ſiue ſecundum quoſdam Abderites, uel ut alij dicunt Mileſius. Leuia.) polita. Partim hamata.) inſtar ferrei hami recurua. Cogente.) coagmentante & coniungente natura aliqua, ſiue ſentiente ſiue bruta. Statu.) conditione ac ſorte. Autoritate.) opinione atq; ſententia. Quid mereas.) quid lucrari uelles, quaſi dicat, omne præmium, quanquam maximum, pro dogmate Epicureo retinendo renueres. Rationem.) artem & formulā benè beateq; uiuendi. Moderante.) ordinante & temperante. Ratione.) uia & arte. Quod autem ex atomis.) Ratio Cottæ contra Epicureos, aſſerentes immortales eſſe deos, quanquam ex atomis compoſitos. Corripitis.) aufertis ipſa corpora, quæ ſunt animorū indumenta & uaſa. Satius.) melius & honeſtius. Impudenter.) inuerecūdè atq; temerè repugnare. Suopte pondere.) naturali grauitate. idem ſignificat ſua ſponte, ſuo nutu, & natura. Nil fore in noſtra poteſtate.) ſed fore uidelicet in fatali neceſſitate. Idem Cicero agens de Fato dicit: Epicurus declinatione atomica uitari neceſſitatem fati putat. Itaq; tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, cum declinat atomus. hanc rationem induxit, ne ſi ſemper atomus grauitate feratur naturali, & neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, quum ita moueretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Quod fugerat.) id eſt, quod Democritus ignorauerat, dicebant Epicurei. Democritus (ut alibi dicit Cicero) autor atomorum, maluit omnia fieri ex neceſſitate, quàm corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Vnde Lucretius. Sed ne res ipſa neceſſum Inteſtinum habeat cunctis in rebus agendis, Et deuicta quaſi cogatur ferre patiq;, Id facit exiguum clinamen principiorum.

Directo.) ad lineam rectam, & pares angulos. Declinare.) obliquare motum ſuum naturalem, & hoc ſine cauſa: quod Phyſico dicere turpiſſimum eſt. Turpius.) probroſius, & uituperabilius. Quod uult.) eſſe quendam animi motum uoluntarium & liberum, quoniam nihil eſt ſine cauſa: hæc autem eſt quadruplex, Materialis, efficiens, formalis, & finalis. Traditum ſit.) in primis conſtitutum, quod ad ueritatē diſiunctā ſufficit, unam partē eſſe uerā. Secus aūt eſſe ad coniunctā, quia in hac utraq; uera eſſe debet. Gellius agens de dialecticis proloquijs ſiue pronuntiatis, quæ axiomata Græci appellant,

dicit: Proloquium diſiunctũ tale eſt, Aut malum eſt uoluptas, aut bonum, aut neq; bonũ, neq; malum: omnia quæ diſiunguntur, pugnantia inter ſe eſſe oportet: ex omnibus quæ diſiunguntur, unum eſſe uerum debet, cætera falſa. Quod ſi aut nihil omnium uerum, aut omnia, pluraúe quàm unum uera erunt: aut quæ diſiuncta ſunt non pugnabunt, aut quæ oppoſita eorum ſunt, pugnantia inter ſe non erunt: tunc id diſiunctum mendacium eſt. ut hoc, curris, aut ambulas, aut ſtas. Cõiunctum uerò eſt eiuſmodi: Scipio P. filius & bis conſul fuit, & triumphauit, & cenſura functus eſt. In omni autem coniuncto, ſi unum eſt mendacium, etiam ſi cætera uera ſint, totum eſſe mendacium dicitur. Hæc ille. Alterutrum.) *è duobus alterum.* Totum hoc.) *hunc modum enunciandi & proloquendi.* Obtuſius.) *hebetius, & craßius.* Premebat.) *urgebat diſputando.* Omnia falſa.) *nullum eſſe uerum iudicium in ſenſibus, qui tamen iudices propriorum obiectorum & habentur, & ſunt: noui autem academici hoc negabant, neſcio quid de collo columbæ & remo aquis obruto delirantes.* Viſa.) *id eſt, res uiſu cognitas: ut dicimus ſenſa, res ſenſu perceptas.* Viſum.) *rem uiſu comprehenſam & iudicatam.* Valde.) *immodice, ac per hoc imperite.* Plagam.) *uulnus ignorantiæ maius erat, quod omnes ſenſus eſſent ueri, quàm quod aliquod uiſum eſſet falſum: igitur ut unũ ictum declinaret, alium maiorem & aſperiorem recipiebat.* Vt illud, Incidit in ſcyllam, *cupiens uitare charybdim: et* Dum *uitant ſtulti uitia, in cõtraria currunt.*

Concretionem.) *coagmentationem & compactionem ad numerum permanentem.* Dißipatio.) *diſſolutio ipſius concreti.* Mirabile uidetur.) *Deridet Academicus hoc Epicureorum diuerticulum, & inanè confugium: miror, inquit, uos poſſe inter uos riſum tenere, cũ tam abſurda dicatis. ut de Haruſpicibus dici poteſt, qui uanißima quæque dicunt interpretando exta, ut homines decipiant & lucrentur.* Idem Cicero *agens de* Diuinatione *dicit,* Ve*tus autem illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ſciebat quod non rideret haruſpex haruſpicem quum uidiſſet. quota enim quæque res euenit prædicta ab iſtis? aut ſi euenit quippiam, quid afferri poteſt cur non caſu id euenerit?* Hoc mirabilius.) *maiore admiratione dignum, cum phyſici naturæ uidelicet uenatores atque interpretes, talia deliramenta effutiant.*

Quale.) *cuius naturæ ac proprietatis, ſi ageretur de pictura uel ſignis in cera, aut creta, in his enim intelligimus eſſe quandam corporis ſimilitudinem: ſed in ueſtro deo intelligere id non poſſumus, nec imaginari.* Fingeretur.) *formaretur aliquando ſimilitudo corporis.* Fictilibus.) *teſtaceis, & è creta effigiatis.* Dictata.) *formulas & præſcripta quædam Epicurea, quæ à uobis recitantur, tanquam à pueris dictata magiſtrorum.* Oſcitans.) *negligens, ignauus, obtuſus.* Hallucinatus eſt.) *effutiuit imprudenter, & tota uia ueritatis, &*

tis, &

tis et rationis aberrans. Hallucinari eſt errare, ac niti ad lucem peruenire, ſed non poſſe. Ille igitur aliquid hallucinatur, qui ſine iudicio enunciat, & lucem ueritatis non attingit, ſed errat. Prædicanti.) uulganti & iactanti. Nihil floret.) nullum habet decorem, & ſplendorem, ſumptum à Platonica grauitate, atq; elegantia, nullum ab Ariſtotelica diſciplina, qua nihil eſt cultius et eruditius. hallucinationes igitur Epicuri ſatis magno argumento ſunt, illum non habuiſſe legitimum doctorem. Academia Platonicum fuit gymnaſium, Lyceum uero Ariſtotelicum, Pœcile Stoicum, Cynoſarges Cynicum. Puerilibus.) id eſt grammaticis, ſiue literarijs, rhetoricis, proloquijs dialecticis, & mathematicis, quibus imbuendos eſſe pueros monet Plato, ut fiant acutiores. ſunt hæc quatuor, Muſica, Aritmethica, Geometria, & Aſtronomia. Diſciplinis.) artibus, & eruditionibus. Sunt qui putent.) ut Demetrius Magneſius, autore Laërtio. Nemini.) Magis, inquit, credo Epicuro neganti, quàm ceteris affirmantibus. Cum fratribus.) Neocle, Cherebulo, & Ariſtobulo.

In eam.) Samum inſulam, quam Athenienſes Pericle ac Sophocle ducibus uaſtarunt, coloniamq; deduxerunt bis mille colonis eò miſsis, in quibus (dicit Strabo) Neocles Epicuri pater, ludi magiſter, quem hic & in urbe Teo educatum ferunt. Agripeta.) nouus colonus, qui agrum petit. Magiſter.) moderator literarij ludi Romani, dicit Pedianus Aſconius. omnem ſcholam appellant ludum, quapropter aliquo adiuncto diſtinguitur. Tenetur.) capitur. & illum audiuiſſe conuincitur: Nauſiphanis Teij, dicit Laërtius, Epicurũ auditorem fuiſſe tradunt. Vexat.) lacerat, conuicijsq; proſcindit. Atqui.) certe, inquit, Democritum ſectatus eſt autorem atomorum. Hæc Democriteſq;.) id eſt quæ dicta erant à Democrito, quem ſolum imitatus eſt. Quid audierat.) Quaſi dicat nihil, cum nil aliud ſapere uideatur, quàm Democritum eius' que inuenta. Inanes.) adumbratas atque tenues, citra expreſſam figuram, eminentem ſoliditatem. Continetur.) comprehenditur ſcientia de rerum natura. omnia, inquit, talia ſunt à Democrito. Alienos.) non ſuæ diſciplinæ iuuenes, quos celabat ſententiam Pythagoras. Neq; conſulto.) de induſtria, dedita opera, ut autoritatem ſuis commentationibus daret. Heraclitus fuit Epheſius, & Scotinos, id eſt tenebroſus & obſcurus cognominatus eſt, quoniam nimis obſcurè de natura rerum diſputauit, et ſcripſit. de quo Lucretius, Heraclitus init quorũ dux prælia primus, Clarus obſcuram linguam.

Inter nos liqueat.) aperte dictu ſit & manifeſtè: & inter nos tamen, non alibi ut honori tuo conſulatur. dico igitur te quæ dicis non intelligere. Pugnare.) te laborare, & contendere, ut obtineas eſſe quandam formam deorum cæteris diſsimilem, & ipſis dijs peculiarem. Concreti.) ſolidi, coagmentati, compoſiti. Solidi.) corporei atq; terreſtris. Expreſsi.) extantis. Eminentis.) ex

 tuberantis,

tuberantis,& profunditatem habentis undiq;,qualia ſunt corpora trinam di-menſionē habentia. Pura.)ſimplex. Leuis.)expolita. Perlucida.) reſplendēs,atq; diaphona. Dicemus.)Inquit Cotta,idē dicemus de ueſtris dijs,quod dicimus de picturis, in quibus ſimilitudines tantū ſunt,et nō ueritates rerum: ergo dicentur tales æquiuoce,& nō uniuoce,uerbóq; dij relinquentur,re autē tollentur è medio,quod ſummā præ ſe fert impietatē. Venere Coa.)Nobiliſsimus pictor Apelles Cous Venerē pinxit Cois popularib.ſuis è mari exeuntē,quæ ob id anadyomene dicta eſt. Plinius dicit Venerē exeūtem è mari.Diuus Auguſtus dicauit in delubro patris Cæſaris,quæ anadyome uocatur.unde Ouidius, Vt Venus artificis laus eſt et gloria Coi, Aequoreo madidas quæ premit imbre comas. Fuſus.)ſparſus,extenſus per lineamenta. Candore.) ſplendida albedine. Non res.)uerū corpus,& ſanguinē, ſed eorū ſimilitudines. Facito.)eſto inquit quod ita eſſe credā, quāuis incredibile ſit eſſe talem ſimilitudinē,& non rei ueritatē:ita loquimur,fac me uelle,eſto quod uelim.

Cedo.)dic,effare quæ fila et ductus ſint harū imaginū, quas deo attribuitis. Adumbratorū.)inaniū,et umbrā corporis nō corpus habentiū. Lineamēta.)ductus,deſignatiōes,deſcriptiones,proportiones,et qualitates,formas figurarū,formarūq; qualitates. Informatū.)effigiatū. Anticipatū.)animo antè cōpræhenſum,& præcognitū. Occurat.)obijciatur animo & repræſentetur. Primū igitur omniū.)Notat Cotta Epicureos,tanq̄ de re maxima temere loquētes & imprudēter. Quicq̄ conſideras.)quaſi dicat,non recte conſideras qualitatē deorū. Primū omniū.)ante omnia diſpicis cuiuſq; rei naturā,et proprias qualitates:quaſi dicat,ut uideo nō cōſideras,ſed id ſumis tanquā conceſſum,quod ueriſimile non eſt,Oſtendere uult Cotta,humanam formam non eſſe aptā diuinæ menti,ut Epicurei uolebant: & Epicureos ignorare definitiones rerū,quibus et illarū eſſentia & qualitates explicantur.unde Ariſtoteles præſcribit in Ethicis, ut res bene definiantur, quoniā ad ea quæ eueniūt nōnihil auxilij afferunt,Principiū,inquit,pluſquā dimidiū totius eſſe uidetur,et eorū quæ quærūtur per ipſum fieri manifeſta ſolēt. Arripere.)proprio iudicio aſſumere. Quaſi ueſtro iure.)id eſt libertate uobis conceſſa,etiā ſi nulla conſtet ratio. Alibi dicit,uideor id meo iure quodāmodo uēdicare. Cæcus.)ignarus,hebes,obtuſus,plūbeus. Species)formas humanas. Collatas.)accōmodatas dijs per quandā tranſlationē,et ſimilitudinē. Conſilio.)prudentia quadā,ut imperiti ad uenerationē numinis humana ſpecie effigiati allicerentur. Cultū)uenerationē. À prauitate.)iniquitate atq; ſcelere.finxerūt,inquit,priſci ſapientes talia,ut iniecto terrore per uiſibilē formā continerēt in officio prauos uiros:et ideo arma dijs adſcripſerūt. Mulieribus,inquit Strabo,et confuſæ multitudini nō facile adhibentur ratiōes,nec ad religionē,ſanctitatē, fidéq; facile

eiſe tale genus hominum adducitur: quapropter timore opus eſt. id autem non ſine fabularum, ac miraculorum figmentis agitur. nam & fulmen, & ægidem, tridentem, faces, dracones, haſtas, thyrſos, arma deniq; numinum fabula, & priſcorũ omnis theologia præ ſe fert. Hæc ab illis accepta fuere, qui res publicas conſtituentes aduerſus nonnullos, qui redolebant infantiã, inſtar laruarum efferebant. Superſtitione.) quodam obiectu metus per uiſibilem formam, quam adeuntes timerent, ueluti præſentem naturam, et impietatis ultricem. Simulachra.) imagines, & formas uiſibiles, ut crederet uulgus deos ſe adire, cum tales effigies uenerarentur: hanc opinionem auxerunt Poëtæ uaria deorũ ſimulachra effingentes, & pictores & ſtatuarij deorũ formas uariantes. Molientes.) efficientes, mouentes. Phyſicè.) naturali quadam ſubtilitate, ac ratione, ut decet phyſicũ, id eſt naturæ interpretẽ atq; uenatorem, cuius ſententiæ nõ debent eſſe uulgares. Cõciliatrix.) cõmendatrix, & quodq; ſibi ipſi amicũ faciẽs. omnia quippe in ſuo genere ſibi arridẽt, ſe amãt, ſibi placẽt, et peculiares naturæ dotes ducũt præcipuas. Sollicita.) anxia, curioſa, et ſollers. Lena.) mediatrix, et cõcinnatrix, leniendo & mangonizando, lenarũ more atq; mangonũ. Geſtiret.) lætaretur geſtu corporis, et coitu. Præſcripſit.) ordinauit et præcepit. Plurimũ.) quaſi principatũ formæ. Ille taurus.) in quẽ conuerſus Iuppiter è Phœnicia in Cretã inſulã aſportauit Europã Agenoris filiã. fabulæ dicunt fuiſſe candidũ taurũ, et cornib. recuruis, atq; innoxijs. Specie.) forma. Inuehens.) inſidens piſcib. humano corpori pubetenus adnexis. Tali genere locutionis utitur Gellius, dicẽs: ei conſuli pater procõſul obuiã equo uehens uenit. Homini.) humanæ figuræ. Dicimus illi ſum ſimilis, quoad corpus: illius uero, quoad mores. Quotus quiſq;.) quaſi dicat, pauci formoſi ſunt. Ephebi dicũtur pubeſcẽtes, qui apud græcos nudi ludebãt. Vnde gymnici ludi appellati. Video.) intelligo cauſam tui riſus, inquit Cotta, quoniã memini ephebotũ qui Academicis philoſophis cõcedebantur ad delicias: qđ Lucianus Platoni obijcit. Idẽ Cicero in quæſtionib. Tuſculanis dicit, mihi quidẽ hæc in Græcorũ gymnaſijs nata cõſuetudo uidetur, in quib. iſti liberi et conceſſi ſunt amores. Iucunda.) grata ſunt ea quæ in corpore uitiata et deprauata pleriſq; diſplicẽt. Neuus eſt inſtar uerrucæ cũ pilis. In articulo.) iunctura digiti. Alceus fuit Leſbius, et poëta Melicus. Lumẽ.) nitor, et ſplẽdor. Illuc præuertamur, inquit Horatius, amatorẽ qđ amicæ Turpia decipiũt cæcũ uitia, aut etiã ipſa hæc Delectãt, ueluti Balbinũ polypus Agnæ. Collegæ.) ſocij in magiſtratu. Familiaris.) amici. Municipẽ.) lanuuinũ ex eodẽ municipio, erat enim Lanuuinus hic Velleius. Lanuuiũ adhuc retinet nomẽ inter lõgã Albã, et Neptuniũ oppidũ, dicitur uulgo ciuitas Lauini. Eius.) Catuli eſt hoc tetraſtichõ in præconia Roſcij. Peruerſiſſimis.) deprauatiſſimis, et enormiter diſtortis.

Salſum.)

apud Lanuuiũ Velleij patriam, ideo dicit ueſtrã. *Pelle caprina.*)Hic erat cul/
tus & ueſtitus Soſpitæ Iunonis. *Repandis.*)recuruis. *Romana.*)quæ Ro/
mæ colitur. *Hammonis.*)harenarij, in effigie arietis. *Ab animis.*)imagi/
nationibus & opinionibus, quas generarunt conſuetudines quædam, & non
rationes: quæ, ut inquit Plato, inſtrumenta philoſophorum ſunt. *Imbutis.*)ini
tiatis, eruditis, inſtitutis, intinctis, repletis, perfuſis, illitis. *Teſtimonium.*)
confirmationem, & argumentũ. *Cæſios.*)coloris cœli. *Cæruleos.*)coloris
ceræ: ac per hoc uirides, ac ſubobſcuros. Gellius agens de coloribus, dicit: Sed
ne uiridis quidem color pluribus à græcis, quàm à nobis, uocabulis dicitur: ne
que non potuit Virgilius colorem equi ſignificare uiridem, uolens cæruleum
magis dicere equum, quàm glaucum: ſed maluit uti notiore græco, quàm in/
uſitato latino. noſtris autẽ latinis ueteribus cæſia dicta eſt, quæ à græcis glau
copis dicitur, ut Nigidius: aut de colore cœli, quaſi cœlia. Flauus color dicitur
uiridi & albo mixtus. Ennius ita cecinit: Vertunt extemplo placidum mare
marmore flauo, Ceruleum ſpumat mare conferta rate pulſum. *Alcamenes.*)
fuit Athenienſis. *Pontificijs.*) dicuntur libri ſacras cerimonias continentes.

Noſtris dicit.)quoniã Pontifex Maximus erat Cotta. *Quid attinet.*) quid
prodeſt ad tollendam ambiguitatem, quoniam ſi una & ſimilis eſt deorum fa
cies, plura & uaria nomina nullum ponunt diſcrimen, & diſtinctam perce/
ptionem. *Quam bellum.*) honeſtum atq; decorum. *Effutientem.*) effun/
dentem ſine iudicio, & ratione. *Nauſeare.*)emouere. *Sibi diſplicere.*)dice/
re ea quæ non conſtarent, nec conſentanea eſſent. Ille ſibi diſplicet, qui dicit in
decora, & abſurda. *Similem mei.*)eiuſdem conditionis, formæ, atq; qualita/
tis. *Quid ergo.*)Solem quærit Academicus, an liceat ſolem, & talia deũ ap/
pellare. reſpondet Epicureus, non licere, quia non habent humanam formam,
ſine qua non eſt ratio, non uirtus, non ſapientia, & per conſequens non bea/
titudo, quæ omnia diuinæ naturæ tribuenda ſunt. *Quibus fruentem uolupta
tibus.*)Hæc uerba ſunt Epicureorũ, fruitionem omniũ uoluptatũ deo tribuen/
tium: beatus, inquiunt eſſe, non poteſt Sol, luna et Cœlum nulla fruuntur uo
luptate, immò iugi reuolutione torquentur: ergo beata eſſe non poſſunt, nec
diuinam habere naturam, quæ tranquilla eſt, ſecura, ocioſa, & quieta. *Et
ſapientem.*) Hoc eſt Academici, an ſcilicet liceat Solem appellare deũ ſapien
tem. *Qui.*)quo modo. uerba ſunt Epicurei, negantis eſſe poſſe ſapientiã ni
ſi in humana forma. *Trunco.*)corpore mutilo, ac ſine membris, ſenſibusq;,
unde oritur ſapientia. ſic dicebant Epicurei, nullam aliam figuram eſſe poſſe
domicilium rationis, uirtutis, atq; ſapientiæ. *Hæc ueſtra ſunt.*)hæ ſunt Epicu
reæ rationes. *Si igitur.*) Cõcludit per enumerationem partiũ, quæ anacepha
leoſis dicitur, id eſt recapitulatio, ſiue capitum repetitio: ſi non poſſunt eſſe dij

humana forma quã docui tributam fuiſſe illis conſilio ſapientũ, nec habent talem effigiẽ, ſed uariã atq; diuerſam, pro uarietate opinionũ, cur non negas eſſe deos, quod eſſet generoſius quàm tã abſurda effundere. Humano.) corpore ſcilicet. Simili aliquo.) aliqua imagine conformi. ſic enim dicebãt Epicurei, non eſſe rẽ in deo, ſed rei ſimilitudinẽ: nec corpus, ſed eius ſimilitudinem.

Quod tibi perſuaſum eſt.) quod eſſe affirmes. quid ergo dubitas inquit, negare aperte deos eſſe, cũ occultè id negetis: ea enim illis adſcribitis quæ nõ ſunt: et ſic per uos nulli erunt, cum ſine humana forma, ut dicitis, eſſe nõ poßint.

Non audes.) Ita dicebat Vellcius, nõ audeo negare, quoniã periculoſum eſt; propter impetũ populi: ideo dicit Cotta, nõ audes. et ſubnectit: Sapiẽter id quidẽ.) prudẽter facis, ſed in hac diſputatione inter amicos et doctos nihil eſſet timendũ. Populũ.) iudiciũ, et odiũ imperitæ multitudinis. nõ times hic populũ inquit, ſed ipſos deos: quanquã ſentis ex Epicuri dogmate deos nõ eſſe timendos cũ uacẽt: ita ergo uobis ipſis nõ cõſtatis, et decretũ ueſtrũ proditis, quod ſine maximo ſcelere nõ facit is philoſophus, qui in uerba magiſtri et autoris iurauit, ut tu in ratas Epicuri ſentẽtias. Noui ego.) Nota mihi eſt, inquit, Epicureorũ ſuperſtitio, et demonſtratio, ut pij erga deos uideãtur. Oĩa ſigilla.) parua ſigna, id eſt imagunculas numinũ adeũtes, et uenerãtes. numerare imagines, eſt omneis illas ambire, ut ſuperſtitioſæ aniculæ faciũt. Quanq̃ uideo.) nõnulli, dicit, Epicurũ aſſerũt male de dijs ſenſiſſe, ſed timore Atheniẽſiũ, uerbo tantũ affirmaſſe illos eſſe. Offenſionẽ.) læſionẽ. id eſt timuiſſe ne Atheniẽſes offenderet, et p cõſequẽs pœnã impietatis daret, cicutãq; Socraticam biberet. Re.) ſentẽtia, opinione. Selectis.) exquiſitis, ſegregatis, ac per hoc eximijs, autẽticis. Cyrias doxas.) id eſt ratas opiniones, ac firmas, et ueras, ut Epicurei dicebãt, et imprimis utiles. κυρόω græce, ſancio latine. κῦρος ſanctio. inde κύριος dicitur ratus, et ſanctus. idẽ Cic. agẽs de Finibus bonorũ et malorũ, dicit: Quis ueſtrũ nõ edidicit Epicuri cyrias doxas, id eſt maxime ratas, q̃ grauißimè ſint ad beatè uiuẽdũ breuiter enũtiatæ ſẽtẽtiæ. Negociũ.) labor. Expoſita.) enũciata, ut ambigua ſit intelligẽtia. Conſulto.) dedita opera, et de induſtria, quod uerũ non eſt, inquit Cotta, cũ eſſet Epicurus uir ingenij ſimplicis, et inſcitia dilucidè loquẽdi ſic enũciauerit, potius q̃ cõſilio aut malitia. Planè.) apertè, diſtinctè, ac ſine ambiguitate, qđ illi accidebat propter ignorationẽ dialectices. Vafer.) dicitur callidus et aſtutus. Dubiũ enim eſt.) Hæc ratio exiſtimantiũ cõſultò id dixiſſe Epicurũ, quoniã dubia eſt illa enunciaito, cum nõ magis affirmet eſſe aliquid beatũ et immortale, quàm ſi ſit beatũ eſſe illud immortale. An dicat.) et hunc habeat ſenſum. Non animaduertunt.) hæc locutio, inquit, peculiaris & conſentanea Epicuro eſt, confuſe, indiſtinctè, atq; ambigue loquẽti; et qui aliter exiſtimãt, nõ recte ſenti-

unt

tuni. Ambigue.)confuſe,ut cõſueuit. Hic.)in hac parte, atq; expoſitione conciſa illius ſententiæ,quæ prima eſt de cyrijs doxis,quas omnis ponit Laërtius. Metrodorũ.)qui fuit Epicuri ſodalis, imò alter Epicurus. Negaret.) Et ſic notat Epicuri leuitatẽ et inconſtantiã,quũ maxime actu timebat ea,quæ uerbis non eſſe timenda negabat,deos uidelicet,ac mortẽ. Mediocres.)uulgares,et modica cognitione ſubnixi. Non ita ualde.)ſic immodice(ut ita dixerim)exceßiuè. Mouẽtur.) afficiũtur,atq; terrẽtur. Perterritas.)perculſas et conſternatas. Tot milia.) ponit eos mediocres Cotta,qui nec dijs,nec morte ſic terrentur. Propoſita.)conſtituta et decreta illis in pœnã,ſi capiantur. Cõpilant.)ſpoliant,prædantur. Credo.) quaſi dicat nec morte,nec religione terrentur. Nunquã uidi.)Hoc reſpondebat Epicurus,negãs rationẽ alibi eſſe poſſe q̃ in humana figura. Vidi.)ſenſu cognoui.et hoc eſt quod notatur in Epicuro,nunquã à ſenſibus animũ reuocante: quãuis dixerit deũ percipi mente,nõ ſenſu,cum ſibi conſentaneus eſſe omnino ignoraret. Quid ſolis.) Quæro, inquit,an uideris aliquid,qđ haberet ſimilitudinẽ ſolis et lunæ, atq; errantiũ ſiderũ rationẽ et naturæ uĩ referret:reſpondebis te nõ uidiſſe:ergo ob id nõ erũt.quaſi dicat,hoc eſt abſurdißimũ, opinari eſſe nihil quod ſenſibus, et maxime tactu et uiſu nõ ſentiat,et cuius aliquod ſimile nõ uideris aliquando. Sol duabus.)Deſcribit curſum annuũ ſolis per ſigniferũ. Orbis.) circuli,q Zodiacus græce dicitur. Vltimis.)extremis à cancro ad capricornũ. Definiens.)determinãs,luſtrãs,ambiẽs. Huius.) ſolis. Luſtrationẽ.) ambitũ,circuitũ.inde dicimus,luſtraui agrũ,montẽ, et cætera id genus. Eiuſdem.) ſolis,à quo lumẽ mutuatur luna. Complet.)abſoluit,terminat,perficit. Ab eiſdem.)quibus ſol et luna:principium eſt motus ab Ariete, finis Piſces. Quinq;)Saturnus,Iuppiter,Mars,Venus,Mercurius. Diſparibus.) diuerſis atq; differentibus.legitur apud Plinium. Nunquid tale.)talium planetarum luſtrationẽ,et ratũ curſum,diſparemq;.quaſi dicat,non uidiſti:eſt tamen, quãuis nõ uideris.Sic etiã de deo dicitur,eſſe ſcilicet,quamuis nõ cernatur oculis aliqua eius forma:cũ ſit mẽs pura et ſimplex,ſecreta penitus ab omni cõcretione ſenſibili. Attigimus) tãgere potuimus,et ſenſib. pcepimus. Nũ ne.)quaſi dicat nõ uidiſti, quoniã diuinitas cerni non poteſt. Cur credis.)Si nihil eſſe dicemus,inquit,niſi quod cernimus,abijciãtur hiſtoriæ præteritã narrãtes: abijciãtur etiã omnes rationes,quibus aliquid eſſe tale concluditur. Hiſtoria.)enarratio rerũ priſcarũ. Aut ratio.)noua ars, et ſcientia multiplex, & mathematica imprimis, quæ menſuras rerũ, numeros, & ſitus membrorum naturæ definit. Ita fit.)mediam terram, mare undiq; circum eſſe non credãt.ex opinione ueſtra inquit fit,ut nõ credamus niſi ea quæ uidimus, aut tetigimus, terrã eſſe mediã ad uniuerſi cœli ambitũ, et ab aqua

ambiri, ut ratio tradit, ambigemus, quia non tetigimus: quod eſt omnino abſur diſsimum. Magnum eſt, inquit alibi Cicero, reuocare animum à ſenſibus, et ra tione id diſpicere, quò ſenſus non adſpirant. Vt mediterranei mare eſſe non *credāt.)id eſt in media terra habitātes, procul uidelicet à mari: quod eſſe non credunt, quia non uiderūt.* Anguſtiæ.)*contractiones et debilitates, non poſ ſe uidelicet tranſgredi ſenſuū iudicia, et anguſtari, coërceriq́; ut mancū atq; à ſenſibus omnino pendentem.* Seriphus.)*parua inſula, et ſaxoſa in mari* Ae *geo, damnata quondam ſceleſtorum exilijs.* Non ueſtro more.)*Epicureo ſci licet, rudi atq; inepto: ſed dialecticorum, qui uia et modo argumentantur, atq; concludunt, quos tu modo ritu imitaris, relictis* Epicuri *ineptijs, confuſisq́; enunciationibus.* Argumēti.)*rationis, et raciocinationis.* Sumpſiſti.)*enun ciaſti, ut certum quoddam, & concedendū.* Damus.)*concedimus.* Sine ra tione.)*formulis, et præſcripto rationis, ponentis quandā mediocritatē rebus, circa quas uerſatur et agendi et intelligendi cupiditas. idcirco cæteræ animan tes non dicuntur habere uirtutem, quia expertes ſunt rationis modum et ordi nem determinantis, ut decorum ſeruetur.* Conueniat.)*conſtet inter nos, & concedatur, ſimus et in hoc concordes.* Nec rationē eſſe.)*In hac aceruali ra tione, quam ſoriten appellant græci, hoc non conceditur, ſcilicet quod ratio nō ſit niſi in hominis figura: et ideo à primis propoſitionibus et enūciationib. gradatim, et conſequenter conceſsis, ad hanc non eſt tranſitus: quoniam con trouerſa eſt, & ferè negatur ſunt enim eximiæ quædam naturæ ratione uel maxima præditæ, citra humanam figuram, & corporis coagmentationem.*

Gradatim.)*per gradus propoſitionum uerarum, & connexarum, ut nulla ſit repugnantia, et controuerſia.* Iſtuc.) *ad hanc enunciationem, uidelicet quod ratio non eſt niſi in hominis figura.* Si non ita eſſet.)*ſi uerum eſſet hoc effatū, potuiſſes ita argumentari:* Ratio *non eſt niſi in hominis figura: deus ha bet rationem: ergo habet humanam ſpeciem.* Quod eſt iſtuc gradatim.) *id ad quod gradibus perueniſti. id eſt tale axioma, proloquiū, atq; enunciatum,*

Sumpſiſſes.)*primum poſuiſſes, ex quo id quod uolebas concluderes.* Tuo iure.)*libertate tibi conceſſa, ſi propoſitio illa eſſet uera, et enunciatum lique ret, conſtaretq́; inter omnes.* Gradibus.)*per gradus enunciationū uerarum, concedendarumq́;. translatio eſt à ſcalarum gradibus, quibus aſcenditur ſuc ceſsiue, atq; deſcenditur.* Quo modo.)*qua ratione, et connexione rationum & naturarum inuicem ſuccedentium: quaſi dicat, talis tranſitus omnino eſt abſurdus, et ignorantiam redolet uel maximam eius diſciplinæ, quæ formulas argumentandi deſcripſit, et dialectice appellatur: quā ut cauillatricē, et præſti giatricē oſcitans* Epicurus *repudiauit.* Præcipitare.) *cadere in præceps, at que ruere, et nō per gradus deſcēdere. Senſus eſt, temerario quodā lapſu ad*

boc enuncia

hoc enunciatum præcipitatus es, & id pro comperto affirmaſti, quod eſt falſiſſimum, & ideo finis tuæ gradationis nullus eſt, & ſumma inanis. Non deſcendere.) per gradus uenire, id eſt, enunciationes connexas, & citra repugnantiam ſequaces. Quid interſit.) quid referat, quæ ſit differentia inter hoc & illud, id eſt illos eſſe ſimiles nobis, aut nos illis, quoniam dij antequam homines: ergo humana ad deos referenda erant, potius quàm diuina ad homines. Si enim hoc.) Hæc erat ratio dicentium nihil intereſſe, quoniam hæc uiderentur eſſe reciproca et recurrentia. Sed hoc dico.) Reſpondens Cotta, quid interſit edocet. Aeterni.) quoniam æternum id dicitur, quod nec principiũ habuit, nec fine aliquando terminabitur. Sed noſtra diuina.) Ariſtot. in Memorabilibus dicit: Dij cum ad nos referuntur, ridiculi ſanè uidentur. & idem Cicero in Tuſculanis Quæſtionib. inquit: Fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat, diuina mallẽ ad nos. Vt uoletis.) Si hoc, inquit, ut uultis ponat, licet ſit abſurdum, illud perſcrutemur, an fortuitus concurſus atomorum, ut dicitis, potuerit formã tam elegantem effingere. Fortuna.) ſucceſſus, & euentus. Ratione.) conſilio diuino, & ſolerti iudicio, arteq́;. Caſus.) fortunatus affluxus indiuiduorũ ſeminum, tam præclara fingentiũ nulla ſentiente natura moderante. Putamus.) poſſumus ne inquit, exiſtimare diuinũ ſemen impleſſe terram, & homines effinxiſſe. Patrum.) deorũ emerſiſſe apparuiſſeq́;. Cognationem.) coniunctionẽ generis, & naturæ, quã homines habent cum dijs, propter excellentiã rationis. Caſu.) fortuna, & non diuino ſemine. Conuincere.) confutare, refellere. Scientiã.) cognitionẽ occultarũ rerum, et altiſſimarũ copioſiſſimã, et ingenioſiſſimam. Virtutes naturales, inquit idem agens de Finibus, illæ quæ ſuapte natura ingenerantur, ut docilitas, & memoria, quæ uno ingenij nomine appellãtur. Delirare.) aberrare à recto & uero, ac per hoc inſanire. Decreuerunt.) iudicauerunt, & ſtatuerunt deum eſſe incorporeũ. Opportunitas) neceſſaria utilitas. Ingreſſu.) ſeceſſu & inambulatione. deus quippe, atq; natura, ut nihil fruſtra efficiunt, ita etiã in neceſſarijs nõ deficiunt. Deſcriptione.) deſignatione, & confirmatione. Inane.) uanũ, & fruſtra inditũ. Imitari.) imitando adſequi: quoniam ars omnis, ut inquit philoſophus, quoad poteſt naturã imitatur. Sollertiam.) acumen, & exquiſitã artem, exactamq́; rationem in rebus omnibus, quarum natura eſt autor. Adfinxit.) appoſuit genitalia membra. Fruſtra.) incaſſum, quia illis nõ utuntur. Externa.) extantia, & apparentia. Venuſtatis.) delectationis, gratiæ, atq; pulchritudinis. Fidentes iſtis ſomnijs.) deliris opinionibus, ſomniorũ inſtar. Hermachus.) fuit Mityleneus. Sed meretricula) Non eſt mirũ, inquit, tales homines, imò hominũ monſtra contradixiſſe tantis philoſophis, cum hoc idem auſa fuerit meretrix in Theophraſtũ ſummæ elo-

quentiæ ac ſapientiæ uirum: ceu uero neſciam, inquit Plinius, etiam aduerſus Theophraſtũ, hominem in eloquentia tantũ, ut nomen diuinũinde inuenerit, ſcripſiſſe etiam fœminã. & prouerbiũ inde natũ,ſuſpendio arborẽ eligendã. Leontium.)ita enunciatur & inclinatur,ut Glycerium,Phylocomaſiũ, & cætera id genus. Scito.)culto,et erudito. Attico.)eleganti et nitido,more Atticorum. Hortus.)ſchola hortenſis,in qua moriens Epicurus ut ſucceſſores philoſopharentur mãdauit. ponitur igitur hortus pro Epicurea diſciplina & familia. Licentiæ.)libertatis licentioſæ,ac temerariæ. Queri.) indignari, quod uobis maledicatur à cæteris diſciplinis. Litigabat.)lites diſputando exercebat.hic Zeno fuit Epicureus. Quid dicã Albutiũ.)Idem in Bruto ſic ſcribit:T.Albutius penè Græcus. fuit aũt Athẽis adoleſcẽs,pſectus Epicureus euaſerat,minimè aptũ ad dicendũ genus. Apud Luciliũ,eodẽ autore,Scæuola ſic loquebatur: Græcũ te Albuti q̃ Romanũ atq; Sabinũ,maluiſti dici,et reliqua. Humanius.)benignius,et affabilius.hic Phædrus fuit Epicureus. Stomachabatur.)indignabatur Phædrus. Vexarit.)aſperrime taxauerit,et ſummis pro ſequutus fuerit contumelijs. Ariſtotelẽ,inquit Laërtius,appellabat Epicurus prodigũ,qui paternis bonis cõſumptis militaſſet, uenenaq; uẽdidiſſet. Phædoni Socratico.)Gellius ita ſcribit,Phædõ Elienſis è cohorte illa Socratica Socrati et Platoni fuit perfamiliaris. eius nomini Plato librum illum diuinum de immortalitate animæ dedit. is Phædon ſeruus fuit,forma & ingenio liberali.Eum Cebes Socraticus,hortante Socrate, emiſſe dicitur, habuiſſeq; in philoſophiæ diſciplinis. Turpiſsimè.)obſceniſſime. Totis.) integris, & magnis libris lacerauerit. À quo nihil acceperat.) nihil audiuerat, nulla iniuria affectus fuerat. Tam male acceperit.)contumelioſè tractauerit. & dicimus, bene illum accipiam, & male accipiam. Figebat.)impetebat, uulnerabat. Parentem.) autorem eius philoſophiæ, quæ eſt de uita & moribus. Scurram.)ridiculum quendam aſſentatorem, & adulatorem. Senatum.)cœtum philoſophorum ſententiam dicentium,ritu ſenatus,in cauſa propoſita. Commentitia.)ficta ad libidinem, & nulla ratione ſubnixa. Lucubratione.) uigilijs ad lumẽ,et cognitionẽ uetularũ. Nõ ſentitis.)nõ cognoſcitis,nõ diſpicitis quot et quãta ſequãtur abſurda ex his quæ ſentitis,et enũciatis. Cultus.)ornatus,atq; ueſtitus. Curatio.)uictus,remedia,et cætera id genus,quib. corpus colitur,et curatur. Quid ſequatur.)coitus,et procreatio. Princeps.) dux Epicureæ familiæ,autorq; harũ ineptiarũ. Si nõ ſit bipes.) ſi nõ habeat humanã formã. Durũ.)aſperũ et uiolentũ,ac per hoc nouũ Romanis auribus. Vſu.) cõſuetudine loquẽdi debemus emollire,ac paulatim Romana efficere,ut aures nõ offendãt. Quecũq; eſt)cuiuſcũq; qualitatis ſit,et undecũq; oriatur, ſiue à uoluptatib. corporis,ſiue mẽtis. Ratio docuit.)Hæc erat ratio Epicureorũ,

quod

quod in ipſa infinitate omnia omnibus paria reſpondeant: & cum ſemina infinita ſint, infinitos etiam eſſe mundos. Ratio non docebit.) Hoc, inquit, magis eſt rationi congruum, ut à diuina natura uincamur, nõ ſolum rationis præſtantia, ſed etiam corpore. Forma.) effigie corporis. Humana uirtus.) rationis perfectio, qua quoad fieri poteſt, deo ſimiles efficimur. Figura.) ſpecies. An quicq̃.) Puerile, inquit, eſt nõ putare aliquid eſſe quod nõ uideris. Vrgeã.) ſtimulẽ, uexẽ, et taxando uellicẽ. Curioſiſsimi.) diligentiſsimi. Nihil pertinet ad rẽ.) non confirmat id quod uultis: quoniã ſimilitudo corporis non oſtendit naturæ morũq; ſimilitudinẽ. quod per inductionẽ demonſtrat. Vaſtior.) membroſior & maior. uaſta & horrenda eſt forma elephantorũ, tamẽ prudentia proximè accedit ad humanũ ingeniũ, & docilitatem. Simillimis formis.) quales ſunt geminorũ figuræ. Et moribus.) ſcilicet ſimillimis, diſpar effigies corporis. Genus hoc argumenti.) gradationẽ talẽ, qua es uſus ad id probandum, quod intendebas. Quò ſerpat.) ad quem finem tendat. Sumebas.) enunciabas tanq̃ uerũ & cõcedendum. His omnibus.) quæ alius poteſt ſumere, et maximè de corpore mortali, et homine. Obſiſtis.) repugnas, quoniam in deũ talia non cadunt. Vna ſola forma.) hominis, te ſtimulet cogatq; illam deo aſsignare. Lineamenta.) fila ipſius humanæ formæ, & deſignationes. Conſiderare.) penſiculate loqui atq; prudenter. Sortiri.) ſorte uenari uerba, id eſt quicquid contigerit dicere. Superuacaneũ.) ſuperfluũ atq; redũdans. Vſum.) utilitatẽ aliquã ex uſu. Obſtare.) nocere. Speciẽ.) figurã. Vſum.) actũ ipſum utendi. Redundat.) ſuperfluit, ſuperabundat. Fœminibus.) mẽbris genitalibus, et fœmoribus. Fœmina dicũtur, et fœmora. Domicilia.) quoniã his læſis uita nõ remanet: unde uitalia mẽbra appellantur. Habitus.) oris effigies, & qualitas formæ. Firmitatẽ.) ſtabilitatẽ. Inſignia.) notas, ornamẽta, ſplendores. Maturitates.) opportunitates, et maturãdis rebus idoneas qualitates. Viciſsitudines.) alternationes. Suſpicati.) opinione quadã cognoſcentes. Naturã.) uim effectricẽ. Regeret.) cõſilio. Gubernaret.) actu, à cõiectura, à ueritate, quã conijciebant, id eſt opinabili iudicio attingere nitebantur. Coniectura dicitur à cõiectu, id eſt directiõe rationis ad ueritatẽ. Quid ſequantur.) quid reſpiciant, quid cõſiderent. Cognoſco, inquit, illos putaſſe creatorẽ eſſe & rectorẽ à rebus creatis, & ratũ ordinẽ ſeruantibus. Epicurei aũt nil tale ſequebantur, confugiebantq; ad prolepſim, id eſt anticipationẽ quãdam de deo natura inſitã, uel innatã. Hæc aſſeueratio inde orta eſt, quoniã Epicurei opinabãtur deũ nõ fuiſſe mundi opificẽ, et rectorẽ, ſed naturam quandã et fortunã. Informationẽ.) effigiationẽ, atq; figurã humanam. dicit igitur Cotta, Hæc informatio uaniſsima eſt. nam Iupiter non eſt barbatus, & Minerua nõ eſt galeata, ut pictores et fictores effinxerũt. Vſum.) actũ utẽdi.

Fuſcina.)

Fuſcina.)eſt tridens Neptuni,cuius diminutiuum fuſcinula:ſignificat etiam telum piſcatoriũ. Conſecrauerũt.)ſacrã eſſe atq; diuinã decreuerunt,colueruntq́; ut numina. Vim.)multitudinẽ enecant. Rigidis.)duris. Corneo.) duro,& longo. Auertũt.)expellũt,fugant. Volucres.)alatos ſerpentes. Vaſtitate.)ſolitudine ac deſertis. Cõſumunt.)deuorant. Illæ.)angues. Odore.)fœtore,quo aër inficitur,gignitq́; morbos. Ichneumon.)inquit Plinius, maxime naſcitur in Aegypto, qui patentes crocodili dormiẽtis fauces ingreſſus,ut telum aliquod immiſſum erodit aluũ.Crocodili,dicit Diodorus,Aegypto ſecuritatem præſtant, quos Arabiæ Libyæq́; latrones ueriti, non audent tranſmittere Nilum, atque prædari. Ichneumon oua crocodilorum conterit, quodq́; dictu mirabile eſt,nec oua comedens,neq; ulla ſua utilitate, ſed natura duce,ad neceſſariam quandam commoditatem mortalium. Feles uero ad ſerpentum,& aliorum reptilium morſus plurimum conferunt. Negocij.)laboris & curæ. Delicati.)molles,ignaui,deſides. Ceſſatione.)ocio & quiete. Ceſſare eſt,nihil agere.unde ceſſatores,pigri & tardi. Nequam & ceſſator Dauus,inquit Horatius.et,Si ceſſas,aut ſtrennuus anteis, Nec tardum operior,nec præcedentibus inſto. Ceſſant.)uacui ſunt literarijs curis, & feriati:tamen aliquos exercent ludos,nec poſſunt quieſcere. Feriatum.)ocioſum & ceſſatorem.feriati dicuntur,qui ab opere ceſſant propter ferias: & feriatos Iudæos,ócioſos,& ſabbatis nihil molientes. Torpere.)languere, ocioq́; marceſcere.Hæc oratio,inquit,non ſolum diuinam naturam inficit,& imminuit,ſed etiam moribus nocet imprimis. Vnde Cato dicebat, Homines nihil agendo male agere diſcunt.& Philoſophus,humanam fœlicitatem exercitationem quandam ſtudioſam eſſe definiuit.& Cicero, uirtutis laudem omnem in actione conſiſtere aſſeuerauit. Inertes.)pigros,ignauos, ocioſos, ac per hoc probroſos,& nota dignos. Siquidem.) ſi certe uera eſſet iſta opinio, quod etiam deus non poſſet eſſe beatus,ſi aliquid ageret: beatitudinem uero omnes appetunt:ergo ſectatores Epicuri,ut beati ſint,feriati eſſe debent. quæ ratio abſurdiſsima eſt,& pollutiſsima,et ideo explodenda. Verum ſit ſanè.) Eſto,inquit,deum habere humanam effigiem. Videamus ubi habitet,& quid agat, quibus uoluptatibus abundet: qualis iſta ſit effigies ut merito poſsit dici æternus & beatus,ut uoluit Epicurus. Et ſic Cotta concludit, Epicureum deum nec æternum eſſe poſſe,nec beatum: quæ duo in diuina natura relucere imprimis,decreuit Epicurus. Fruatur.)delectetur proprijs bonis, & nihil ei deſit quod ad beatitudinem pertinet. Inundet.) tegat & alluat, ſed natura prouidit mortalibus, terminans aquas, ne totam inundet terram. Superior aër.)imminens aquæ, ambiensq;. Altiſsima ora.) ſpacium cœli ſummũ. Ancipites.)dubiæ et amphibiæ,quoniã & in terra degunt,et aqua.

Que

Quæ cauſa.)propter quid moueatur,ſi tamen mouetur. cauſa autem motus animantium eſt appetitus. Accommodatum.)*aptum conſeruationi & agumento.* Dicitis,inquit,*deum habere humanum corpus, ergo humanũ appetitum pro uſu corporis & fulcro.* Quid igitur appetit *ueſter deus,quomodo utitur ratiõe,intellectu bonorũ atq; malorũ? quid cõſiderat? quid cõmentatur? quid agitat,ne fruſtra ratioñe habere uideatur?* Motu.)*agitatione intellectus,qui in homine nunquã acquieſcit.*

Quomodo beatus.)quibus medijs beatitudinem aſſequatur. Quo modo æternus.) qua diſpoſitione corporis obtineat æternitatem, cum humanum corpus natura caducum ſit atque mortale, quod uos Epicurei Deo *attribuitis: attamen & æternum eſſe aſſeueratis. Quicquid horum.)neceſſariorum ſcilicet, ad naturam conſeruandam & curandum corpus, attigerit ipſe deus ueſter,maculabitur, inficietur, labefactabitur: nec erit æternus,ſi talibus indigebit.neceſſariò autem talia appetet,ſi habet humanum corpus.* Vlcus eſt.)*quædã coruptio, labes,latens ſanies, & occulta contaminatio diuinæ naturæ, quam uos æternam & beatam eſſe dicitis.* Inſtituta.)*inchoata & ordinata falſis propoſitionibus, & abſurdis aſſumptionibus.* Non poteſt reperire exitum.)*concluſionem ueram & neceſſariã.* Ratio *ueſtra(inquit) nihil concludit,nihil probat,cum ea ſumatis & aſſumatis, quæ abſurda ſunt & uana. Sic enim dicebas.)* Repetit *quadam paraphraſi* Epicuream *rationẽ,qua diuinæ naturæ qualitas oſtendebatur, beatitudo & æternitas.* Speciem.)*formam atq; imaginem non poſſe oculis cerni, ſed animo tantum uideri.* Senſu.)*uiſu & tactu, propter tenuitatẽ ſenſus effugientem.* Soliditatem.)*corpoream firmitatem,& eminentem expreßionem:ſed lineas tantum,atq; ſuperficiem.* Neq; per mare.)*id eſt non perdurare,atq; permanere eandem imaginem numero,ſed ſubinde mutari, ut non corrumpatur. & hoc modo æternitatem tribuebant* Epicurei *deo, quamuis corporeo, id eſt humana forma delineato.*

Eamq;.)*talem eſſe dei.* Viſionem.)*cognitionem uiſibilem,& modum quo uideri poteſt.* Similitudinem.) *imagine quadam ſimili ſolido corpori.ita enim dicebant,non eſſe in deo corpus,ſed ſimilitudinem corporis:id eſt adumbratã quandam imaginẽ,non eminentẽ,non expreßã.*

Tranſitione.)*mutatione,et uariatione ipſius imaginis,ſubinde fluẽtis & ſuccedẽtis.* Infinitis corp.)*atomis affluentibus,et renouãtibus imaginem cum ſumma delectatione diuini numinis,ut* Epicurei *delirabant. ut hoc modo æternũ et beatũ oſtẽderent deũ.* Acceßio.)*additio & affluxus ſimiliũ imaginũ, quæ ſpecie ac figura perſeuerarent,& nõ nume*

ro. Ex eo.) id eſt tali cõtinuato acceſſu, atq; affluxu imaginum, fit ut mẽs humana poßit cognoſcere æternitatẽ dei, et felicitatẽ: cũ talis acceſſio cõtinemer fiat, et ſummã afferat uoluptatẽ. Hoc per ipſos deos.) Deridet Cotta tales ineptias, dicitq́; ſe nullo modo pſpicere, qd ſibi uelint hæc deliramẽta Epicureorũ. Quale.) cuius naturæ, proprietatis ac ſignificationis. Valent.) pertinẽt ueſtri dij ſic delineati, ad mẽtis intuitũ, et nõ ſenſus. nec habẽt eminẽs corpus, atq; expreßũ et ſolidũ: ſed id ſolũ quod animus cõcipit, effingit. Idẽ erit cogitare de deo et hippocẽtauro, cuius forma nunquã uiſa eſt: quia nunquã re uera fuit, ſed poetæ ſic effinxerunt. Hippocentaurus dicitur figura ex equo et tauro coagmentata.

Conformationẽ.) effigiationem poëtica licentia fictã atq; inductam.

Motum inanem.) cogitationẽ uanam & caſſam, quoniã re nulla eſt. Vos, inquit, Epicurei uultis, quod imagines tales deorũ penetrẽt ad mentes humanas, et appareant animis, illosq́; moueant, ut credant deos eſſe immortales. Igitur.) Ponit exemplũ talis imaginationis, quæ uana dicitur. Epicurei aũt uerã opinabantur, propter naturæ uim quam imaginibus adſcribebant. M. Octauius collega fuit Tyberij Gracchi in tribunitia dignitate, qua priuatus fuit populi ſuffragijs, Graccho perſuadente ut agrarias leges & populares liberius ferre poſſet. Gabinius, inquit Pedianus Aſconius, plebem rogauit, ut Trebellio magiſtratũ abrogaret, ſicut quondã Tyb. Gracchus tribunus C. Octauio collegæ ſuo magiſtratũ abrogauit. Concionantẽ.) habentem orationẽ ad populũ. Sitella.) uaſculũ ore anguſto, ſed uentre latiori, in quod ſuffragia eligendorũ et abrogandorũ magiſtratuũ demittebantur. Deferre igitur de aliquo ſitellam, eſt ſuffragia de illo colligere, uoces uidelicet atq; uota. Quum.) quando imaginor uidere, & quotiẽs. Eum motũ.) talẽ imaginationẽ, ac uiſum. Inanẽ.) uanum & imaginariũ, nulla ueritate ſubnixũ. Remanere.) ſupereſſe putas, et aſſueras. Gell. agens de uidendi ratione, deque cernendi natura, dicit: Epicurus affluere ſemper ex omnib. corporibus ſimulacra quædã corporũ ipſorum, eaq́; ſeſe in oculos inferre, atque ita fieri ſenſum uidendi putat. In Capitoliũ.) in quo uidetur cõcionari Gracchus. Referantur.) reducantur, & appareant animo. Hoc idẽ.) ſimile dicis eſſe de diuinis imaginibus. Crebra facie.) aßidua & cõtinenti uiſione atq; aſpectu. Pellãtur.) pulſentur, tangãtur, moueãtur.

Ex quo.) ut ex hoc, id eſt crebro pulſu animorũ, uideantur dij eſſe immortales atq; æterni, quum nunq̃ ceſſet ille affluxus, ut hallucinabatur Epicurus. Fac imagines.) Eſto, inquit Cotta, quod ſint tales imagines, nunquam tamen deos efficient æternos, aut beatos. Duntaxat.) ſolũ uidetur

detur quoddam ſimulachrum, cuius uis id non efficit quod ſuſpicamini.

Num.) an ſcilicet obijcitur & apparet, cur ſit æterna talis imago? quaſi dicat, nõ apparitio, inquit, imaginis nec beatitudinẽ arguit, nec æternitatem, quoniã imaginattio uana eſt penitus. Quæ.) cuius naturæ, & qualitatis. Negat Cotta tales imagines. Vnde.) è quib. principijs et exemplarib. cũ deus ſit incorporeus. Hæc licẽtia.) libertas garriendi ad libidinẽ, & fingendi quicquid libuerit, ſine ratione & cauſa, quod phyſico turpißimũ eſt, cũ eſſe debeat ueritatis indagator. Exitũ.) finẽ. Nihil, inquit, cõcluditis: nihil probatis, ueſtra ratio inanis eſt omnino. Tota res.) Hæc cauſa quæ eſt de ui deorũ. Vacillat.) nutat. Claudicat.) nõ recte incedit, ſed debilitatè ruit, ſtareq́; nõ poteſt.

Nã quid eſt.) Rationẽ affert huius claudicationis. Probari.) commendari et recipi, tanquam ueriſimile. Alibi dicit, probas mihi iſta Craſſe, id eſt probabilia facis & credibilia. Incidere.) incurrere. Ex forma, ſecundũ uarietatẽ figuræ, quam habuerunt. Quomodo illi.) ſcilicet fuerunt: quaſi dicat, aliqui ex his quos nominaui nõ fuerũt. Quorum.) quaſi dicat, ſi non fuerũt imagines eorũ, non poſſunt in obtutũ incidere. Cuiuſdam cerdonis.) uilis hominis. Cerdo dicitur, qui artem illiberalem exercet, gratia lucri, quod κέρδος græce dicitur. tales homines appellantur latine lucriones. Præſto eſt.) aduenit, apparet. præſens eſt, cum mihi placuerit, eamq́; uocauerim. ideo ſubiungit, ad dormientem ueniunt non uocatæ. Nugatoria.) futilis, uana, & delira.

Inculcatis.) obijcitis, ingeritis. Impunitas.) licentia, quicquid in os uenerit, more auium. Ad.) ſed. D pro T ponitur, ut etiam apud græcos. Idem Cicero in Officijs, ad aucta uectigalia licentioſum imprimis eſt, inquit, quod de frequenti tranſitione ac fluxu imaginum dicitis, ut cum ſint multæ, una tamen eſſe uideatur ob continentẽ ſucceßionem.

Fluentium uiſionem.) ſpecierum & ſimulachrorum apparentium.

Continenter.) continuatè ac ſemper. citra ceſſationem. Hoc, inquit, probari non poteſt, nec concluditur eſſe æternas, etiã ſi continenter ferrentur. Innumerabilitas inquis ſuppeditat atomorum.) Hæc erat ratio Epicureorum, quare eſſent æternæ imagines, quæ infinita eſſet multitudo ſeminum quibus imagines renouantur. Suppetitat.) abundat, ſufficit, adeſt infinita. Eadem iſta.) continenter ſcilicet ferri. & ſuppeditatio atque inumerabilitas atomorum, poterunt'ne dare perpetuitatem rebus? quaſi dicat non, & uos nil affertis quod hoc concludat & probet. Confugis ad æqui libertatẽ.) ἰσονομίαν interpretatus fuerat Velleius æquam tributionẽ, ab ἴσος, et νέμω, id eſt tribuo: Cotta uero

ἀ νόμω, id eſt à lege originat. & melius uera libertas legibus continetur, cum æquo & pari iure ciuilitas cuſtoditur, uiolatis legibus libertas premitur, & tyrānicus fit dominatus. Iure igitur ἰσονομία *græcè, æqui libertas latinè dicitur.* Si placet.) Deuitat arrogantiam, quum non planè affirmet hanc eſſe ueram originationem, & interpretationem iſo nomiæ. Iſto modo.) Verbi gratia. & ponit exempla. Deos iſtos.) Quales effingunt Epicurei. nego eſſe, inquit Cota: & ideo ſi non ſunt, conſeruari non poſſunt per affluxum atomorum, ut uos ſomniatis.

Omnis tamen.) Etiam, inquit, ſi concedatur eſſe infinita quæ dicitis ſemina, tamen non poſſent rerum tantarū & uariarū figuras effingere, figurare, colorare atq; animare. Ex indiuiduis.) minimis & inſecabilibus. Nulla ſunt.) quoniā minimū corpus in rerū natura nō datur, ut ſuprà probatū eſt. Figurare.) figurā dare, ac lineamēta deſcribere: ergo, inquit, deus ueſter, ita formatus ut uultis, nō eſt immortalis, quū illa uana ſint quib. eū efficitis immortalē. Videamus.) Hactenus ademit Epicureo deo immortalitatē, deinceps beatitudinē adimet. Sine uirtute.) quoniam beatus is dicitur, cui nullum deeſt bonum. uirtus autem inter bona corporis & externa ſupremū obtinet gradum, & eſt in actu, quo ad fieri poteſt iugiter, nec ſolo habitu cōmendatur: qui ergo nihil agit, nullam uirtutem habere dicitur. talis eſt deus Epicureorum, quid ſequatur uides. Actuoſa.) plena actu & uſu ſui. Virtutis, inquit alibi Cicero, laus omnis in actione conſiſtit. ille uiuit, qui alijs prodeſt, & ſe utitur, ait Seneca. & philoſophus non in habitu, ſed in actu ſtudioſo felicitatem ciuilis hominis poſuit. Quæ ergo uita.) Quærit Cotta qualē uitam degat talis deus, ut tandem adimat illi omnem delectationem, omne quod habetur bonum, & conſequenter ipſam felicitatem. Suppeditatio.) Reſpondet Velleius, uitam ſui dei eſſe quandam ſufficientiam & redundātiam omnium bonorum, ſine aliqua interpellatione alicuius incommodi. bona uero Epicureorum, erant corporeæ uoluptates.

Delicatis.) mollibus, teneris, laſciuis et exquiſitis. Obſcœnis.) turpibus. Perſequitur.) enumerat, explicat, enarrat omnis uoluptates, quæ quinq; ſenſibus percipiuntur, ſed maximè guſtu & tactu, quæ minus habent ingenuitatis, & communiores homini ſunt cum beſtijs, & ideo magis infames, & cenſoria nota digniores. Perfundas.) irriges, & impleas iucundo motu ſenſuum. Melius, inquit, poetæ quàm uos. hi quippe potioni & cibo deorum nectar & ambroſiam ſuauem herbam conuiuijs deorum cōmenti ſunt, ut deos citra uoluptatem aliquam non fingerent. quamuis nectar & ambroſia ſi ad rationem reuocentur, immortalitatem

mortalitatem et æternitatem ſignificent, quibus diuina natura paſcitur & fulcitur. Iuuentutem.) *deam pubertatis, quæ dicitur* Hebe, Iunonis *filia, &* Herculis *uxor.* Ducis.) *putas & æſtimas, corporeas uoluptates eſſe leues, ac nullius penè precij, comparatione maiorũ delectationum ad animos pertinentium, & ad ipſam deniq; indolentiã, ut* Epicurus *opinatus eſt.* Titillatio.) *motio & pulſus quidã iucundus ſenſui: qualis titillatus eſt in quibuſdam partibus corporis, & maximè ſub brachijs, ubi ex tactu pruritus quidam excitatur, non ſine riſu.* Quo uſq; ludis.) *iocaris, atq; derides.* Noſter.) *Academicus.* Molles.) *laſciuas, libidinoſas.* Delicatas.) *teneras, oblectãtes corpus, atq; ſuaues.* Collega.) *ſocius diſciplinæ, & alter* Epicurus. Dubitet metiri.) *æſtimare, iudicare, conſiderare.* Ventre.) *cibo, potu ac uenere. Metiri aliquid aliqua re, eſt illud ex ea tantũ componere.* Epicurus *omnia ſua bona metiebatur uoluptate,* Stoicus *philoſophus uirtute ſola, uetus* Academicus *et* Peripateticus *triplici genere bonorũ, fortunæ, corporis, & animi.* Annuere.) *nutu affirmare quæ dico.* Referantur.) *reducantur tanquã ad ultimum finem.* Alia quæſtio.) *diſputatio pertinens ad actuoſam philoſophiã, & fines bonorum atq; malorum.* At dolore.) H*æc erat opinio* Epicureorũ, *ſummam uoluptatẽ eſſe nihil dolere. Apud eundem in* 1. *de* Finib. *Epicureus* Torquatus *dicit:* Non *enim hanc ſolam uoluptatẽ ſequimur, quæ ſuauitate aliqua naturã ipſam mouet, et cum iucunditate quadã percipitur ſenſibus: ſed maximã illam uoluptatẽ habemus, quæ percipitur omni dolore detracto.* Satin.) Pro *ſatis'ne, eſt indolentia ad efficiendã uitam beatiſſimam? quaſi dicat non.* In 2. *de* Finib. *confutans* Cicero *hanc opinionem, dicit:* Quis *eſt qui non uideat hæc eſſe in natura rerum tria? unũ, cum in uoluptate ſumus: alterum, cũ in dolore: tertium, hoc in quo nunc quidẽ ſumus. Credo equidẽ nos nec in dolore, neq; in uoluptate. ut in uoluptate ſint, qui epulentur: in dolore, qui torqueantur.* Tu *aũt inter hæc tantam multitudinẽ hominum interiectam non uides, nec lætantiũ, nec dolentium.* Comprehende.) *concipe & imaginare ita eſſe, ut dicitis: tamen beatus eſſe non poteſt, cũ pulſetur, ut uos uultis, ſempiterno in curſu atomico.* Pulchrè.) *benè atq; iucundè.* Effluant.) *exeant & tranſeant.* Aduerſus.) *erga numen colendũ.* At quomodo.) *quaſi dicat, uerba ſunt religioſiſſimo uiro digna, ſed ficto corde atq; ore prolata, cum reuera omnem religionem euerterit* Epicurus, *dicens in* Deo *nec gratiã eſſe, nec iram. ideo quippe* Deum *colimus, quia eſt in nos beneficus: & timemus, quia legitima indignatione delinquentes punit. Verbis ergo dijecit aras, ut* Xer-

xes olim,euertit templa & altaria græcorum. Idem Cicero *in ſecundo de Legibus, agens de delubris, dicit:* Nec ſequor *magos* Perſarum,*qui bus autoribus* Xerxes *inflammaſſe templa* Græciæ *dicitur, quod parietibus includerent deos,quibus omnia deberent eſſe patentia & libera, quorumq́; hic mundus omnis templũ eſſet & domus.* Non colant.) *ament,& aliquo beneficio proſequãtur,& ornẽt.* At eſt eorũ.) Hæc *erat ratio* Epicureorũ,*quare deus eſſet colendus,etiã ſi nil ipſe curaret, aut ageret:quam opinionẽ* Cotta *refellit.* Pietas. *)optima diſpoſitio et iuſtitia,deo tribuens quod illi debetur.* Cõmunitas.) *conſociatio,& cõmunicatio munerũ et beneficiorũ.Si nihil,inquit,habent cõmune nobiſcũ,ſed ſibi tantum uiuunt,nullũ ius inter nos & illos intercedit,nulla lex,nulla obligatio.* Nã ſuſperſtitione. *)nõ eſt difficile,inquit,libera re animos ſuſperſtitione,id eſt uano deorũ metu, illis qui dicunt deũ uacare ira,et gratia.iccirco nolite gloriari uos* Epicurei, *quod hoc effece ritis.* Qui *deum nullo modo timent,ſuperſtitioſi eſſe nõ poſſunt. ſed illi qui deũ iraſci arbitrantur,& punire ſontes,& de humano genere bene mereri cogitantẽ,& benemerentẽ.* Vim.) *impetũ & iram punitricẽ. ita dixerat* Velleius: *Si nil aliud quærimus,niſi ut deos pie colamus,ut ſuperſtitione liberaremur,ſatis erat dictũ. Nam & præſtans deorũ natura,hominũ pietate coleretur. habet enim uenerationẽ iuſtam quicquid excellit,& metus omnis à ui atq; ira pulſus eſſet. Intelligitur enim à beata immortaliq́; natura & iram et gratiã ſegregari:quibus remotis,nullos à ſuperis impendere metus.* Niſi forte.) Quaſi *dicat,qui deos eſſe negant,ſuſperſtitioſi eſſe non poſſunt,cum nullã penitus habeant religionem.& ponit exempla.* Ne Protagoram quidem. *)id eſt cenſeo etiam* Protagoram *non fuiſſe ſuperſtitioſum, cum in ambiguũ reliquerit, eſſe deos aut non eſſe.* Neutrum libuerit. *)placuerit.quoniam dixit ſe dubitare,nec ſibi liquere,deos eſſe uel non eſſe.* Timor inanis. *)uanus & ſine cauſa,cũ ea timeat quæ timenda nõ ſunt,& nõ ſperanda ſperet.*

Pro cultu.) *iuſto & caſto dei metu,ac ueneratione, quæ deo debẽtur ob eius excellentiã et beneficia erga mortale genus maxima. ideo patrẽ illũ appellamus,& optimũ & maximũ.ſic loquimur,hoc continetur illa re,id eſt in ea conſiſtit et permanet.* Quid'ue.) *& hi etiã ſuperſtitionẽ,ac religionẽ penitus amouerũt,qui ſic opinati ſunt.* Cauſa reip.) *pro cõmuni utilitate rerumpublicarũ,quæ citra religionẽ non bene regi aut gubernari poſſunt.* Ratio) *perſuaſio humana & diſputatio, de natura hominis,natura coniuncti,atq; ciuilis, nec non ad honeſtatẽ nati,atq; gloriã.* Ceius.) *ex* Cea *inſula.* Prodicus *fuit ſophiſta tẽporibus illis*

illis apprime nobilis, multis claruit diſcipulis, inter quos enituit Iſocrates, cuius domus quaſi ludus quidã patuit, atq; officina dicẽdi. Quæ ratio.) modus perueniendi ad deos per uirtutes & principatus. Tractata eſt.) explicata & celebrata monimẽtis literarũ. Lactãtius ita ſcribit. Antiquus autor Euhemerus, qui fuit e ciuitate Meſſana, res geſtas Iouis, et cæterorũ qui dij putantur, collegit, hiſtoriãq; cõtexuit. hanc interpretatus eſt Ennius, & ſecutus. Interpretatus.) in latinũ uertit ſacrã Euhemeri hiſtoriã. Eleuſinẽ illam ſanctã.) religioſam, inuiolabilem, & Cereri ſacrã, quæ apud Eleuſinem Atticæ oppidũ religioſiſſime olim colebatur. ut communis mater. Auguſtã.) celebrem, & arcano ſacrorũ ritu illuſtrẽ. Auguſta loca dicuntur, rite dicata, & diuino nutu conſecrata, & maieſtate quadã prædita. Initiantur.) ſacris Cerealibus imbuuntur, et aſſcribũtur. Idẽ in Legib. ita ſcribit: Nil præclarius auguſtis myſterijs Athenæ pepererunt, quib. ex agreſti immaniq; uita exculti ad humanitatẽ, et mitigati ſumus, initiaq; (ut appellãtur) ita re uera principia uitæ cognouimus. Hæc Cicero. Strabo agens de Attica regione, dicit: Eleuſis urbs, ubi Eleuſinæ Cereris templũ extat, & myſticũ phanũ, turbæ theatralis capaciſſimũ. Orarũ.) extremarũ regionũ, ac per hoc remotiſſimarũ. ut celebritas loci oſtẽdatur. Carmẽ eſt hoc ueteris cuiuſdã poetæ. Samothracia, et Lẽnos.) inſulæ maris Aegei uerſus Thraciã: Apollonius, canẽs nauigationẽ Argonautarũ dicit: Minyæ iuſſu Orphei nauim appulerũt ueſperi ad inſulã Electræ Atlãtidos, ut initiati ſacris inuiolabilibus, per mare ſoſpites nauigarẽt. Vlterius nõ dicã. Gaudeat inſula, & habitatores, qui talia orgia ſortiti ſunt, quæ canere nobis fas nõ eſt. Interpres aũt ſic enarrat. His ſacris initiatus, in marinis ſaluatur fluctibus. Vlyſſẽ dicunt initiatũ, in Samothracia uſum fuiſſe tenijs circa uẽtrẽ Initiãtur caberis quatuor, quorũ nomina hæc ſunt, Axioros, Axiocerſa, Axiocerſos. et Caſmillos, id eſt Ceres, Perſephone, Pluto, & Mercurius, ut Dionyſiodorus autor eſt. hæc illa tellus Electria, inquit Valerius Flaccus, Threijcijs arcana ſacris, hic numinis ingẽs Horror, et incautis decreta piacula linguis. Rerum.) id eſt terræ, quæ ſub Cereris nomine colebatur myſticis ſacris. & ignis, qui ſub nomine Vulcani colebatur apud Lemnum inſulam, Samothraciæ uicinam. Nutare.) fluctuare, uacillare, ambigere, dubitare. Tum.) modò, & interdum, putat, & iudicat. Principia.) ſemina rerum. Mentes.) intelligentias. Animantes.) animam habentes. Tantas'que.) tam magnas, ut totam rerum naturam contineant, & ambiant. Patria.) id eſt Abdera urbe Thraciæ, cuius aẽr craſſius erat. Vnde Iuuenal. Cuius prudentia mon-

tia mõſtrat, Summos poſſe uiros, & magna exempla daturos, Veruecũ in patria, craſſoq́; ſub aëre naſci. et illud, Abderitanæ pectora plebis habes. Delirationis Abderitarũ meminit etiam Lucian. Cõprehendere.) concipere, imaginari, & ueras eſſe credere. q.d. nemo. Cultu.) honore. Religione.) reuerentia, & cõſecratione. Opem.) auxiliũ, præſidium, & ſubſidiũ in rebus aduerſis. Gratiã.) benignã mẽtem, atq; promptã ad benè promerendũ uoluntatem. Bonitate.) iuſtitia, benignitate, gratitudine, humanitate. Beneficentia.) collatione beneficiorum, & ſtudio donandi & auxiliãdi, atq; agendi res eorũ qui cari nobis ſunt. Carum.) amabilẽ & iucundũ. Carum id dicitur, quod eſt preciosum, et ob id amari dignũ. inde caritas, amor atq; ſtudiũ rei gratæ, iucundæ, caræq;. talis affectio dicitur à Græcis ἀγάπη. inde ἀγαπητὸς, amabilis, à uerbo ἀγαπάω, quod ſignificat amo rem aliquã, & in illa acquieſco. Melius.) uerius atq; eruditius. Cenſent.) iudicãt, ſtatuunt, ex cognitione cõiunctionis, quæ eſt homini cuicũq;, ratione humanitatis. Nã homo, ab homine quicũq; ſit ille, alienus nõ eſt, eumq́; fouere debet ac tueri, natura ita iubente, quæ hominẽ homini carũ fecit, & commendauit. Sapientes.) perfectos homines, & è natura uiuentes. Amicos.) beneuolos atq; beneficos. Etiã ignotis.) quibuſcunq; iuris naturam ducẽ ſequentib. Amabilius.) aptius, et dignius amari. Tria ſunt amabilia, fortunæ cõmoda, corporis & animi, quas uirtutes appellamus: quib. cætera cõparata, uix amabilia uidẽtur, tãta eſt bonorũ animi excellẽtia. Quid mali datis.) id eſt, multũ cõfunditis rationẽ rectã uiuendi, et gratificãdi. Quod enim benignitati noſtræ adſcribẽdũ eſt, quæ donare gaudet, & prodeſſe, uos Epicurei neceßitati apponitis, & uſuræ.

Imbecillitatẽ.) impotentiam, atq; inopiã. ſic enim dicebãt: ideo aliqui gratificantur quippiã quibuſdã, quoniã illorũ animos emereri ſtudent. quod nõ faciunt qui ex ſe ſufficiẽtes ſunt, quales dij habentur. quæ ratio uanißima eſt. Nã generoſa natura dare gaudet, potius q̃ accipere. illud enim ſuperioris eſt, hoc uero inferioris. illud ſufficientiã, hoc uero indigentiam arguit. Gratificationẽ.) collationem beneficiorũ, & liberalitatem, eſſe quandã imbecillitatẽ, & impotẽtiæ indiciũ. Vim & nat.) proprietatẽ diuini numinis, quæ cum ſit præſtans & eximia, par eſt debere eſſe benignißimã. Sed uos Epicurei, etiam inter homines nõ ponitis amorem gratuitum, ſed omnia ad propriam utilitatem & uoluptatem referenda cenſetis, omittitisq́; omnino naturam, quæ hominẽ homini conciliauit, & amicum fecit, nullum exigens fœnus amoris, ſed officium reſpiciens quod ſemper præſtandum eſt, & omnibus, ut decet.

Imbecilli.)impotentes,& per ſe non ſufficientes,id conſequi quod exoptat. Beneficos.)auxiliatores, & benefactores. Benignos.)liberales atq; munificos. Nulla eſt.) quærit Cotta,an ſit caritas gratuita inter bonos,qui propter bonitatem ſe amant,& non propter utilitatem,aut externa bona, quaſi diceret, eſt talis caritas, duce natura, & conſeruari debet his qui è natura uiuere cupiunt. Charitas.) amor, dilectio. Naturalis) conſentanea naturæ, quæ præmium fortuitum non expectat,ſed gaudet officio. Vnde Seneca dicit, benefacti feciſſe merces eſt. Carum ipſum.) Explicat Cotta uim & ſignificationem charitatis. Carum,inquit,dicitur preciosum, & dignum amore,à quo amicitia dicta, quæ eſt beneuolentia mutua, non latens. Ducta.)originata,et deriuata. Quam.)amicitiam,ſi propter noſtram utilitatem colemus,fœneratores erimus,non amici. Mercatura.)negociatio, et ars lucrandi. Prata et arua.)Homo propter ſe amandus eſt, cætera uero propter ſolam utilitatē diliguntur. Gratuita.)nullum exigens præmiū extrinſecum. Deorum.)amicitia debet eſſe magis gratuita,cum nulla re indigeant. Conſulant.)prouideant,et foueant. quod niſi fuerit,omnis ueneratio uana erit. Sacris.) ceremonijs,ut rite peragantur. hæc enim eſt cura pontificis. Auſpicijs.)augurijs,ut uoluntas diuina intelligatur in uolatu auium, et garritu, quibus præerat augurum collegiū. Quid optamus.)petimus,deſideramus. Vouemus.)promittimus conceptis uotis,ſi rem optatā impetrauerimus. quaſi dicat:Si dij humana non curant, nec hominibus conſulunt, fruſtra hæc omnia fiunt. ſed non ita ſentiendum eſſe,maiorum inſtituta nos docent, & religio caſtiſſimè quondam ſeruata, & pientiſſimè culta. At liber eſt.) Hoc afferebant Epicurei in argumentum, & indicium pietatis, & religionis Epicuri,dicit Cotta. Ludimur.) deridemur ab eo, qui aliter ſcripſit, & aliter ſenſit. Faceto.)id eſt nō ioccoſo natura,et urbano, ſed licentioſè ſcribenti quicquid ſub acumen ſtili uenerit. id eſt, inconſideratè ac temerè. Quæ ſanctitas.) ſcientia diuini cultus,& modus honorandi diuinam naturam. Non curant.) non regunt,aut gubernant. Nihil curans.)quaſi dicat,Non poteſt dici animata natura,quæ nullam habet curam. Nam bruta etiam curant ea quæ ad ſe pertinent, & ad ſua:quanto magis homines & numina curis occupari conuenit. Inuidiæ deteſtandæ.) deprecandi odij, repellendi,reijciendi. Deteſtari hoc loco idem eſt quod deprecari,amoliri, repellere, remouere. Inuidia etiam pro odio ponitur & offenſione, quoniam Athenienſes puniebant impios, ut Socratica cicuta oſtendit,& Protagoræ exilium, cuius dubitatio, pœnam effugere nō potuit, multo minus aperta profeſsio euitaſſet. Neq; enim.)ratio, quare ſic eſſet de Epicuro ſentiendum,quoniam cum eſſet philoſophus,ſciebat talem naturam non reperiri, nec tale corpus. poſuit autem, ut latenter oſtenderet deos non

mio niſi honeſtatis & officij propoſito. Quoniam recte,ut inquit Seneca,fe/ ciſſe, merces eſt.

IN LIB. II. DE NATVRA DEORVM PETRI MARSI COMMENTARIVS.

QVæ cum Cotta dixiſſet.) Confutatis Vellei Epicurei ſomnijs et delirame/ tis, Lucilio Balbo Stoicæ philoſophiæ conſultiſſimo, illius familiæ cui Pœ/ cile, id eſt uaria porticus dedit cognomentum, ſententia de dijs explicanda tri buitur. Qui dialectico inſtrumento ſubornatus, nec non uia & ratione diſſe/ rens, ut mos eſt Stoicis, quadripartita oratione, partes delegatas abſoluit con/ ſtantiſſimè. Cicero autem eloquij uel maximus autor, uiris inductis perſonam accomodans, dignitatem ipſam tuetur, atq; decorū. Næ.) certe. Incautus.) improuidus. Academico.) lubrico philoſopho, et omnia in dubium atq; am/ biguum reuocante. Rhetore.) diſerto, & eloquentiæ formulis ſubnixo, atq; inſtructo. Concredi.) certare, ac dimicare. Nam neq;.) rationem affert hu/ ius imprudentiæ. Vitandus mihi erat, inquit, congreſſus cum Academico rhe tore, et is erat eligendus, qui aut indiſertus fuiſſet Academicus, aut diſertus ali quis, qui philoſophiam non calleret. Laus eſt hæc non parua Ciceronis, qui ſummam dicendi uim uariæ philoſophiæ atque multiplici adiunxit. acutiſſi/ mè nanq; diſputauit, & diſertiſſimè. Indiſertum.) aridum, ſiccum, elinguem, infantem. Iſta.) lubrica & uaria. Non conturbor.) non commoueor. aut terror inani copia uerborum, qua fluunt hi qui philoſophicas ignorant uias, nec pondus habent ſententiarum. Inanium.) leuium, & ſine ſenten/ tijs: & ſententiæ, inquit, ſine decenti ornatu me non mouent. Siccitas.) ariditas quædam, & ieiunitas. Corona.) cœtus populi circunſtantis, & iu/ dicium conſeſſus, ut in cauſis fiebat iudiciarijs. Commodum.) aptum, & opportunum. Eſt philoſophi.) decet philoſophum ueritatis indagatorem, & pontificem ratione officij quo fungitur, & bonum ciuem, de deo bene ſentire ac loqui, ne ualidiſſima Reipub. fundamenta labefactentur. Cottæ.) princi/ pis uidelicet ciuis, & grauis. Non errantem.) fluctuantem & inſtabilem. Et uagam.) incertam. Noſtri.) Stoici, quorum dogma fixum eſt & certū. Habeo audire.) audiendum eſt mihi. Talibus rebus.) de dijs, eorumq; ui/ & natura. Quid non ſentirem.) id eſt, quod falſum mihi uideretur, potius quàm quod uerum. Dogma, inquit, meū nihil affirmat, & omnia in ambiguū reuocat. Quod ſi.) Etiam, inquit, ſi aliquid certū haberem, in aliud tempus illud differrem, te audiendi cupiditate ductus. Liqueret.) clarum eſſet, & manifeſtum. Viciſſim.) alternatim, & per uices alternationesq; collocutio/ nis. Geram morem.) obſequar tuo ſtudio, uoluntatiq; accedam. Agam rem.) tractabo compendioſè, ut Stoicum decet philoſophum. Conuictis.)

 confutatis

confutatis atque exploſis uanis Epicuri opinionibus,futilibuſ'que ſententijs. Oratio certè.)*profectò.* Quæſtionem.)*tractationem & inquiſitionem,ſiue diſputationem.* Docent.)*oſtendunt & probant eſſe diuinum numen.* Quales.)*cuius naturæ,ac proprietatis.* Adminiſtrari.)*regi, & guberna⁄ri.* Conſulere.)*prouidere,id eſt curam habere rerũ humanarũ.* Duo quæ priora ſunt.)*id eſt eſſe deos,et eſſe tales.* Quia maiora.)*maioris difficultatis ad probandum.* Differenda.)*proroganda in aliam diſputationem,& con⁄ditionem temporis.* Ocioſi ſumus.)*id eſt,negocia non habemus.Inuidioſè lo quitur,in Cæſaris tyrannidem,qui ciuiũ negocia,et curam imperij,in ſe unum tranſcripſerat.* Agimus.)*tractamus,& diſputamus.* Anteponendæ.)*præfe rendæ negocijs,etiam publicis.prima etenim cura de deo,ac religione eſſe de bet,ſine quibus Reſpub.ſtare non poteſt.Ferijs autem latinis hæc acta ſunt,et ocium erat atq; uacatio à publicis muneribus: tamen ad uim Cæſaris reſpicie bat Cicero,& alludebat.* Ne egere quidem.)*Quod dij ſint,inquit Balbus,cui dentiſſimum eſt.opus enim opificem arguit,& qui cœlum ſuſpicit, & ratum cœleſtium ordinem, illius autorem & moderatorem non ignorat,ut ratio nos in his inferioribus inſtruit.* Numen.)*potentiam,efficaciam, & diuinitatem. Nutus eſt ſignum motuſq; capitis,& uoluntas quæ tali ſigno declaratur.Vn de dicitur nutus & renutus,affirmatio aut negatio,ſiue promiſſio aut recuſa⁄tio.* Qui.)*quo modo.* Aſſenſu.)*cõprobatione.* Sublime candens.)*cœlũ lu cidum atq; ſplendidum. Candens à candore dicitur,& non calore.Vnde can didæ mentes,nullo liuore denigratæ:candidiq; mores,puri, & nulla labe infe cti.* Quem Iouem.)*Ecce relatiuum ſequenti nomini iungitur.ut Saluſtianum illud, Eſt locus in carcere quod Tullianũ appellatur.* Nutu.)*poteſtate, atq; arbitrio.* Præſentem.)*omnia uidentem,moderantem,atq; beneficũ,& pro⁄pitium.nam à iuuando,iuuans pater dictus eſt.Præſens dicitur numen, quod ſtatim fauet: & præſens remedium, quod ſtatim curat.* Præpotentem.)*id eſt,maximarum uirium.* Quod qui dubitet.)*Senſus eſt,qui uiſo cœlo,dubitet eſſe cœli autorem & moderatorem, dubitare poteſt, an ſit ſol quem ſingulis diebus intuetur, aut non ſit.res enim manifeſta negatur, cum an ſol ſit ambi⁄gitur.* An nullus.)*an non ſit.* Hoc.)*ſcilicet eſſe ſolem, non eſt euidentius, & manifeſtius.* Illo.)*eſſe uidelicet numen præſtantiſſimæ mentis, quo cœ⁄lum cœleſtiaq; regantur.* Inueterare.)*perſeuerare tot ſæculis.* Vanas.)*fal⁄ſas,inanes,atq; mendaces.* Extabuiſſe.)*corruptas eſſe,atq; euanuiſſe.* Ex⁄cors.)*delira, & inſcia.* Portenta.)*monſtra inferna,quæ Poëtæ ad terro⁄rem confinxerunt.* Commenta.)*fictiones.* Dies.)*tempus ipſum quod om⁄nia detegit,& omnia uorat.* Delet.)*corrumpit,nullas'que eſſe oſtendit,ob⁄literat'que.* Naturæ.)*rei naturalis ac ueræ. quoniam communis conſenſus*

uidetur

uidetur eſſe uox naturæ, quam aut deum, aut diuinum inſtrumentum appellamus. Cultus.) ueneratio, & pietas. Sanctitates.) integritates cerimoniarum, ritus'que ſacri. Non temere.) uane, ac ſine certa cauſa, aut fortuito. Lacus Regillus.) eſt uia Præneſtina, nunc dicitur uulgo Palus griphi. Lucius Florus agens de hac pugna ad Regillum lacum, dicit, Ea fuit atrocitas prælij, ut interfuiſſe ſpectaculo deos fama tradiderit, duos in candidis equis: Caſtorem & Pollucem, nemo dubitauit. Dictator nihil nec diuinæ nec humanæ opis prætermittens, ædem Caſtori uouiſſe fertur. Noſtra acie.) Romano exercitu. Recentiore memoria.) recordatione uiciniore, quoniã longè poſt fuit Macedonicum bellum contra Perſen. Vaciæ.) dicuntur, quorum pedes & crura flectuntur ad partes exteriores. inde Vacienorũ cognomina: & Varorũ, quorum pedes & crura ad interiora obliquantur. E præfectura Reatina.) ex Reate, quod olim proprium habuit præfectum, ut alia permulta. Præfectura ſignificat præfecti munus, & urbem, ſiue regionem tali magiſtratu gubernatam. hunc Vacienum Reatinæ præfecturæ uirum appellauit Valerius Maximus in primo Exemplorum. Quaſi temere.) uanè, & inconſultè, quaſi in contemptum reipublicæ. Poſt à Paulo.) Conſule uidelicet Paulo Aemilio, qui Perſen cepit: Poſtquam, inquit Valerius, Pauli literis illo die Perſen captum apparuit, & cuſtodia liberatus, & inſuper agro & uacatione donatus eſt. Conſtitiſſet.) conueniſſet, & non diſcreparet. Vacatione.) immunitate, ut ſcilicet non teneretur ad aliquod munus: id eſt, onus pro Republica ſubeundum. Vacatio dicitur, quoniam omni onere ſit uacuus & liber qui tali ſorte donatur. Lactantius ait, cum haberet eius muneris uacationem. Sagra.) Fluuius eſt Lucaniæ, in cuius ripa, ut autor eſt Strabo, Caſtoris & Pollucis aræ ſitæ ſunt: ad quas decem Locrorum milia unà cum Rheginis, aduerſus Crotoniatas, numero centum & triginta millia, Marte collato, uictores fuerunt. Olympia.) locus & regio Peloponneſi, ubi fuit olim Olympiorum celebritas, prope Piſam, & Olympum montem. Hebetem.) obtuſum, & ignarum. Impium.) prauè de deo ſentientem, & negantem eſſe uim diuinam. Præſentes.) fautores, & curatores rerum humanarum. Prædictiones.) Alia ratio qua deos eſſe, & hominibus conſulere oſtenditur. Varia, inquit, diuinationum genera, id affirmant: quoniam diuinatio à diuis dicta eſt, quapropter iſta reciproca ſunt. nam ſi diuinatio eſt, dij ſunt: & ſi dij ſunt, eſt diuinatio. Præſenſiones.) præſagitiones. Portendi,) ſignificari. Quod ſi.) Forte, inquit, dices nomina augurum, quos antiquitas celebrauit, ficta fuiſſe à Poëtis. ego autem reſpondeo, Poëtas non fuiſſe nominaturos augures illos, & uates, ſi auguria, & uaticinia, non fuiſſent: Chalcantem, inquit idem in Diuinatione, augurem ſcribit Homerus,

longe optimum. Amphilochus & Mopſus Argiuorum reges fuere, atque au/
gures, & ante hos Amphiaraus & Tireſias: Thebani hi fuerunt, non hu/
miles, & obſcuri. quid Aſiæ rex Priamus: non ne & Helenum filium, &
Caſſandram filiam diuinantes habebat? Aſciuiſſent.)recepiſſent,& nomi/
naſſent augures. Si res.) ueritas ipſius augurij. Repudiaret.)reijceret,at/
que negaret. Domeſticis.)Romanis incommodis, ob contemptum et impie
tatem acceptis. Temeritas.)imprudentia,& impietas. lege hiſtoriam apud
Polybium,& eundem in primo de Diuinatione. Nihil mouebit.)non coget
credere. Pulli.)galli gallinacei, quos Pullarius cauea circumferebat in exer
citu,ut auſpicium ſoliſtimũ poſſet fieri. malum erat ſignum, ſi edere renuiſ/
ſent,offamq; eſſent auerſati. Eſſe.) comedere. Riſus.)iocus,& contem/
ptus religionis. Collega.)ſocius in cõſulatu. Conſciuit.)aduocauit,intulit.

Coelius.)Antipater,ciuis Romanus,annales ſcripſit. De Flãminij temerita/
te dictum eſt ſatis apud Sillium. Exitio.)calamitoſo fine. Conferre.) com
parare. Externis.)peregrinis,& alienigenis. Cultu) ueneratione, ac pi/
entiſsimis cerimonijs. An. Atij naui.) Atij cognominati ſunt ab Ati Aeneæ
comite. Virg in quinto. Alter Atis genus,unde Atij duxere latini. Lituus.)
Inquit idẽ Cicero in primo de Diuinatione, clariſsimũ eſt inſigne auguratus.
id eſt curuum, & à ſummo inflexum bacillum. Inueſtigandam.) requiren/
dam,quoniam amiſerat. Quis non loquitur, alibi dicit Cicero, quæ ſit ab Atio
Nauio per lituum regionum facta deſcriptio, qui cum propter paupertatem
ſues puer paſceret, una ex his amiſſa, & reliqua. Terminauit.) definiuit,
atq; diuiſit. Negligentia nobilitatis.) Alibi dicit, Quocirca bene apud maio
res noſtros Senatus decreuit,ut de principũ filijs, ſex ſingulis Aethruriæ po/
pulis in diſciplinã traderentur. Diſciplina.) ſcientia,& ars. Species.)um
bra quædam,& imago uana. quaſi dicat, nomen tantum remanſit, & in uſu
urbano quædam ſimulachra huius artis exercentur. Nullis.)nullo captato
auſpicio. Perẽnia.)Dicebantur olim illa auguria, quæ conſul aut prætor am
nem tranſmiſſurus captabat. Acumina.)erant auſpicia militaria, quæ initu/
ri prælia exercebãt, ab acu et acie dicta. In ſecũdo de Diuinatione, dicit, Belli
cam rem adminiſtrari maiores noſtri niſi auſpicato noluerunt, quàm multi an
ni ſunt, cum à Proconſulibus, & à Proprætoribus adminiſtrantur, quàm au/
ſpicia non habent. Itaq; nec amnes tranſeunt auſpicato, nec tripudio auſpican
tur. nam ex acuminibus quidem, quod totum auſpiciũ militare eſt, iam Mar/
cellus ille quinquies Conſul totum omiſit, et idem Imperator, idem Augur op
timus. Nulli uiri uocantur.) quoniam augures olim ſingulis quibuſq; nonis
uocabantur ad conſultandũ, & commentandum. In primo de Diuinatione di

cit, Mul/

cit. Multa auguria, multaq; auſpicia negligentia collegij amiſſa planè, ac deſerta ſunt. Vos augures nonis conuenire ſolebatis. hæc Cicero. Vocabantur etiam augures à magiſtratibus, cum noui aliquid accidiſſet, ut ex illorum conſilio & ſententia id agerent, quod è Repub. uideretur. In procinctu.) expeditione ad pugnam. In procinctu fieri teſtamentum dicebatur, inquit Pompeius, quod pugnaturus miles, præſentibus commilitonibus nuncupaſſet. claſſis procincta dicitur exercitus, ad pugnam inſtructus. Cum poſuerunt auſpicia.) id eſt, poſt conſulatum atq; præturam, quæ dignitas habet ius auſpicandi, & pro conſulari diuione atq; pro prætoria gerunt bella, ut iam dictum eſt. Meſſala in libro de augurijs & auſpicijs, ut autor eſt Gellius, ita ſcripſit: Patriciorum auſpicia in duas ſunt poteſtates diuiſa. Maxima ſunt Conſulum, Prætorum, Cenſorum. Tanta uis.) autoritas, & maieſtas. Deuotarent.) addicerent, deſtinarent'que ut de Decijs legitur qui ſe pro legionibus deuouerunt. Capite uelato.) Liuius agens de Deciana deuotione dicit: In hac trepidatione, Decius Conſul Marcum Valerium, magna uoce inclamauit: Deorum, inquit, ope Valeri opus eſt, Agedum pontifex publicus populo Romano præi uerba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam ſumere iuſſit, & uelato capite, manu ſubter togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubiectum, pedibus ſtantem, ſic dicere: Iane, Iuppiter, Mars, pater Quirine, Bellona, Lares, Dijque manes, uos precor, ueneror, ueniam peto, ut populo Romano uim, uictoriamq; proſperetis.

Diſciplinam.) ſcientiam, & artem augurandi. Probauit.) commendauit, certus euentus, & experientia. Conſul iterum, id eſt, in ſecundo conſulatu. Crearet.) deſignaret, in menſe ſcilicet Octobris. & Conſules deſignati, Kalendis Ianuarijs, inibant conſulatum. Primus rogator.) id eſt, qui primam rogauit centuriam, an deſignaret tales conſules. hæc prærogatiua dicebatur. Idem in primo de Diuinatione ſic ſcribit: Prærogatiuam maiores iuſtorum comitiorum eſſe uoluerunt. hæc Cicero. Prærogatiua autem, nunc dicitur, prælatio quædam, & priuilegium. olim uero illa tribus, quæ prima rogabatur ſuffragium, in electione magiſtratuum. Vnde Aſconius Pædianus dicit, Prærogatiuæ ſunt tribus, quæ primæ ſuffragium ferunt. Retulit.) renunciauit ſuffragium prærogatiuæ, de his deſignandis, atque nominatim repetijt. Vnde gloriatur alibi Cicero, ſe fuiſſe à cunctis centurijs renunciatum Conſulem. Comitia.) deſignationem nouorum conſulum. Rem illam.) caſum primi rogatoris. In religionem.) in metum uiolatæ religionis, formidinemq; alicuius imminentis calamitatis. Retulit,) poſuit in conſultationem Senatus, ut cenſeret quid agendum foret.

Quos adſoleret.)mos eſſet,id eſt ad augures & aruſpices,more maiorum. Iuſtum.)legitimum & inculpabilem. Rogatorem.)deſignatorem,et creatorem,per rogationem.rogabantur etenim tribus,atq; centuriæ ſuffragia, & uoces. Auſpicato.)captatis auſpicijs,ſacriſq; peractis. Barbari.)ignari,et peregrini. Ius.)fas, & legitimum ritum auſpicandi, Romano inſtituto.

Interpretes.)enarratores, cognitores, & iudices. Comitiorum.) conuentuum,atq; electionum. Ex prouincia.) Sardinia. Libro tertio Epiſtolarũ ad Atticum,ſic ſcribit: Habet profecto quoddam Sardinia appoſitum ad recordationem præteritæ memoriæ.nam,ut ille Graecchus augur poſteaquam in iſtam prouinciã uenit,recordatus eſt quid ſibi in campo Martio accidiſſet. Ad collegium.)cœtum augurum,& corpus. Libros.) augurales uidelicet,uias & rationes ad auſpicia,& ſacra pop.Rom.pertinentes. Vitio.) perperam,& non ſeruato auſpicandi ritu, conſularibus comitijs. Tabernaculum.) dicitur tugurium,è tabulis,è quo ſpectabant aues,qui auguria captabant. Captũ.) electum ad ſacros ritus peragendos. Captus locus,inquit Pompeius,dicitur ad ſacrificandum legitimè conſtitutus. Hortos Scipionis.) qui erant in campo Martio, extra pomœrium, quod erat terminus Romani auſpicij. Igitur, quia inauſpicato legitimum terminum fuerat transgreſſus uitio, tabernaculum fixit in hortis ſuburbanis. Pomœrium.) Quid eſſet (inquit Gellius) augures pop.Rom. qui libros de Auſpicijs ſcripſerunt, iſtiuſmodi definierunt: Pomœrium,eſt locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum,penes muros, regionibus certis determinatus,qui facit finem urbani auſpicij.Habebat autem ius proferendi pomœrij, qui populum Romanum agro de hoſtibus capto auxerat. Habendi Senatus.) conuocandi ad conſultationem in curia, ubi publicæ curæ gerebantur. In redeundo.)reuertendo in campum Martium,ubi fiebant comitia, & electiones magiſtratuum,qui locus erat extra pomœriũ.

Auſpicari.) auſpicia captare,tranſiturus pomœrium,ut mos erat. Vitio.) perperã,& non ritè,ſed cum errato. Abdicarent.)ſpoliarent ſe magiſtratu, renunciarentq; dignitati.Figulus(autore Valerio Maximo in exemplis)è Gallia,Scipio è Corſica redierunt Romam,& ſe conſulatu abdicauerunt. Vir ſapientiſſimus.)conſummatiſſimus,& ciuis,& augur Gracchus. Peccatum.) erratum. Celari.) occultari,& diſſimulari,quoniam nullus animaduerterat, præter ipſum Gracchum. Hærere.)ceſpitare,atque errare. Autoritas.)æſtimatio & dignitas. Ex eodem genere.)ſimili qualitate ac natura diuinationis & præſagitionis. Interpretes.) enarratores & explanatores diuinæ uoluntatis, tanquam numinis aſſeſſores, et conſiliarij. Eſt boni auguris(inquit idem in Legibus)meminiſſe maximis reipub. temporibus præſto eſſe debere, Iouiq; optimo maximo ſe conſiliarium atq; adminiſtrum datum. At fortaſſe non

nō omnia.) Occurrit tacitæ obiectioni Balbus: docetq́; exemplo medicinæ, omnium earum artium quæ coniectura continentur, ſuntq́; opinabiles, eandem eſſe uim, & naturam, ut eſſe non deſinant artes, etiam ſi aliquando fallantur. Talis eſt medicina, gubernatio nauiū, adminiſtratio rei publicæ, ſcientia militaris. omnes enim hæ artes, coniectura nituntur, ultra quàm progredi non poſſunt. *Deorum natura.)* prouidentia & qualitas præſtantiſsimæ mentis, humanis uſibus per ſigna conſulentis. *Coniectura.)* interpretatio, et iudicium. *Summa.)* collectio atq; concluſio. *Conſtat.)* conuenit, et conſonat. *Innatum.)* ingeneratum, informatum. *Inſculptum.)* impreſſum, ab ipſa natura. *Quales)* qualis naturæ. *Variū.)* diuerſum, multiplex, diſsimile. uariæ (inquit) ſunt philoſophorum opiniones, de qualitate deorū: quod autem ſint, una eſt, & conſona. *Cleantes.)* inter Stoicos magnus, & nobilis fuit, ex Aſſo urbe Troadis. *De.)* ex, et à quatuor cauſis. ita loquimur, Accepi de patre, à patre, ex patre. *Informatas.)* impreſſas, inſculptas, et effigiatas cognitiones de deo. *Præſenſione.)* præſagitione, & prænotione. diuinatio enim à dijs ducta, oſtendit inprimis eſſe deos. In primo de Diuinatione, inducit Cicero Q. Fratrem, Stoicè ſic diſſerentem: Ego ſic exiſtimo, ſi ſint ea genera diuinandi uera, de quibus accepimus, quæq́; colimus, eſſe deos: uiciſsimq́;, ſi dij ſint, eſſe qui diuinent. Reſpondet Cicero: Arcem Stoicorum tu quidem, Quinte, defendis. Si quidem iſta ſic reciprocantur, ut ſi diuinatio ſit, dij ſint: & ſi dij ſint, ſit diuinatio. *Commodorum)* utilitatum, quas efficit cœli temperamentum, in his inferioribus, ut tepore, calore, ac frigore omnia pubeſcant, atq; matureſcant. *Temperatione.)* modificatione caloris, & frigoris. *Fulminibus.)* quæ Ioui adſcripſit antiquitas. Seneca in Naturalibus quæſtionib. dicit: Utile fuit in tanta audacia ſcelerum eſſe, aduerſum quod nemo ſibi ſatis potens uideretur. ad terrendos itaq; eos, quibus innocentia niſi metu non placet, poſuere ſuper caput iudicem, uel uindicem, & quidem armatū. *Tempeſtatibus.)* fragore cœli, et commotione. *Nimbis.)* pluuijs, et uentis. *Vaſtitate.)* deſolatione regionum, et corruptione frugū, fructuum, et animaliū. *Peſtilentia)* corruptione aëris, et inuulgario morbo, quē epidemiam uocant græci, quaſi inuulgarium, et contagioſum. *Terremotibus.)* agitationibus terrarū, atq; ruinis urbium, & ædificiorum. *Fremitibus.)* gemitibus terræ, atq; ſtridoribus. *Hiatibus.)* ſciſſuris, & foueis horrendis, atq; peſtilentibus. *Portentis.)* mónſtroſis figuris, præter uſitatum naturæ ordinem naſcētibus. *Facibus.)* ignibus inſolitis: & flammis diſcurrentibus, more iaculorum. *Bello Octauiano.)* ciuili, quod fuit inter Octauium Conſulem et Cinnam. caput Octaui pependit in foro. lege hiſtoriam apud Appianum libro primo bellorum ciuilium. Plinius agens de cometis, dicit terrificum magna ex parte ſidus, atque non leuiter piatum,

ut ciuili motu Octauio conſule. Geminato.)duplicato. Vim.)potentiam, et efficaciam. Suſpicati.)opinati. Aequabilitatem.)tenorem conſtantem,et perſeuerantem uniformiter,atq; temperatè. Conuerſionem.)reuolutionem ab ortu ad occaſum. Diſtinctionem.)collocationem,& ſeparationem. Ordinem.)ratum curſum,& modum progrediendi,regrediendiq; citra confuſionem,quæ nullum ſeruat ordinem. Fortuita.)caſu effecta,ut Epicurei hallucinabantur. Vt ſi quis.)Exemplo id oſtēdit,atq; confirmat. Gymnaſiū.) locum in quo adoleſcentes aliqua arte exercentur, & diſciplina: ut eſt theatrum,circus,ſchola,ludus. Rationem.)artem. Modum.)commenſurationem & proportionem,quam ſymmetriam & analogiam appellant Græci.

Diſciplinam.)normam agendi,& ordinem uiuendi. Vnde priuata diſciplina dicitur,& publica,modus uiuendi & conuerſandi domeſticus,& ciuilis.

Sine cauſa.) ratione, ac prouidentia. Pareatur.)obtemperetur, tanquam præceptori à diſcipulis,& laniſtæ à gladiatoribus. Viciſſitudinibus.)alternationibus. Ordinibus.)ordinatis progreſſibus, & regreſſib.citra confuſionē.

Statuat.)iudicet,ac pro certo affirmet. Mente.)ratione,conſilio,prouidentia. Chryſippus quidem.) Acutiſſimo,inquit Balbus,ingenio fuit Chryſippus, attamen argumentum,quo utitur ad probandum quod eſt Deus,ab ipſa natura accepit,nec ipſe commentus eſt. Acerrimo.) acutiſſimo,& perſpicaciſſimo. Si enim.)Hæc erat ratio Chryſippi probantis eſſe Deum,ab effectis quæ ratio humana,et uis efficere nequit. Mens.) intelligentia. Ratio.) conſilium, & ars. Vis.)robur,& efficacia. Poteſtas.)poſſibilitas. Atqui.) certe, hæc eſt aſſumptio, ſiue minor,ut uulgo dicitur. Ordo.) diſpoſitio uacans temeritate,& confuſione. Quid dixeris.) quaſi dicat talis effectrix cauſa non mereretur aliud nomen, quàm diuinum. Etenim ſi dij non ſunt.)Hæc eſt ratio Chryſippi,et Stoicorū,deos eſſe aſſerentium:ſi dij nō eſſent. nihil eſſet homine præſtantius: at hoc aſſerere arrogans eſt,demens,atq; abſurdū: ergo et illud ex quo ſequitur. In natura.)qualitate,ac proprietate rerum naturalium,et procreatarū. Ratio.)mēs,conſilium,prudentia. Arrogantiæ.)ſuperbiæ delirantis,& principatum ſibi temere aſſumentis. An uero.) Exemplo rationē ſuam confirmat Stoicus. Adduci.)trahi in hāc opinionem,ut credas,& putes. Dominū.)poſſeſſorem,& habitatorem. Muſtelis.) longioribus muribus, qui uulgo donulæ appellantur. Vim.) potentiam,& efficaciam. Planè.)omnino,ac penitus. Deſipere.)delirare,ac inſanire. An ne.)Hoc aliud argumentum à natura,et qualitate aëris & cœli aſſumptum: quo excellentia ſublimis ac diuinæ naturæ comprobatur, à qua humana ratio & mens delibata eſt. Supera.)eminentiora,& ſublimiora.

Grauiſſimus.)denſiſſimus,caliginoſus,& feculentus. Ob eam cauſam.)

id eſt,

id eſt craſſum aërem. Hebetiora.)obtuſiora & craßiora. Pleniorem naturam.)denſiorem & craßiorem qualitatem aëris, & proprietatem. Ex ipſa ſolertia.)acumine ingenij,ac mentis oſtenditur excellentia cœleſtis ratio nis,unde humana defluxit. Acriorem.)acutiorē,fortiorē,ſubtiliorem. Vnde.)quaſi dicat ab illa diuina hæc accepta eſt,ut apud Xenophontem in commentarijs aſſerit Socrates. Quin et humorem.)Principia, inquit Balbus,cæterarum rerū,quibus homo conſtat, manifeſta ſunt,elementa ſcilicet.ratio autem,& mens,non eſt ex elementis:igitur à deo, aut à quinta quadam natura, ut opinatus eſt Ariſtoteles.uerum nos tenemus Stoicos,atq; probamus. Viſcerum.)ſub cute latentium,id eſt carnis,neruorum,cartilaginis, & oßium.

Soliditatem.) duritiem. Animum ſpirabilem.) uitalem, & animalem. Animus enim ab anima, id eſt aëre dictus, ut idem Cicero in quæſtionibus Tuſculanis aſſeuerat. Spiritus.) natura ſpirabilis, & animalis, cuius afflatu omnia uiuunt. Vnde.)Quaſi dicat, non aliunde accepimus, niſi à Deo, quem mundum appellabant Stoici,tanquam omnia complectentem & continentem. An cætera mundus.)Probat nunc, mundum habere rationem undique perfectam. Plurimum.) maximum & excellentißimum.

Atqui.)Certe,inquit, præſtantißima natura excellentißimas dotes habere debet. hæ autem ſunt ratio, & ſapientia. Quid uero.) Aliud argumentum, ſumptum à conſenſu & concordia earum rerum, quæ tales eſſe non poſſent, niſi diuina prouidentia continerentur, nutu'que regerentur.

Conſentiens.) concors, & continens. Conſpirans.) conueniens citra diſcrepantiam.Conſpirare,eſt ſimul ſpirare,idemq́; ſentire. Continuata.) perſeuerans citra interpellationem. Cognatio.) affinitas rerum, commixtio,conſenſus,quam antipathian appellant Græci. Vno tempore.) ſtato & certo,inculta eſſe,gelari,deinde uernare,atque florere. Vicißim.) per uices, & alternationes temporis. Horrere.) frigeſcere, in glaciem cogi,& hyemalem ſqualorem. Solſtitia.) ſunt in Capricorno, & Cancro: æquinoctia uero,in Ariete ac Libra. Tot rebus.) uarijs naturis, & qualitatibus frugum, fructuum, foliorum, & temporum. Solſtitijs.) acceßibus ad cœli uerticem. Brumis.) hyemalibus diſceßibus ab imo ad ſummum, per obliquitatem ſigniferi. Cognoſci.)percipi humano ingenio,et ſenſibus. quaſi dicat, tales acceſſus & diſceſſus ſine deo eſſe non poſſent,nec ab hominibus obſeruari atq; cognoſci,nec rata haberent tempora, & ſtatas in tanta uarietate uices,ſine opifice ſollertißimo atq; moderatore. Aeſtus.) acceſſus maris & receſſus.inde æſtuaria dicuntur loca maritima, & ualles quas replet maris æſtuatio & feruor. Anguſtiæ.) compreßiones, & coartationes

quem nomine mundi & naturæ Stoici appellabant & intelligebant. Alantur,*animam habeant altricem, et uegetantem.* Creſcant.)*augeantur.Calor, inquit philoſophus,augendi uim obtinet.ſanguis autẽ copia,caloris indicium eſt.* Vim.)*efficaciam,& potentiam.* Cietur.)*mouetur.* Agitur)*impellitur.* Suo.)*proprio,intrinſeco,& naturali.* Certo.)*definito, conuenienti.* Aequabili.)*continuato,& moderato.* Senſus.)*ſenſitiua cognitio.* Vita.)*uitalis ſpiritus.* Quanta uis.)*poteſtas,& efficacia.* In omni corpore)*in omni membro naturæ.* Grauem.)*durum.* Concoquatur.)*ſimul molliatur, digeratur,& maceretur.* Cuius.)*cibi calor eſt.* In his reliquijs.)*id eſt excrementis ciborum & fecibus.* Micare.)*moueri,& pulſum habere.* Cum cor animantis.)*Ariſt.agens de partibus animalium,& corde ſanguinis & caloris fonte dicit: Nec ratione tamen ita eſſe probatur,uerum etiam ſenſu percipitur.nam in partuum prima generatione,ſtatim cor palpitare cernitur,quaſi animal ſit,ut quod principium ſit naturæ eorum quæ ſanguinem habent. argumentum uel inde duci poteſt,quod nullum animal ſanguinis compos caret corde,quod calidiſsimum,& ſanguine refertiſsimum habet homo.Vnde animalium homo unus, erectus eſt caloris enim natura inualeſcens, incrementum de medio agit pro ſuo impetu.* Palpitaret.)*leuiter & frequenter mouetur.* Animal.)*quod habet ſenſibilem cognitionem, ſine qua non dicitur animal.* Terra editum,*quod animam habet altricem,ſiue uegetantem.* Caloris naturam.)*qualitatem,et proprietatem.* Vim.)*poteſtatẽ & efficaciam.*

Vtilitatem.)*animalẽ,& uitam præbentẽ,quæ in calore conſiſtit.* Pertinentem.)*diffuſam,extenſam,permeantem.* Cernemus.)*percipiemus, & quaſi oculis cõprehendemus,tangemusq; manu.* Toto genere igneo)*natura omnis caloris per omnia tendentis declarata, quod efficit Balbus,oſtendens quatuor totius naturæ membra, id eſt elementa et principia,calore fulciri & conſeruari. & à fece orditur,id eſt terra,quæ imum obtinet locum.* Tangam maximas.)*id eſt elementa, è quibus omnia conſtant corpora,& totius particulæ.* Fultæ.)*altæ,ſuſtentatæ.* Suſtinentur.)*conſeruantur in propria ui, & natura.* Conflictu)*attritu,percuſsione.* Tritu.)*colliſu, à uerbo tero.* Elici.)*euocari,educi,extrahi.* Iugibus.)*perennibus,et nunquàm areſcentibus. inde iugiter,aſsiduè,continenterq;. Iugiter,inquit Seneca,fodiendo laborat.*

Magna uis.)*copia, & efficacia, propter rigorem pellentem ad ima ſuum contrarium.Ordo eſt,quod magna uis caloris contineatur cauernis terræ.* Denſior.)*ſpiſsior, cum ſit compreſſa circũſtante frigore.* Ob eam cauſam.)*quia ſit in hyeme denſior.* Inſitum.)*innatum.* Artius.)*preſsius, tenacius, aſtrictius,ualidius. quoniam terræ denſitas non permittit exhalationem caloris,quo aqua in hyeme recaleſcit,& contrà in æſtate riget, calore ſupera occupante,*

cupante, & à ſe ſuum pellente contrarium. Concipiat.) *ſuo gremio com/prehendat, manu agricolæ ſata.* Ex ſe.) *ſponte ſua, nullo iacto extrin/ſecus ſemine.* Stirpibus.) *radicibus, truncis, & ſtipitibus.* Infixa.) *inhærentia.* Contineat.) *comprehendat, & ambiat.* Temperatione.) *modificatione, quoniam nimius calor ſemina priuſquam naſcerentur deſic/caret, & minimus alterare ac reſoluere non poſſet, unde temperamento quo dam caloris & humoris eſt opus ut generatio fiat, & augmentum.* Ipſe liquor aquæ.) *id eſt effuſio, & fluxus, atque liquiditas, quæ citra calorem aquis ineſſe non poſſet, ſed torpeſcerent.* Conglaciaret.) *rigeſceret, & dure ſceret. Aqua glaciat dicimus, & glaciatur.* Pruina.) *glacie matutina, & rigore.* Concreſceret.) *denſeſceret, atq; contraheret in quandam duri/tiem.* Liquefacta.) *reſoluta, & diffuſa.* Diffunderet.) *explicaret, at/que reſolueret.* Dureſcit.) *glaciatur aqua.* Viciſsim.) *mutatione, ſta/tuq; cœli.* Tabeſcit.) *reſoluitur, & fluit.* Nec enim ille.) *Ocurrit obiectioni, docetq; talem calorem non eſſe alienum, ſed natiuum & peculiarem ipſius maris, ut accidit humanis corporibus exercitatione recaleſcentibus.* Reſpira tione.) *exhalatione, ac fumo. Aqua etenim reſoluta & euaporans fit aër.* Quaſi uapor.) *exhalatio calida, & fumoſa.* Is.) *uapor fit à calor aquis admixto, ut fit in ahenis, atq; cortinis igni ſubdito, quo aqua fumat, atq; ex/halat.* Quarta pars.) *id eſt igneum elementum.* Cæteris naturis.) *re/bus naturalibus.* Impertit.) *diſtribuit, communicat.* Vitalem.) *in quo uita conſiſtit.* Suſtineantur.) *fulciantur, foueantur, & conſeruentur.* Simili.) *ca lida, & feruida.* Ita.) *ſic, & tali conditione, & qualitate.* Vis.) *poteſtas, & efficacia.* Natura.) *calor naturalis, & ut Stoici dicebant, artificioſus, ut deinceps patebit.* Contineat.) *ſuſtineat, foueat, alat.* Modo ſine ſenſu.) *cog nitione, atque intelligentia. Hoc autem propter illos dicitur, qui brutam eſſe naturam aſſeruerunt.* Solitaria.) *nuda, et ſine qualitatibus, & dotibus cuiq; naturæ conuenientibus.* Simplex.) *ſine admixtione uirium, et proprietatum.* Cum alio.) *re alia, quæ ipſi naturæ apta ſit ad naturales effectus producen/dos.* Connexa.) *colligata.* Principatum.) *excellentiam & eminentiam, ut eſt in homine mens, ſiue ratio, & in beluis iudicium ſenſuum, quibus ducibus illæ utuntur. tantum enim mouentur & appetunt, quantum ſenſus iudicat et impellit.* Earum rerum.) *herbarum, frugum, & ſimilium, quæ animam ha/bent tantum altricem. & radix eſt illis pro ore, quo alimentum hauritur.* Principatum dico.) *Declarat Balbus quid per principatũ intelligat, illam ſci/licet excellentiã, qua quæq; natura in ſuo genere cenſetur.* ἡγεμὼν *Græcè princeps, & dux latine. &* ἡγεμονικός, *principatum habens.* In quoq;.) *membro*

membro naturæ, & qualitate. Totius.) uniuerſalis, & communis, ut eſt mundus, id eſt deus, ut placuit Stoicis. Optimum.) id eſt optimis & præſtantiſsimis dotibus præditum. id eſt acerrimo ſenſu, ratione, ſapientia, & abſolutiſsima uirtute. In ea parte.) id eſt, uniuerſa natura, mundo uidelicet, atq; Deo.) Acriora quidem.) acutiora, & fortiora. Eoq;.) & ideo.

Vim.) potentiam, & naturæ qualitatem. Contineri.) comprehendi, foueri, ſuſtentari. Feruor purior.) calor uitalis, & prolificus. Purior.) ſimplicior, ac per hoc uegetior, nulla concretione impeditus & obtuſus. Mobilio.) efficacior ad ciẽdos motus, nulla corporea mole tardatus. Vnde Maro dixitq;. Igneus eſt ollis uigor, & cœleſtis origo Seminibus, quantum non noxia corpora tardant. Ad ſenſus.) ſenſuum cognitiones, atq; iudicia. Retinentur.) ſuſtentantur elementa. & ex his compoſita, ſcilicet quæ humanis patent ſenſibus. Et uigent.) uigorem habent, & augmenta recipiunt uaria, motusq;. Abſurdum.) non conſonum rationi, quoniam partes eſſent ſuo toto nobiliores, & cauſæ ſecundæ primam ſuperarent, quod ratio non recipit. Teneantur.) ſouẽantur, & ſuſtententur, & propter innatum calorem iudicium ſenſuum habeant, atque moueantur. Mundum eſſe ſine ſenſu.) cognitione ſenſuum. Qui integro & libero.) nihil imminuto, ac per hoc ualido. Puro.) ſimplici, & omni uacans concretione, qua debilitari poſſet, ac impediri. Eodemq; acerrimo.) acutiſsimo, & fortiſsimo. Et mobiliſsimo.) celerrimo, citra impedimentum fœculenti alicuius, & denſi.

Teneatur.) ſuſtentetur. Pulſu.) ui, & tactu extrinſeco, ſed ſuo & natiuo. Sua ſponte.) propriæ naturæ impulſu. Sponte id moueri dicitur, quod ſuo nutu mouetur, & propria ui: qui motus animis tantum conuenit, quibus corpora mouentur, atq; impelluntur. Valentius.) robuſtius. quaſi dicat, nihil.

Pellat.) tangendo moueat. Ille.) mundus. Confirmat ſuam rationem autoritate Platonis, qui eſt: quaſi quoddam philoſophorum numen. Plato igitur in eo dialogo qui Phædrus inſcribitur, agens de animæ immortalitate, dicit: Cum igitur appareat immortale eſſe, quod ſe ipſum mouet, animæ ſubſtantiam, & rationem hanc qui dixerit, non erubeſcet. Omne enim corpus, cui motus extrinſecus accidit, inanime eſt cui uero intus ex ſe ipſo id ineſt, animatum: tanquam hæc animæ natura ſit. quod ſi ita eſt, ut non ſit aliud quicquam quod ſe ipſum moueat, præter animam, neceſſario ingenita, & immortalis eſt anima. Suum.) proprium, & naturalem, ſiue intrinſecum.

Externum.) alienum, & accidens. Diuinius.) diuinioris naturæ, atque indeſinentis perfectionis. Sua ſponte.) natura, & ui inſita.

Pulſu.) tactu, & agitatu extrinſeco. Hunc.) ſua ſponte motum. Ab his.) animis corpora mouentibus. Vnde Ariſtoteles etiam nouo nomine idem

aſſeruit.

*aſſeruit,dicens,animam eſſe entelechiam corporis, id eſt continuatam motio/
nem,atque perennem,ut Cicero in prima quæſtione Tuſculana interpretatur.
Temiſtius, agens in ſua Paraphraſi de hac Ariſtotelica definitione, ac ui ani/
mæ,dicit: Animal continenter labitur,et ſubinde ſarcitur, anima nunquã quie
ſcente à ſuo munere. Ductum.)originatum. Solum,inquit Plato, quod ſci/
pſum mouet,quia nunquam deſeritur à ſe,nunquam ne moueri quidẽ deſinit.
quin etiam cæteris quæ mouentur, hic fons, hoc principiũ eſt mouendi. prin/
cipij autem nulla eſt origo.nam è principio oriuntur omnia. Motus omnis.)
qui ſcilicet eſt in partibus ipſius mundi,cuius proprius motus eſt ueluti anima
totius naturæ,et hanc animam deum appellabant Stoici, fontem uidelicet,atq;
principium cæterorum motuum. Alieno.)Extrinſeco,ſiue externo tactu,&
ui. Sed ſua ſponte.)natura,ex ſe proprioq; actu. Animus.)Eam uim habẽs
in uniuerſa natura,quod animus in ſingulis corporibus & ſic concludebant,
animantem eſſe mundum. Atq; hoc quoq;.)Demonſtratum eſt,inquit, mun
dum habere animam:pari ratione cõcluditur habere ſapientiã, ne pars mundi
precioſior ſit,quàm mũdus uniuerſus. Melior.)præſtantior, et excellentior.
Quã ulla natura.) aliqua alia res naturalis, quæ eſt pars naturæ uniuerſæ.
Pluris.)maioris æſtimationis,ob maiores dotes, et præſtantiores qualitates,
& uires. Sapiens.)undiq; perfectus,& conſummatus. Atq; etiã.)Ordo re
rum,inquit,& ab imis ad ſumma progreſſus,excellentiam diuinæ naturæ con
ſiderantibus nobis oſtendit,atq; declarat,quod inductione patet. Primis.)im
perfectiſsimis,quales herbæ ſunt,& ſtirpes,cæteraq; id genus. Inchoatis.)
id eſt imperfectis. quæ natura quidem inchoauit, ſubornauitq;, atque inſtru/
menta dedit,quibus tandem perficiantur in ſuo genere. Vltimas.)poſtremas,
nouiſsimas:contra primas. Perfectas.) undiq; conſumatas, & excellentes:
contra inchoatas. Ad deorum naturam.)id eſt,ultimam & perfectiſsimam.
Prima enim.)Ponit exemplum earum rerum,quæ ſunt primæ, id eſt mini/
mam perfectionem habentes, animã ſcilicet altricem,cum ſuis uiribus,quæ in
natura imum habent gradum. Suſtineri.)ali,foueri, & cõtineri. Alendo.)
nutriendo,& augendo. Tueretur.)conſeruaret. Motum.)animã loco mo
uentem,& in loco. Senſum.)animam ſentientem, ſine qua non dicitur ani/
mal,etiam ſi altricem animam habeat,ut herba, et uirgultũ.ſenſus requiritur,
& is maxime,qui eſt communiſsimus,& tactus appellatur. Vnde Ariſtoteles
dicit,animal eſt ob ſenſum primò. Appetitu.)cupiditate naturali eius rei quæ
utilis,iucũda,& ſalutaris uidetur ſenſibus,et guſtatui maxime. Animal enim
tantum appetit & ſequitur quantum dictat ei ſenſus,& iudicat. Belua,inquit
Cicero alibi,tantum,quantum ſenſu mouetur. Hoc amplius,ſupra ſenſus &
appetitus. Qui tum)modo et interdũ relaxarentur,modo contraherentur,*

ut fiat mediocritas, in qua conſiſtit uirtus. Debemus etenim appetere bonum ut oportet, & ratio recta præſcribit. Qui natura boni.) Ariſtoteles in ultimo Moralium dicit, Aliqui boni fiũt natura, aliqui doctrina. natura, ut conſtat, in noſtra poteſtate non eſt. Sed innaſcitur his hominibus, per cauſam quandam diuinam, qui uere ſunt fortunati, hæc philoſophus. Pindarus Melicus dixit, boni uiri, & ſapientes, diuino munere generantur, complures homines comparatis uirtutibus nituntur ad gloriam. Sed quod ſine deo fit, ſiletur prudentius, quàm prædicetur naturale quodcunq; optimũ. Sapientes.) perfectionẽ mentis & intellectus habentes, quod diuinæ tantum naturæ conuenit. Ratio recta.) perfecta, & in nullo aberrans, aut claudicans. Conſtans.) perſeuerans, nunquam uacillans, grauis, firma, ſtabilis. Supra hominẽ.) hominis conditionem, atq; naturam inchoatam quidẽ, et ad ſuam perfectionem, tempus, uſum et doctrinæ formulas, requirentẽ. Abſolutam.) undiq; conſummatã. Neq; enim dici poteſt.) Omnis, inquit Balbus, ordo rerũ naturalium, ad finem tendit, atq; perfectionem: quod mundus ideo aſſequitur facillime, quoniam nulla ui poteſt impediri, cum nihil illo ſit ualentius. In nulla inſtitutione.) aliqua ordinatione, inchoatione, atq; inceptione, ſine principio. natura ſiquidem agit propter finem, & in omni rerum ſerie ad perfectionẽ reſpicit. Extremum.) ultimam conſummationẽ. Perfectum.) omnes habens numeros. Vt enim in uite.) Probat hoc exemplis uegetabilium, et animantium, quæ remotis impedimentis, ad extremum ſuæ naturæ, ſuopte nutu, ſponteq;, contendunt. Quæ uis.) aliqua uiolentia, & contrarius obſtitit conatus. Suo itinere.) proprio quodã progreſſu, à primis ad ultima. Fabricaq;.) ars fabrilis. Quendã effectum.) finem, et perfectionẽ. Non eſt ars, inquit Seneca, quæ ad effectum caſu uenit, et nec ulli uidetur dura curatio, cuius eſt ſalutaris effectus. Abſoluti.) perfecti, in ſuo genere, et hoc eſt bonũ et finis ipſius artis. In omni natura.) uniuerſa & tota, id eſt, mundo & cauſa communi, quæ impediri non poteſt. Naturis.) qualitatibus rerum naturalium. Externa.) uiolenta, extrinſecus illata. Quo minus.) ut non abſoluantur. Vniuerſam.) totam et communem, id eſt ipſum mundum. Cohibet.) comprimit, coërcet, tanquam partes minimarum uirium. Continet.) complectitur ſuo gremio. Vis.) contrarius impetus, cum omnia uniuerſæ naturæ ſubijciantur, & famulentur. Gradus.) conditio, ſtatus, qualitas. Rerum omniũ natura.) ideſt, cauſa uniuerſa rerum collocatur, & principatus. Sapientem.) ſumma perfectione præditum. eſſet enim ſtultũ, inquit, aliter de mundo, id eſt deo ſentire. Qui enim.) quomodo, qua uia, quibus medijs & dotibus, poſſet eſſe optima & præſtantiſsima, niſi per animam, conſilium, & ſapientiam. Similis ſtirpium.) habens animam altricem tantum: quæ unum habet gradum, & ignobiliſsimum.

Beſtiarum.)*habentium ſenſus, & localem motum.* Deterrima.) *abiectiſſima.* À principio.) *à primo ortu, natura, & origine.* Conditio.) *ſors, natura, qualitas.* Poteſt fieri.) *cum ſit à natura inſtructus, & ſubornatus, ut uſu & diſciplina perfici poßit.* Quod.) *eſſe homine deteriorem, non eſt rationi conſonum.* Cui nihil abſit.) *deſit ad ſuam perfectionem. unde Melicus poëta dixit, Nihil eſt ab omni parte beatum.* Aptum) *connexum, colligatum, decens, atque conueniens, cum ſit in ſeipſo totus teres, atque rotundus.* Numeris.) *perfectionibus. modus loquēdi Stoicus. is dicitur habere omnes numeros, qui eſt perfectiſsimus, & id omne aſſecutus, quod ad talem ſummā requiritur.* Scitè enim.) *laudat Chryſippi ſententiam, exemplis oſtendentē mundi perfectionem, cum ſit uniuerſalis cauſa à qua omnia, & ad ipſam quicquid eſt tendat, tanquam bonum ſummum, & perfectiſsimū. Vnde dixit philoſophus, Propter quod unumquodq; tale, & illud magis.* Inuolucrum.) *tegmen, quo clypeum inuoluitur, & implicatur, ut nitidus conſeruetur.* Præter mundū.) *excepto mundo, propter quem ſunt.* Vt.) *ſicut, & quemadmodum.* Fruges.) *omnia, quibus animantes fruuntur ad paſtum.* Fructus.) *omnia genera pomorum, & baccarum.* Animantium.) *beluarum, quæ ad uſum hominum natæ ſunt. illis etenim citra ſcelus abutuntur, etiam ad cibum.* Vehendi.) *portandi.* Cuſtodiendi.) *Canum fida cuſtodia celebrata eſt multorum præconio. Fideliſsimi ſunt homini ante omnia canes, inquit Plinius: & pugnaſſe pro domino canem aduerſus latrones accepimus, confectumq; plagis à corpore nō receßiſſe, uolucres & feras abigentem.* Contemplandum.) *ſpectandum, & conſiderandum.* Imitandum.) *id eſt, ut imitetur uita, & ingenio, pulchritudinem rerum cœleſtium, & ordinis ſempiterni conſtantiam, atque concentum.* In nullo.) *in nulla parte ſuæ naturæ, id eſt non habens eam perfectionem, quæ maxima eſt, & ſoli deo conuenit. Sed eſt quædam portio rei perfectæ, id eſt mundi ac dei.* Omnia complexus eſt.) *continet, & ſuo ambitu comprehendit, ut quoddam perfectißimum, & abſolutißimum.* Ei quod eſt optimum.) *quaſi dicat, ei quod eſt optimum & præſtantißimum, nihil poteſt deeſſe. Non enim eſſet optimum, ſi quid ei deeſſet.* Mente & ratione.) *conſilio, prudentia, ſapientia.* Bene.) *ſcitè atque prudenter.* Et maturis.) *conſummatæ ætatis, et undique proprijs idoneæ muneribus. Vnde dicitur matura ætas, & puella uiro matura, et tēpeſtiua.* Equulo.) *equino pullo.* Virtute.) *abſolutione rationis, & perfectione omnium potentiarum, quæ ad ſuos habitus tendunt, & actus, quod eſt uirtutis utriuſque munus, actiuæ ſcilicet, & inſpectiuæ, cuius principatus aſcribitur meritò ſapientiæ, quæ eſt humanarum diuinarumq; rerum & cauſarum cognitio.* Eſt propria.) *cum ſit*

quoddam

quoddam perfectum, et id habeat cum ſumma excellentia, quod in omni mundo eſt optimum. Neque perfecta.) *id eſt non habet à primo ortu perfectionem, attamen uſu & diſciplina parat ſibi uirtutem, multo id facilius mundo, undiq; & ſemper perfecto.* Et propterea deus.) *ideſt diuina natura praeditus. Sapientis nomen, inquit Plato, ſoli deo conuenit.* Perſpecta.) *cognita, et intellecta.* Eadem diuinitas.) *par natura, ut ſcilicet animata ſint, ſentiant, motum habeant, intelligant, & uirtute praedita ſint.* Nobiliſsima.) *celeberrima.* Puriſsima.) *ſimpliciſsima, & mundiſsima.* Admixta) *compoſita, & concreta qualitatibus fęculentis, aliarum rerum naturalium.* Calida) *ignea, ut priſci opinati ſunt.* Vt ea quoq;.) *quemadmodum mundus.* Rectiſſime.) *ueriſsime tota.* Eſſe ignea.) *habere igneam ſubſtantiam.* Teſtimonio.) *tactus, & oculorũ. Hanc priſcorum opinionem refellit Ariſtoteles in ſecundo de Cœlo et mundo, his uerbis: Oportet nos ponere quamlibet ſtellam, ex illo corpore in quo mouetur. diximus hoc corpus, aliud eſſe à quatuor corporibus. Idcirco priſci ſtellas igneas eſſe dixerunt, quoniam altiſsimum corpus ponebant igneum Nos autem dicimus, ſtellas habere naturam quinti corporis, in quo fixę ſunt. calor autem ueniens è ſtellis, fit è confricatione aëris. motus etenim calefacit lignum, ferrum, & lapidem. declaratum eſt igitur, quod ſtellę non ſunt igneę, & quod lux earum non eſt ignea, et propter hoc nõ cadit ſub uiſum. Quod exponẽs interpres dicit: Senſus philoſophi eſt, quod per lumen ſtellarum, non comprehenditur à uiſu, quod ſint igneę.* Nam ſolis candor.) *Haec erat ratio Cleanthis, teſtimonio duorũ ſenſuum utentis. Verum in hoc decipitur, quoniam non ſequitur. Aliquid eſt lucidum, ergo igneum. multa etenim habent lucem, quę ignea non ſunt. ſic etiam dicitur de calore & tactu. quapropter ueritas diuinę ſcripturę, lucem ponit in cœleſtibus corporibus, & non ignem. Cui nobiliſsimus philoſophus aſtipulatur.* Candor.) *ſplendor. Vnde candens ferrum, ſplendidum, propter receptum ignem.*

Et is.) *talis, & ita calidus, ut non ſolum tepefaciat, ſed etiam urat.* Quorum neutrum.) *illuſtrare atque comburere, niſi eſſet igneus: hoc autem negatur, ut dixi.* Oceani humoribus.) *& ideo Poetę finxerunt, Iouis cęterorumq; deorum ſympoſia, apud Oceanum: quę opinio exploditur à philoſopho etiam Metheoris.* Vſus.) *neceſsitas uitę degendę, ut frigus pellatur, & cibi coquantur.* Confector.) *reſolutor, uaſtator, trucidator.* Conſumptor.) *uorator.* Quodcunq; inuaſit.) *penetrauit, impetumq; liberum fecit.* Conturbat.) *confundit, uaſtat, frangit, & diſpergit.* Corporeus.) *exiſtens in corporibus animantium, quibus dat uitam, ſalutem, alimentum, augmentum, conſeruationem, & ſenſuum iudicium.* Vtri.) *cui, ex his duobus.*

Is quoq́;.) ſol tanquam cauſa uniuerſa, ipſius generationis & uitæ. Pubeſcant.) *germinent, fructusq́; ad maturitatem perducãt.* Similis ſit.) *eandem habeat uim, & qualitatem.* Animantem.) *habere animam, quã eſſe igneam Stoici opinati ſunt, reſpicientes ad uim caloris, & ignis.* Abſurdum.) *inconueniens. Verba Ariſtotelis in ſecundo de Cœlo, hæc ſunt. Dicamus ergo, quod oportet nos intelligere, corpora nobilia eſſe uiua, & habere actionem animalem. Quum enim nos intellexerimus ea huius diſpoſitionis, tũc motus eorum non inueniuntur ocioſi.* Aptißima.) *quoniam eſt ignea, in cuius ui & qualitate conſiſtit uita.* Tenuißimus.) *ſubtilißimus, ac per hoc mobilißimus.*

Agitatur.) *mouetur.* Viget.) *uigorem habet & uitam.* Acerrimo.) *acutißimo.* In deorum numero.) *id eſt, habere naturam diuinam.* Ducenda.) *habenda & exiſtimanda, quod probat Stoicus, ſimilitudine illorum ingeniorũ, quæ in puro & tenui aere gignuntur.* Purus.) *ſimplex, purgatus, & defecatus.* Craſſo.) *impuro.* Cœlo.) *aëre.* Concreto.) *denſo, caliginoſo, et ſine tenuitate.* Ad aciẽ.) *ad acumen ingenij, & rationis.* Ordo.) *diſtinctio, et ordinatus progreſſus. Eſt autem ordo collocatio rerum, aptis, et accommodatis locis.* Conſtantia.) *ratus tenor nunquam uacillans, nunquam uarians.* Ratione.) *arte & ſcientia.* Numero.) *concentu quodam, & ſuo ordine. Vnde dicimus neruos moueri ad numerum, id eſt conſonantiam quandam.* Conſilio.) *mente atq; prudentia.* Temerarium.) *fatuum, ſtultum.* Varium.) *inconſtans & fluctuans.* Fortuitum.) *inordinatum, & ſine certa cauſa.* Neque naturam.) *ſtoliditatem quandam, & inſenſibilitatem, qualis eſt in bruta natura, quæ ſurſum mouetur, cum ſit leuis, ut aër & ignis: & deorſum fertur ſua grauitate, ut aqua & terra, & omnia ex his cõpoſita, quæ ſecundum naturam moueri dicuntur. Corpora autem cœleſtia, circulariter mouentur, et quintam quandam & ſuam habent uim. Conſtat, inquit philoſophus 2. Phyſicorum, naturam principium eſſe quoddam & cauſam, ut id moueatur, atq; quieſcat in quo primò per ſe, & non per accidens ineſt. Naturã habent, quæcunq; talia principia ſortita ſunt. Subiectum enim quoddam, & in ſubiecto eſt ſemper natura. Secundum uero naturam ſunt & hæc ipſa, & ea quæ hiſce per ſe competunt, ut igni ferri ſurſum: hoc enim natura quidem non eſt, neq; habet naturam, ſed eſt ſecundum naturam. Diximus quid ſit natura, & quid illud quod ſecundum naturam eſt.* Eſt enim.) *Ratio, quare nõ ſignificat, neque oſtendit ſe habere uim naturalẽ, quoniã natura bruta eſt, & conſtantia ſiderũ eſt plena ratiõis, cõſilij, & ordinis, neq; ſignat fortunã, quæ uaria, inconſtans, et mutabilis.* Sua ſponte.) *uoluntate, conſilio, & ui quadã diuina moueantur.* Cenſuit.) *putauit, iudicauit, ſcribens de motu cœli et mũdo.* Natura.) *motu naturali, ſine ſenſu aliquo, & cognitione.* Aut ui.) *.i. impetu quodã uiolento,*

lento,atq; extrinſeco. Voluntate.)*cōſilio,ratione,ſpōte ſua,nullo cogente, aut impellēte.* Vi maiore.) *conatu ualidiore ipſis aſtris,qui eſſe nullo modo poteſt.* Quæ enim.) *quaſi dicat,nulla uis eſſe poteſt,quæ aſtra cogat ad talem motum.* Reſtat.)*ſupereſt.à ſufficienti enumeratione partium, ut ſua uoluntate moueantur:quæ cum ita ſint,nefariè ſentit,qui deos eſſe negat. aut ſi eſſe cōcedit,omni actione ac procuratione eos priuat,ut* Epicurus. *Nam eſſe non uidetur,qui nihil agit.fruſtra etenim eſt illa uis & facultas, quæ nunquam ad actus deducitur.is nanq; dicitur eſſe,ac ſapere,qui alijs prodeſt,& ſe utitur.* Sanè reſtat.) Abſoluit Balbus *primam partem propoſitæ quæſtionis,& tranſit ad ſecundam,in qua de deorum qualitate agitur.* In quo)*id eſt in tali conſideratione & perſcrutatione qualitatis & naturæ.* . À conſuetudine oculorum.)*ab eo quod conſueuimus cernere in humanis corporibus,quorum formā et lineamenta,delirātes* Epicurei,*dijs immortalib. aſcribebant.* Aciem.) *acumen ingenij,& intellectus.* Abducere.)*remouere,ſeparare,atq; de dijs ſtatuere,ut ratio expoſcit,& non ſenſus.* Ea difficultas.) *abducendi ſcilicet mentē ab uſu oculorū.* Vulgo)*paßim,ubiq;, ac undique,id eſt uulgus imperitum,atq; profanum,quod iudicio ſenſuum utitur,ad aliquid ſtatuendum & decernendum.* Similes imperitorum.)*id eſt eodem iudicio utentes,ut fuit* Epicurus, *& eius familia.* Conſtitutis.)*poſitis,& aßignatis.ita enim dicebant, deum intelligi non poſſe, niſi in humana forma,ut in ſuperiori uolumine diſputatum eſt.* Leuitas.)*uanitas,inſcitia,inſania, futiliſq; aſſertio.* Sed cum talem.) Ponit *communem prænotionem,& anticipationem, quæ habetur de ui & natura deorum.* Talem.)*talis qualitatis & naturæ.* Præſentiamus.) *anticipemus, & prænoſcamus,monſtrante natura ipſa,et docente,deum eſſe animantem & præſtantißimum,quæ duæ res,nulli naturæ uerius accommodari poſſunt,quàm mundo,de cuius excellentia dictum eſt. ergo mundus iure dicitur animans,et deus,cū præſtantißimam habeat naturam,quā diuinam cognoſcimus.* Accommodem.)*aptem,apponā,adiungam.* Hic.) *in hac parte atque opinione.* Quam uolet.) *quantum cupit,ludat* Epicurus, *& rideat, quamuis ad iocandū ſit ineptißimus,& inepte ſimul indocteq; loquatur,homo natus* Athenis,*ubi erat emptorium eruditionis eloquentiæ,ac ſalis, id eſt excultæ urbanitatis,& leporis.* Qualis.)*cuius conditionis & ſtatus, cum celerrimo motu iugiter torqueatur.* Etenim *Epicurei quietum, & uoluptatibus affluentem,ponebunt deum,ut iam patuit.* Ipſe probat.)*aſſerit, tāquam uerum & communi conſenſu confirmatum,eſſe deos : quoniam neceſſe eſſe aliquam præſtantem naturā,quæ omnia infra ſe poſita,longe ſuperet,ſitq; optima quod mundo conuenit,primas et:inchoatas cōplexo naturas.* Ex his.) *ex effectis quæ cauſam oſtendunt efficientem. nam actus, ut inquit philoſophus,*

ſi dicat,facile erat hoc intelligere his qui phyſicen profitentur,& uarios corporum motus ignorare non debent, ſi iurè nomen retinere uoluerint. Aequalitatem.) paritatem, conuenientiam, & temperamentum. Conſtantiam.) perſeuerantiam, & ratum tenorem ordinati motus, & conuerſionis. Bis bina quid eſſent.) id eſt, ſi principijs arithmeticis & geometricis fuiſſet imbutus, & uim numerorum atque figurarum tenuiſſet, & eorum corporum, quæ naturalia & ſolida, nec non eorum quæ mathematica dicuntur. Geometræ, inquit Macrobius, alia ſibi corpora proponunt, quæ appellant Mathematica, cogitationi tantum ſubijcienda, non ſenſui. Dicunt enim, punctum corpus eſſe indiuiduum, in quo nec longitudo, neque latitudo, neque altitudo deprehendatur, quippe quod in nullas partes diuidi poßit. hoc protractum efficit lineam, id eſt, corpus unius dimenſionis. longum eſt enim, ſine lato, & duobus punctis ex utraque parte ſolam longitudinem terminantibus, continetur. Hanc lineam ſi geminaueris, alterum Mathematicum corpus efficies, quod duabus dimenſionibus extruatur, longo lato'que, ſed alto caret. & hoc eſt quod apud illos Superficies uocatur: punctis autem quatuor continetur, id eſt per ſingulas lineas binis. Si uero hæ duæ lineæ fuerint duplicatæ, ut ſubiectis duabus duæ ſuperponantur, adijcietur profunditas: & hinc ſolidum corpus efficitur, quod ſine dubio octo angulis continebitur, quod uidemus in teſſera, quæ Græco nomine cubus uocatur. His geometricis rationibus, applicatur natura numerorum, & reliqua. Palato.) guſtatui, in cuius uoluptate ſummum bonum ſtatuit Epicurus. Cœli palatium.) ſuperbam regiam, etiam magnificentißimum domicilium. Nam cum duo ſint.) Probat per motum, faciles'que conuerſiones, rotunditatem cœli, corporum'que cœleſtium: id eſt, ſtellarum illi affixarum, & planetarum, id eſt errantium.

Spacijs.) diſtantijs, atque uijs. Commeans.) cum ipſo cœlo tendens, & currens. Veſtigium.) orbitam, & curſum. Inflectat.) obliquet. quoniam rectà meat, ab ortu ad occaſum. Continuas conuerſiones duas.) unam ſcilicet naturalem & ſuam, ab occaſu ad ortum, per obliquum circulum, Zodiacum à Græcis dictum: alteram uero uiolentam, ab ortu in occaſum. trahitur etenim ui ac motu primi mobilis, unde Seneca dicit, ut ſidera contrarium, mundo iter intendunt, & ipſe ſol apud Ouidium: Contrarius euehor orbi. Plinius, agens de obliquitate ſigniferi, & natura errantium ſiderum, dicit: Omnium errantium ſiderum meatus, interq; ea ſolis & lunæ, contrarium mundo agere curſum, id eſt læuum, illo ſemper in dextram præcipiti. & quamuis aßidua conuerſione immenſæ celeritatis attollantur

lantur ab eo, rapianturq́; in occaſū. aduerſo tamen ire motu, ac per ſuos quæq; paſſus ita ferri, ne conuolutus aër eandem in partem, æterni mundi uertigine, ignauo globo torpeat, ſed findatur aduerſo ſiderum uerbere diſcretus, & digeſtus. Conſectetur.)*ſimul frequentet, per ſigniferum.* Spacijs.)*uijs, per latitudinem ſigniferi.* Ex utraq; re.)*duplici & continua conuerſione.* Volubilitas.)*celeritas, & conuerſio.* Globoſa.) *rotunda.* Rotundi ambitus.)*globoſæ, circularesq́; naturæ, celeritati aptißimæ.* Ita.)*ſic, & tali motu, uiaq́; per obliquum ſigniferum, à Capricorno ad Cancrum.* Compleuerit.)*illuſtrauerit.* Opacet.)*obſcuret ſua abſentia.* Officiens.) *obſtans, & ſe interponens, facit noctem, modo in hoc hemiſphærio, modo in alio.* Spaciorum.)*interuallorum, & curſuum.* Aequalitas.)*paritas, & temperatura.* Modici.) *modum ſeruantes, & menſuram: quoniam ſenſim accedit & diſcedit, id eſt aſcendit ad ſolſtitium æſtiuum, & deſcendit ad brumam.* Temperant.)*moderant, & diſponunt.* Modum.)*menſuram, mediocritatem, atq; temperamentum, ut natura rerum, cui ſol inſeruit, moderatas temporum mutationes ferre poßit. repentinas etenim & extremas commutationes, natura non tolerat. idcirco hyemem uer excipit, hanc æſtas, illam autumnus, hunc hyems: quoniam ab extremo ad extremum ſine medio non itur.* Circuitus ſolis.)*luſtrationes & ambitus ſigniferi, per dies 365. & ſex horis, quæ quarto quoque anno diem intercalarem efficiunt. Ordo eſt, circuitus ſolis conficiunt annuam conuerſionē.* Defectibus.)*terminationibus, & deſinentijs. ut illud Martialis: Vltima pars aulæ deficientis erat.* Orbium.) *circulorum, id eſt dierum noctiumq́;.* Quarta parte.)*ſex horis perfectum. quippe diem quatuor & 20. efficiunt horæ.* Inflectens.)*obliquans per flexuoſum ſigniferū, modo ad Cancrum, modo ad Capricornum.* Duo tempora.) *id eſt, uer & autumnum.*

Seneſcenti.)*languidæ, contractæ, deficienti.* Ducuntur.)*originantur. Curſus enim talis, eſt cauſa generationis corruptionisq́;, necnon augmenti, pubertatis, & maturitatis eorum, quæ in his inferioribus gignuntur.* Spacijs.) *interuallis, et curſibus, menſuris.* Tenuißimum.)*minimū.* Species.)*figura.*

Forma.)*facies.* Regio.)*Vnde Plinius, agens de luna, dicit: Iam uero humilis, & excelſa, & ne id quidem uno modo, ſed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros deiecta.* Brumæ.) *hyemis.* Solſtitij)*æſtatis. ponit effectus lunæ, ſolaribus ſimiles.* Manant.) *ſcatent, & originantur, tanquam à cauſa talium commodorum effectrice.*

Alantur.)*uegetentur, creſcantq́;.* Pubeſcant.)*germinent, floreant, & frondeſcant.* Maturitatē.)*ultimam perfectionem aſſequantur.* Maximè uero.) *Iam aget de quinq; reliquis planetis, quæ ſtellæ errantes dicuntur à noſtris.*

Falſo.)*perperam, & non uerè. quoniam nullæ ſtellæ minus errant. Errare*

quippe eſt

quippe, eſt uagari, & uiam ignorare. Conſtantes.) *perſeuerantes.* Ratos.) *firmos.* Inſiſtunt.) *immorantur.* Ex diſparibus.) *diſsimilibus conuerſionibus. Aſtronomi annum mundi appellarũt, qui (ut ſupputat Macrobius) è quindecim annorum milibus conſtat. Sic enim ſcribit, enarrans Scipionis ſomniũ. Mundani anni finis eſt, cum ſtellæ omnes, omniaq́; ſidera, à certo loco, ad eundem locum, ita remeauerint, ut ne una quidem ſtella in alio loco ſit, quàm in quo fuit, cum omnes aliæ ex eo loco motæ ſunt, ad quem reuerſæ, anno ſuo finem dedere: ita ut lumina quoq;, cum erraticis quinq;, in hiſdem locis & partibus ſint, in quibus incipiente mundano anno fuerunt. Hoc autem, ut Phyſici uolunt, poſt annorum 15. milia peracta contingunt. Mundanus dicitur hic annus, quia mundus propriè cœlum uocatur.* Comparationẽ.) *proportionem ſitus, & localem ſimilitudinem. Græcè analogia dicitur, paritas uidelicet rationis, qualitatis, atq; reſpectus.* Spacijs.) *interuallis & curſibus.* Quàm.) *quantum.* Quæſtio.) *dubitatio.* Certam.) *ueram.* Definitam.) *determinatam ſuo numero.* Nam ea.) *Probat neceſsitatem & certitudinem huius definitæ conuerſionis.* Phænon.) *id eſt, faciens & præbens lumen.* φαίνω *&* φαίνομαι *græcè, luceo & appareo latinè.* Phaëton.) *ſplendidus, & accenſus. componitur etenim à luce, & uro. unde phaëton dipyros apud Martialẽ, quaſi bis uſtus & ignitus.* Orbem.) *ſigniferum.* Pyrois.) *igneæ, & ardentis naturæ.* Luſtrat) *circuit, ambit.* Stilbon.) *id eſt, radians & micans.*

Vertente.) *currente.* Anteuertens.) *præueniens.* Hanc igitur conſtantiã.) *Concludit ex his quæ dicta ſunt, errantia ſidera mente, ratione, atq; conſilio eſſe prædita.* Conuenientiam.) *concordiam nunquam uacillantem, nunquam diſcrepantem.* Quæ.) *mentem, rationem, atq; conſilium.* Nec uero.) *eandem diuinitatem cœlo affixis ſtellis attribuit Stoicus.* Inerrantes.) *ſtabiles & fixæ.* Conueniens.) *concors.* Conſtans.) *perſeuerans.* Aetherios.) *uinctos ætheri, id eſt igni, ſiue cœlo. eſt enim æther, ſiue cœlum, ſupremum elementum infra lunam.* Ea.) *talis qualitas, ut tantos ſtellarum globos continere poſsit. eſt quippe æther leuis & rarus.* Vi.) *robore ac impetu.* Contorqueat.) *ſimul rapiat & circunducat.* Tenuis.) *ſubtilis, tranſparens.* Aequabili.) *temperato.* Suam ſphæram.) *proprium globum, qui octauus dicitur.* Secretã.) *ſeparatam atque diuiſam.* Liberam.) *ſolutam à cæteris, & expeditam.*

Perennes.) *indeficientes.* Vim diuinam.) *naturam & qualitatem, quæ in uoluntario ac perpetuo motuo oſtenditur maximè.* Senſurus.) *cogniturus, & intellecturus.* Fortuna.) *incertus euentus, & caſus, & confuſio ſine ordine, ut deliranti Epicuro placuit.* Temeritas.) *imprudentia, uiolentia, furor.*

Erratio.) *incerta uagatio, & cæcus curſus.* Vanitas.) *leuitas, inconſtantia, & uariatio.* Ordo.) *recta diſpoſuio, & motus non fortuitus.* Veritas.)

certitudo citra errorem. Errare enim, eſt uera ignorare. Ratio.*) conſilium & prudentia ſine temeritate.* Conſtantia.*) ratus tenor, & perſeuerans citra leuitatem.* Vide Ciceronis elegantem oppoſitionem uocabulorum. Vacant.*) uacua ſunt, & caſſa.* His.*) ordine, ueritate, ratione, conſtantia.*

Ementita.*) incerta, uaga, errantia.* Vel falſa.*) ueritatis & ordinis expertia, quæ in aëre mouentur, & fluctuant, ut faces, uenti, pluuiæ, niues, grandines, & cætera id genus.* A principe.*) autore atque duce Citieo Zenone.*

Duxero.*) origina uero, à definitione naturæ, ſecundum Zenonem Stoicæ ſectæ, atque familiæ ducem.* Artificioſum.*) peritum & ingenioſum.*

Progredientem.) procedentem. Via.*) ratione, modo, pondere, atq; menſura.* Cenſet.*) putat & iudicat. quum omnis ars naturam quoad fieri poteſt imitetur, ergo id multò facilius efficit natura, quod manus artificum elaborant, nouas formas rebus à natura præparatis, inducētes.* Creare.*) efficere.*

Gignere.*) parere nouam figuram, rerumq; faciem.* Magiſtrum.*) doctorem, & præceptorem. nam igni, artium omnium inſtrumenta parantur. & ideo artifex dicitur Vulcanus, & obſtetricis officio fungi. aperiens etenim, ut eſt in fabulis, ictu ſecuris Ioui caput, Mineruam, & quidem armatam eduxit, ut in ſuperiori uolumine dictum eſt.* Hac ratione.*) pari uia & modo.*

Omnis natura.*) Omnis pars rerum creantium & gignentium aliquid in ſuo genere.* Viam.*) rationem, modum, ſemitam, & proprietatem.* Sectam.*) diſciplinam, formulam, dogma, decretum, atque propoſitum. Secta dicitur familia phyſica. diſciplina, imitatio, & ſequela. & ſectatores, imitatores, atque ſequaces.* Coërcet.*) conſtringit.* Sed planè.*) omnino.* Conſultrix.*) perita curatrix.* Prouida.*) effectrix, & gubernatrix omnium utilitatum, & commoditatum humanarum.* Suis.*) proprijs, & ſimile ſibi in ſpecie quippiam generantibus.* Continent.*) ſuſtentant ſe, atque ſuos conſeruant motus.* Natura mundi.*) mens & deus.* Voluntarios.*) ſpontaneos, quia ſummà uis cogi non poteſt, igitur ex ſe mouetur, ſuaq; ſponte, ac natura.*

Conatus.*) motus & impetus ad aliquid creandum, gignendum, & conſeruandum. ὁρμάω græcè, impetum facio, & conatum latinè: id eſt appeto, & moueor: & ὁρμὴ appetitio.* Et his.*) appetitionibus.* Conſentaneas.*) conuenientes, & decentes.* Animis.*) animi, & rationis iudicio.* Et ſenſibus.*) iudicio ſenſuum, qui à ratione diriguntur, ut honeſtus ſit motus, & appetitio moderata, & decens.* πρόνοια dicitur.*) quaſi prænotio quædam, & præcognitio.* Occupata.*) id eſt, curam ſuam ponit.* Aptiſſimus.*) ualde idoneus, per illam formam, quæ pulcherrima eſt, & perfectiſſima.* Propemodum.*) fermè.* Nec ceſſantium.*) id eſt, non ocioſorum, ut uoluit Epi-*

curus.

curus. Operoſo.) difficili. Non enim.) Ponit qualitatem cœleſtium corporum, ex quinta quadam natura conſtantium, ut Ariſtoteli uiſum eſt.

Acres.) acutos, & tenues. Concretos.) denſos, & craſſos, ut humanis corporibus accidit, quæ modo acutis morbis, modo grauibus infeſtantur.

Caſus.) infortunia, ruinas. Ictus.) percuſsiones & uulnera.

Verens.) reformidans. Monogrammi.) Dicti ſunt, inquit Nonius, homines macie pertenues, ac decolores. tractum à pictura, quæ priuſquam corporibus corporetur, umbra fingitur. Lucilius: Vix uiuo homini, ac monogrammo. hæc ille. μόνος græcè, ſolus latinè. γραμμὴ linea: inde μονόγραμμοι dicti, lineamenta tantum habentes, citra profunditatem. Commentus eſt.) finxit deos tali forma præditos, & ocioſos. Pulcherrima.) ſplendidiſsima, & globoſa, qua nulla eſt pulchrior. Puriſsima.) mundiſsima, & defecatiſsima. Feruntur.) mouentur. Moderantur.) temperant, & regunt.

Conſenſiſſe.) conſpiraſſe, conueniſſe, concordaſſe. Multæ aliæ.) Hæ ſunt propriæ, inquit, naturæ deorum, quas dixi. ſunt & aliæ, ex magnitudine beneficiorum conſecratæ. nam quod diuina ope, ad uſum hominum comparatum eſſet, id diuino nomine honeſtabant, inuentum ſcilicet inuentoris nomine appellantes. Conſtitutæ.) poſitæ, & ordinatæ. Bonitate.) benignitate, ac liberalitate. Natum.) ortum, productum, inuentum.

Friget Venus.) debilitatur coëundi appetitus. Tum autem.) ponit aliam ſpeciem conſtitutorum deorum. Vis maior.) poteſtas aliqua ſingularis, & qualitas. Vt fides.) quæ eſt fundamentum iuſtitiæ, & dictorum factorum que conſtantia, & ueritas. Mens.) ratio, conſilium, intelligendi uis, quæ, ut inquit Ariſtoteles, parua eſt mole, ui tamen & precio multum omnibus antecellit. Conſecrata.) relata in numerum deorum, & ſacello cultuq; honeſtata. Virtutis & honoris.) ante erat delubrum uirtutis, deinde honoris: ut oſtenderetur, non patere aditus ad ueros honores, niſi per uirtutem, cuius præmium honor & habetur & eſt. Opis.) id eſt auxilij & beneficij. Salutis.) conſeruationis in ſuo ſtatu & natura. Concordiæ.) conſenſus, & amicitiæ. Libertatis.) liberæ conditionis, nemini obnoxiæ. atrium Libertatis fuit in Auentino extructū, ab Aſinio Pollione. Victoriæ.) adeptionis rei cōcupitæ, & maximè in bello, cuius finis uictoria eſt. Militaris etenim apparatus omnis eò tendit. Vis.) poteſtas, efficacia. Regi.) gubernari & conſeruari. Quo ex genere.) ſimili qualitate, ac natura. Cupidinis.) amoris, et deſiderij. Voluptatis.) ſenſibilis delectationis, & iucundi motus in guſtu maximè, & tactu. Lubentinæ.) id eſt, uolētis & promptæ: quoniam ad Venerē propenſa ſunt omnia. libens dicitur uolens & facilis, & Libitina ſiue Lubentina Venus, quæ ſic appellata eſt, quoniā ad omnia ueniat.

Vocabula.)appellationes,in numerū deorū relatæ ſunt in templo Lubentinæ Veneris,omnia funeri celebrādo neceſſaria, uendebantur. rationē lege apud Plutarchum in Quæſtionibus. Vitioſarum rerum.)culpabilium,quoniam in ipſis modus exceditur.Et hæc ſententia conuenit Stoico, qui etiam minimas uitiorum fibras euellere nititur,uultq; ſapientem non ſolum perturbationibus uacare,ſed etiam affectibus. Neq; naturalium.)id eſt,quas natura bene inſtituta,& conſumata non appetit, cum cupidine & uoluptate,quam Stoicus ut meretricem,è cetu matronarū pellendam cenſet:nec inter prima naturæ,numerandam putat.Seruatur ergo Stoici ſupercilij decorum. Aliter exiſtimat) ſecus iudicat,quoniam in his extremum bonorum omnium collocabant. Ea uitia.)uitioſi affectus impellunt & uexant hominis naturam,& uario ardore cruciant & torquent, tranquillum uitæ ac mentis ſtatum conturbantes. Pulſant.)mouēt,pellunt,ſtimulāt. Vis.)ſignificatio,poteſtas,et efficacia.

Suſcepit autem.)Ponit nunc heroes,atq; ſemideos,quos excellentes uirtutes cœlo ſacrarunt, & uota mortalium, qui grato animo beneficijs reſpondentes,eos ut numina coluerūt à quib.adiuti eſſent et exculti. Ariſtoteles agēs de heroica uirtute dicit:Hæc feritati opponitur,et diuina eſt,ut Homerus de Hectore,propterea quod eximia bonitate præſtabat,dicentē Priamū induxit,Nec iam hominis ſanè mortalis filius, ille eſſe uidebatur, ſed diuo ſemine natus. Quare ſi ex hominibus,ob uirtutis excellentiam,dij fiunt,talis is habitus fuerit,qui feritati opponitur. atq; ut raro fit uirum eſſe diuum, ut appellare Lacones conſueueres,cum ualde aliquem admirantur,dicunt enim uir diuus hic eſt:ſic et ferus atque immanis eſt inter homines raro. Conſuetudo.)uſus,& mos gratus, acceptis beneficijs. Beneficijs excellentes.)id eſt bene meritos de humano genere.ac merentes excellentes beneficijs dicuntur, qui maxima beneficia contulerunt. Fama)honore nominis,et gloria. Voluntate.)grato ſtudio,et cura. Hercules.)qui monſtra domuit. Aeſculapius medendis corporibus inſudauit,Liber pater uinum exhibuit. Hūc Liberum.)filium Iouis & Semele,quem & Bacchum uocamus,& Bromium,de quo dicetur ſuo loco. Nō eum.)ſcilicet Liberum, quē priſci Romani. Auguſte.) magnifice ac religioſè. Sanctè.)piè,caſteq;. Liberū cum Cerere & Libera.)id eſt,ſolem,lunam,ſiue terram,& Perſophonen,id eſt ſemē rerum omnium.Macrobius agens de ſole ac Libero, dicit:Hinc Virgilius ſcribens Liberū patrem ſolem eſſe,& Cererem lunam,qui pariter fertilitatibus glebæ, & maturandis frugibus, uel nocturno temperamento, uel diurno calore, moderantur.

Quod quale ſit.)quid ſignificet,in rerū natura. Ex myſterijs.) Arcano ritu ſacrorū,pontificijsq; libris,quibus rationes rerum,religionumq; continentur,& cauſæ profano uulgo ignotæ. Sed quod ex nobis.)Affert cauſam appellationis

pellationis Liberi, ac Liberæ. conſuetudo ciuilis appellationis hoc efficit, ut filios Cereris dicamus, Liberum & Liberam, quoniam filios noſtros, & filias, ita nominamus. Sol & luna, Cereris filij dicuntur, quoniam è terra oriri uidentur, & mari, quamuis non ita ſit. Sed de his aliàs. In libero non item.) Libera, inquit Balbus, etiamnum dicitur filia Cereris Proſerpina, ſed Liber non dicitur Cereris filius abſolute. ideo ad differentiam dixit, hunc dico Liberum Semelæ natum. Liber, inquit Seneca, non ob licentiam linguæ dictus eſt inuentor uini, ſed quia liberat ſeruitio curarum animum, aſſerit, uegetatq́;, & audentiorem in omneis conatus facit. ſed ut libertatis, ita uini, ſalubris moderatio eſt. Hinc.) ex hac conſuetudine. Quirinū.) quaſi haſtatum. ſic enim poſt mortem appellatus eſt, ab haſta. Vnde Ouidius in Faſtis: Adde quod haſta quiris, priſcis eſt dicta Sabinis: Belliger à telo, uenit ad aſtra deus. Remanerent) extincto corpore uiuerent, eſſentq́; immortales. Ritè) merito, iurè, rectè. Optimi.) perfectiſſimi, & omni uirtute inſignes, & æuo ſempiterno fruerentur. Alia autem ex ratione.) Et alios, inquit, deos habuimus, naturali quadam ratione & cauſa, uerum fabuloſa in ductos hanc uiam imprimis aperuit in Theogonia Heſiodus. Phyſica.) naturæ uim ſpeculante, ueſtigantéq́;. nam quod philoſophi, naturæ uenatores atq́; interpretes, ſuis appellationibus explicarunt, Poëtæ ambagibus fabularum, et ingenioſè fictis nominibus, inuoluerant. Fluxit.) manauit, orta eſt, & diffuſa. Specie.) forma. Suppeditauerunt) ſubminiſtrauerunt, præbuerunt.

Hic locus.) Hæc ratio phyſica tractata eſt, & explanata, primū à Zenone, deinde à poſteris. Nam uetus hæc opinio) Repetit Stoicus uulgatas fabulas, & eas phyſicè interpretatur, ut omnis impietas remoueatur, & ſuperſtitio.

Exſectum.) caſtratum, priuatumq́; membris genitalibus. Vinctum.) ligatum, & compeditum. Phyſica.) naturam rei explicans, & uim. Non inelegans.) id eſt concinna, elegantiſſima, & conuenientiſſima, cum omni decoro, & gratia. Impias) nefarias, & flagitioſas, quoniam filius patrem ſecat & ligat, quod eſt contra pietatē, quæ debetur parentibus. Cœleſtem enim.) Rationem huius commenti aperit Stoicus. Per ſe.) ſine alterius commixtione.

Ea parte corporis.) id eſt, genitalibus membris. Cœlum, dicitur à Græcis οὐρανὸς, quaſi ὅρος, id eſt terminus omnium, quæ ἄνω, id eſt ſuprà ſunt, & quaſi naturæ finitor dicitur, & κόσμος, quia ualde ornatur. Quidam non ineptè fabulati ſunt, Incudis fuiſſe filium, ipſius uim & robur innuentes, & eius ad permanendum aptitudinem. Chronos.) dictus eſt Saturnus à creno, id eſt perficio. hæc quippe eſt natura temporis, quod motus cœli menſura eſt, & ideo cœli dictus filius, immoderatum cœli ad terram fluxum, tempus coërcuit, ideo genitalia, dyſonymi patris, (ut in Theogonia fingit Heſio-

dus) id eſt, probroſi & infamis dicitur ſecuiſſe. Compeditus dicitur à Ioue Saturnus, quoniam Iuppiter, id eſt uitalis ignis, locum ſuperiorem ſortitus eſt; & prima illa rerum confuſio compreſſa eſt, & regno priuata. Iouem Saturnus non deuorat, quia particularium uita momentanea eſt, & fluxa: non tamen uitam omnem corrumpit tempus, ſed permanet illa ſucceßionibus cuſtodita, ideo dicitur Iuppiter ſubtrahi Saturno, filios deuoranti. Immoderatos.) nimios, & incompoſitos. tẽpus enim dicitur, à tenore tẽperato ipſius cœli, ac ſiderũ, quorũ curſus, horas, dies, menſes, & annos metitur. & ideo Saturnus, uinculis ſtellarum alligatur. Conuerſis.) mutatis, ut Iuppiter. Iouis, ζεὺς, Græcè διὸς in caſu patrio. Optimus.) maxima bonitate præditus, id eſt iuſtitia, liberalitate, benignitate, magnificẽtia. Maximus.) potẽtißimus. Gratius.) iucũdius, quoniã liberalis natura imprimis grata eſt, et amatur. Opes.) potentias, uires, regna, imperia. Nuncupat.) appellat, ut dictum eſt in principio huius uoluminis. Sublime candens.) excelſum, & ſplendium cœlum.

Planius.) euidentius & apertius, dicit idem Ennius in Tragedia. Execrabor.) deteſtabor, & maledicã. Hoc.) id eſt ignem cœli omnia illuſtrantem, qui æther dicitur, & Iuppiter. Fuſum.) ſparſum, omnia amplexum. Immoderatum.) immenſum, & infinitum. Tenero.) molli & leni ambitu. Perhibeto.) dicito. Similitudo.) propter aliquas qualitates, in quibus cõueniunt; leuitate ſcilicet et calididate, Iuno aptatur Ioui, et iungitur id eſt aër ætheri. matrẽ fabulantur eſſe Rheã, & patrẽ Saturnũ, quoniã tẽpore fiunt talia, & mutantur. Effœminarunt.) mollẽ eſſe dixerũt, et nomine fœmineo nuncuparũt.

Mollius.) lenius. nã eius afflatu tepido, & ſuaui, omnia uiuunt. Portunus.) à porta. Portunus (inquit Põpeius) putabatur deus eſſe portarũ. Plutos.) numen diuitiarũ apud Græcos, & ipſæ diuitiæ. Recidant.) reuertantur tandem ad ipſam. Perſephone.) dicta eſt quoniã ſatus ipſorum ſeminum, et terræ cultus eſt laborioſus, & operoſus: quaſi Pherſepone, à φέρω id eſt πονέω. et πόνος laboro, et pono labore. Pluto rapere dicitur filiam Cereris, quia ſemen terræ mandatur, et occultatur. Ge meter.) id eſt terra mater. Mauors.) id eſt bellum, & prælium. Minueret.) quoniam prælium omnia fermè imminuit, et fortißimos decimat bellatores. Cũq;.) In omnib. rebus ponit alias interpretationes, ad principium rerum omnium, & finem pertinentes. Vim.) poteſtatem, & efficaciam. Prima.) principia, è quibus aliquid originatur, & naſcitur. Extrema.) ultima, id eſt fines ad quos omnia referuntur, & tendunt. Principem.) primum in honore ſacrificiorum uoluerunt eſſe Ianum, quem Chaos priſci appellarunt, à uerbo χέω, quod fundo ſignificat, & uro, ut oſtenderent, principium rerum fuiſſe aquam, aut ignem, ut Heraclito placuit. Heſiodus aquam poſuit, Chaosq; appellauit, à fuſione. Heſiodũ mitatus

etiam

etiā eſt Thales Mileſius, et Pindarus, aquā dicēs eſſe quod optimū. aqua denſa efficit terrā: rarefacta uero, ſi minus aërē, ſi magis ignē. et hoc mō de elemētis philoſophati ſunt. Abeūdo.) ut dicatur Ianus, quaſi eanus. Ductū.) originatum. Peruiæ.) exitū habētes, et tranſitū. Iani.) ſcilicet dicūtur. eſt aūt Ianus ædificium fornicatū, colūnis ſubnixū, et undiq; peruiū, in quo nūmularij quondā et argētarij artē exercebāt ſuā. Vnde Horatius, Poſtq̄ res mea Ianum Ad mediū fracta eſt. & Hæc Ianus ſummus, ab imo perdocet. et Ouid. Cū tot ſint Iani. Idem Cic. in Officijs, ad medium Ianum ſedentibus. Ianiculum.) inquit Pompeius, dictū eſt, quod per eū Po. Ro. primitus tranſierit in agrum Hetruſcum. Profanarū.) non ſacrarū. Sacrum etenim, et profanum, ſic opponuntur, ut publicum & priuatum, celebs atq; maritus. Heſtia.) Ouid. in Faſtis, ita interpretatur: Veſta eadem eſt, & terra, ſubeſt uigil ignis utriq;, Significant ſedem, terra, focuſq;, ſuam. Terra pilæ ſimilis, nullo fulcimine nixa, Aere ſubiecto tam graue pendet onus. Stat ui terra ſua, ui ſtando, Veſta uocatur, Cauſaq; par graui nominis eſſe poteſt. At focus à flammis, & quod fouet omnia, dictus. Qui tamē in primis ædibus ante fuit. Hinc quoq; ueſtibulum dici reor, unde precamur, & reliqua. Vis.) poteſtas et efficacia. Extrema.) ultima, quoniam terra imum habet locum, cæteris elementis ambitum. hoc idem fermè ſignificant penates. Ducto.) originato, à penu, quo ea quæ annuo uſui condus recondit, ſignificantur. Penitus.) intrinſecus. Penetrales.) quaſi loca intima & extrema inſidentes, & tenentes: unde penetralia, deorum penatium ſacraria dicuntur. Apollo.) dictus eſt tanquā ſoluens morbos, et ipſos pellens. deus qui purgat, inquit Plato, ipſe eſt ἀπολούων & ἀπολύων, id eſt abluens à malis, ſoluenſq;, quod Apollo ſignificat.

Tantus.) tam magnus magnarumq; uirium. In ſeptem.) in numero ſeptem.) planetarum. Matureſcunt.) maturitatem habent, & ſuam perfectionem, ac exitum. Qui.) curſus lunæ dicuntur menſes, quoniam temporis ſpacia metiuntur. Menſa.) terminata & menſurata, interualla efficiunt. Concinnè.) aptè, & eleganter. Timæus hiſtoricus, fuit Taurominitanus. eſt autem Taurominiū litorale oppidum Siciliæ. Epheſus.) urbs Ioniæ, clara templo Dianæ, quod autore Strabone Heroſtratus quidam incendit, ut tam inſigni facinore nomen ſibi compararet: quod ei non ſucceſſit. nam, ut ſcribit Euſtathius, diras inſtituerunt Epheſij in illum, qui Heroſtratum nominaſſe, ut perpetua obliuione illius nomen tegeretur. Ad res omnes.) ad procreationem rerum omnium, quæ proprijs ſeminibus oriuntur. & quoniam natura ſeminis humani ſpumoſa eſt, ideo Aphroditis dicta eſt Venus: ἀφρὸς græce, ſpuma latine. Venuſtas.) gratia ipſius Veneris, & formæ. Venuſtum eſt, inquit Fabius, quod cum gratia quadam & uenere

dicitur

præſagam. Singularem.)ſolam,ſeparatã,per ſe exiſtentem,ſeorſum à ui,& natura diuina. Gubernet.)actu,& opera. Regat.)conſilio,mente,ratione. Præciſè.)imperfectè,nõ plenè. Areopagi.)curiæ Athenienſis,& ſenatus. Areopagus,erat locus eminens, è regione ad arcem Athenarum,ubi publicæ curæ gerebantur. Inde Areopagitæ ſenatores dicti. nomen ductũ eſt à Marte, & pago, quaſi uicus Martis. Salem iſtum.) facetam deriſionem, & iocum cum cauillo,atq; ridiculo. Plinius agens de ſale,dicit:Omnis uitæ lepos,et ſumma hilaritas, laborumq́; requies,non alio magis uocabulo conſtat. Natio.) gens,& familia Epicurea. Irridendis.)mordendis. Non decet.)non conuenit uobis ignaris,& ineptis. Non datum.) nec natura,nec arte conceſſum,cum rudes ſitis,atq; inſulſi. Hoc.)non decere,non datũ eſſe,nõ poſſe.

Moribus domeſticis.) ciuili & Romana urbanitate, & elegantia. Noſtrorum.)Romanorum. Vrbanitate.)ſale,facetijs,& iocis. Limato.) expolito,exculto. Cum.)partim. Peperit.)inuenit,& autor talis decreti fuit, et dogmatis. Arte.)uia et ratione philoſophandi, id eſt dialectices ignarum. Sine literis.)rudem,& expertem literariæ ſcientiæ,id eſt grammatices. Inſultantem in omnes.) deridentem. Vellicantẽ.)uexantem, petulantiſſime.

Acumine.)acie ingenij. Autoritate.)grauitate,dignitate, decoro,æſtimatione. Sine lepore.)gratia,uenuſtate,concinnitate,ſale. Conſtitutas.)compoſitas,effectas. Dicitur.)originatur ab diſputatione, quæ probat eſſe deos: quæ ratio iam tractata eſt. Sentienti.)intelligenti,atq; diuinæ. Pulcherrimè.)honeſtiſſimè,ac prudentiſſimè. Conſtituto.)poſito,et confirmato. Animantibus principijs.)habentibus animã,quoniam natura intelligens eſſe non poteſt,niſi à principijs animatis,& intelligentibus. natura igitur eſt animans, ſentiens,intelligens,& prouidens. Simulachra.)ſimilitudines quaſdam corporum,et umbras. Imagines.)lineares figuras,et ſuperficiarias: quales ſunt monogrammi,ut dictum eſt. Quodam pacto.)aliquo modo. Nam & ſi uerbis deos ponit, re autẽ tollit,cum eam formã ponat quæ illis nullo modo apta tur:ut in primo uiſum eſt. Præclarum.)ſumma prudentia & ſapientia dignum,ne ocio marceſcat:ut Epicurus euomuit. Si aliter eſt.)ſi non adminiſtratur deorum conſilio,erit aliqua alia uis maior diuina:quod eſt abſurdiſſimum.

Neceſſitas.)fatalis quædam poteſtas,rebus omnibus neceſſitatem imponens. unde illud Senecæ in Oedipo tragœdia:Fatis agimur,cedite fatis:Non ſollicitæ poſſunt curæ,mutare rati ſtamina fuſi. Non eſt natura præpotens.)id eſt, quæ ſupra deum uires habeat. & ratio quare non eſt,quoniam paret neceſſitati,et obtemperat,ut inferior natura ſuperiori, qua omnia reguntur & gubernantur. Et hæc eſt natura diuina, qua nihil eſt præſtantius. ſequitur ergo, ut omnem regat naturã. Etenim.)Certe ſi deo prouidentia tribuitur,erit illa

Nn circa res

circa res maximas quæ deo notæ ſunt: & illas obire poteſt citra laborem, cum ſit omnipotens. Nihil autem mundi adminiſtratione maius: illa igitur deo imprimis conuenit. Atqui neceſſe eſt.) *Probat iam à ui diuini muneris, id eſt ratione atq; prudentia mortalium generi collata, eſſe in deo eximiam rationem, excellentiſſimamq; prudentiam, qua mundus ipſe regatur.* Conciliatione.) *amicitia, ad ſimilitudinem ciuilis coniunctionis et concordiæ.* Veritas.) *fides, certitudo & modus intelligendi citra uanitatem atque errorem. quæ ueritas utriuſq; rationis obiectum eſt, & ideo uerum aliquando pro decenti ponitur, cum nihil ſit quod rationem magis deceat quàm ueritas. Vnde Horatius, Metiri ſe quemq; ſuo modulo ac pede uerum eſt. et, Quos ultra citraq; nequit conſiſtere uerum. & apud eundem in libris de Finibus: Dicet natura non eſſe uerum, id eſt, non decere.* Poſtremo.) *ultima ratio, ſumpta ab his cõmodis quæ in genus humanum cœleſtia & diuina conferunt corpora. quod profectò non fieret, ſi deus humana hæc & inferiora non curaret.* Sequitur ut doceam.) *Secunda pars, qua ſubiecta eſſe omnia ſentienti naturæ concluditur.* Nanque alij.) *Ponit definitionem naturæ: quæ, ut finit Ariſtoteles in Phyſicis, eſt principium quoddam & cauſa, ut id moueatur atq; quieſcat, in quo primo per ſe & non per accidens ineſt. Aliqui autem dixerunt naturam eſſe rationem diuinæ artis, inditam rebus quæ ab ipſa mouentur ad finem.* Quid ſequatur.) *quid ſibi propoſuerit tanquam ſignum, & ultimum terminum, ac ſummam.* Ariſtoteles.) *Concludit, naturã agere propter finem, his uerbis: Patet igitur naturã eſſe cauſam, & ita ut alicuius gratia faciat. Ea, inquit, conſtare naturã dicuntur, quæ quodam principio intrinſeco ſemper mouentur, & ad quendã perueniunt finem. ab unoquoq; autem, non ad eundem ſingula, neq; ad quem uis: ſemper tamen ad eundem, niſi quid obſtiterit, pergunt.* Conſequi.) *attingere. Ars etenim naturam imitatur, quatenus poteſt.* Naturam concipientẽ.) *aptam conceptibus, & bene diſpoſitam rem naturalem, & terram bene ſubactam et concinnatam, & genitales loculos.* Nactumq; ſit materiam.) *id eſt, inuenerit conueniens fomentũ, & alimentum.* Ita fingat.) *ſic formet, & perficiat unumquodq; in ſuo genere & qualitate, ad eum finẽ quam habent uegetabilia & ſenſibilia.* Moueri.) *cieri locali motu, & ſenſus habere atq; appetitiones rerum neceſſariarũ ad uitam tuendã: huc uſq; natura procedit in brutis, & ut ſimilia ſibi ſpem producant.* Sunt autem.) *Hunc oſcitantis Epicuri opinionem ponit, dicentis naturam rerum omnium eſſe plenum & uacuum, id eſt atomos & inane, per quod ueluti locum corpora mouerentur, quæ ille opinabatur rerum omnium ſemina.* His.) *corporibus, & inani.* Sed nos.) *Aperit ſuam mentẽ Stoicus, ut liqueat quid ſit mundum natura adminiſtrari. Intelligimus autẽ per naturã uim quandã ordinantem, & artificioſam, qualis*

apparet in arboribus & animantibus, in quibus uia quadam & arte ad finem tenditur. non ſic eſt, inquit, in partibus à toto ſegregatis, ut gleba, lapide, & ſimilibus. talia enim facilè reſoluuntur, & corrumpuntur. Nulla cohærendi natura.) naturali aptitudine ac ui ad ſubſiſtēdi coniunctionē. gleba ſiquidem terræ auulſa, non eſt in ſua natura, nec cohæret ad permanendū, et ordinem non habet à natura datum. in arbore autem, tota terra, & animalibus ordo naturæ apparet, & uis qua conſtant, ſuſtinētur, et ad proprium finem tendunt, niſi impediantur. Artis uiæ et rationis.) ars enim eſt habitus cum ratione effectiuus. À ſuperis.) leuioribus elementis: ut aqua, aëre, igni, reliquisq́; cœleſtibus terram alentibus & fœcundantibus. Stirpes.) enumerat partes totius. arbores, inquit, aluntur radicibus, animātes afflatu aëris, qui hominibus præbet uiſum, auditum, uocem & odoratū. nam hi ſenſus per medium aërem bene & aptè diſpoſitum, uim exercēt ſuam. ſenſibilia etenim id eſt obiecta ſenſuum propria, ſuper ſenſus poſita non ſentiuntur. Mouetur.) dat nobis facilem motum, cum ſit corpus rarum & leue, cedatq́; facillimè: quod non contingit per terram et aquam, cum denſiora ſint, et concretiora. Quaſi locū.) uacuum quoddam, et receptaculum. Quaſi autem dixit, cum per quandam tranſlationem loquatur. Non datur quippe in natura uacuum: quapropter Ariſtoteles dixit, locum eſſe ultimam ſuperficiem corporis ambientis locatum. Quæq́;.) omnia grauia, inquit, imum locum appetētia: & omnia leuia, ſuperum: & circularis motus cœleſtium corporum, efficiunt naturā uniuerſam. Mundi.) totius cœli. Terra enim eſt centrum, circa quod cœlum uoluitur. Vnde Heſiodus ingenioſè finxit in Theogonia, è Chao natam eſſe Terram, latum pectus habentem, & tutum pauimentum deorum immortalium, & peperiſſe ſibi æquale ſtellatum cœlum. Ratio autem eſt, quia terra puncti rationem ad ambitum cœli & circumferentiā habens, cauſa eſt circularis formæ ipſius. Aequale dicitur terræ, quoniam omnes cœli partes æquè diſtant à terra, quæ dicitur pauimentum cœlorum: quoniam omne quod mouetur immobili naturæ innititur. firmamentum uero cœleſtis motus, eſt medius mundi locus, qui & infimus in globo dicitur, libraturq́; terra ſuis ponderibus, & hæret immobilis. Continentem.) continuatam & connexam, quoniam partes inuicem ſe fulciunt. Vnam.) totam, è pluribus membris conſtantem & coagmentatam. Et cum quatuor.) quatuor membra totius naturæ, id eſt elamenta inuicem ſe generantia, continentem & indeficientem efficiunt naturam. Viciſſim.) per uices & uariationes ordinis atq; progreſſus. denſus ignis efficit aërem, denſus aër aquam, denſa aqua terram. Continetur.) connectitur & coagmentatur. Quæ) coniunctio, aut ſemper manebit, aut diu. Hæc fuit Stoicorum opinio. Sacra ueritas, finem mundi tenet futurum, ad ſummi conditoris arbitrium. Vt.) quamuis

ſit hoc, uel illud, tamen ſequitur naturam adminiſtrari: quod probat exemplo artium, aut particularis naturæ. Ipſe mundus.) *cuius forma nobiliſſima eſt, & ornatiſſima: unde nomen accepit. κόσμος enim dictus eſt à Græcis, mundus à Latinis: inde mũdus muliebris.* Etenim.) *Ratio, quare ſentiendum ita ſit: quoniam omne totum maius eſt atq; nobilius ſuis partibus. quæ ſi natura ſuſtinentur, multo magis totum.* Adminiſtrari.) *ſuſtineri & gubernari à communi natura, quæ diuina eſt, & omnium bonorum cauſa.* Vt ſi quis.) *Similitudine probat, abſurdum eſſe ſi aliter putetur & æſtimetur.* Pubertatem.) *primam lanuginem, quæ ab anno quarto decimo pullulat.* Quis non intelligat.) *Probat naturam eſſe ſentientem, id eſt habere in ſe rationẽ uel maximam. eam uero naturam intelligit Balbus, quæ appellatur à Stoicis mundus & deus. Ariſtoteles dixit eſſe brutam, & principium ut aliquid per ſe moueatur, cum ex ſe nullam habeat rationem. Zeno Stoicorum princeps, autore Laertio, ſic finiuit: Natura eſt habitus ex ſe ipſo motum accipiens, ſecundum ſeminalem rationem efficiens & continens ea quæ ſunt. Et natura dicitur aliquando à Stoicis uis, quæ mundum cõtinet. aliquãdo, quæ germinare humũ facit. Eſt igitur horũ uerborũ ſenſus cuiq; notus: Eã naturã eſſe præſtantiorem, quæ ex ſe gignit & creat aliquid, quàm id quod genitũ eſt & creatum: mundus autem omnia ex ſe generat: ergo generatis omnibus naturis præſtantior eſt.* Quæ efferat aliquid ex ſe.) *id eſt creet & producat quippiam propria ui, ſuáq; ſponte ac natura.* Seminator.) *procreator, quoniam uim habet ſeminalem in ſe mundus. Ad illud autem hoc refertur, quæ efferat aliquid ex ſe.* Sator.) *plantator. unde Horatius in primo Carminũ inquit: Nullã Vare prius ſacra uite ſeueris arborem. Serere, eſt terræ mãdare.* Parens.) *generator, per quandam translationẽ: ideo addidit, ut ita dicã.* Mundus.) *natura ipſa cõmunis, quæ uim habet diuinã. Mundum, inquit Laërtius, tripliciter dicunt Stoici. interdum deum, qui incorruptibilis ſit et ingenitus, opifex tanti operis. Mundum etiam dicunt cœli ornatum. Dicunt etiam mundum ex utriſq; compoſitum, id eſt terrenis atq; cœleſtibus. Seneca Stoicorum doctiſſimus, agens de Ioue, lib. primo Naturalium quæſtionum, dicit: Ne hunc quidem crediderunt Iouem eſſe, qualem in Capitolio & in cæteris ædibus uidemus mittere manu fulmina. ſed eundem quem nos Iouem, intelligunt cuſtodem rectoreḿq; uniuerſi animum ac ſpiritum mundi huius operis dominum & artificem. Vis illum fatum uocare, nõ errabis: hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, ex quo ſunt omnes cauſæ cauſarum. Vis illum prouidentiam dicere, recte dices: eſt enim cuius cõſilio huic mundo prouidetur, ut inconcuſſus hæreat, & actus ſuos explicet. Vis illum naturam uocare, non peccabis: eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cuius ſpiritu uiuimus.* *Vis illum naturam uocare, non peccabis: eſt enim ex quo*

nata

nata ſunt omnia, cuius ſpiritu uiuimus. Vis illū uocare mundū, nō falleris: ipſe enim eſt totū quod uides, totus ſuis partibus inclitus, & ſe ſuſtinens, et ſua. Idē et Ethruſcis uiſum eſt, & ideo fulmina à Ioue mitti dixerūt, quia ſine illo nihil geritur. Nutricatur.) fouet more nutricis. Nutricari quondam dicebatur pro nutricare, ut fabricari pro fabricare. & Nonius teſtem in hoc loco citat Ciceronem, nec non Varronem atque Affranium. Ex his naturis.) naturalibus principijs, & uim diuinam habentibus, id effectum eſt quod eſt in ſuo genere optimum & perfectiſſimum. Eo ſtatu.) conditione & qualitate, in qua ſine moderatione ſentientis naturæ conſtare aut permanere non potuerunt. Senſu.) intelligentia quadam diuina modum tribuente, nec non analogiam, quam noſtri proportionem uocant. res enim uinctæ ſunt per quandam ratam rationē, & ſympathiam, id eſt naturæ conſenſum. talis igitur ſtatus citra rationē ſtare non potuit. Quī igitur conuenit.) Abſurdū, inquit, eſt creaturis artē tribuere, & creatorem rationis & artis expertem putare. Solarium.) horologium, quo ad umbram ſolarium radiorum gnomone monſtrante cognoſcuntur horæ. Plinius ait, princeps Romanis ſolarium horologium ſtatuiſſe ad ædem Quirini Papyrius curſor traditur. Scipio Naſica primus aqua diuiſit horas æquè noctium ac dierum, idq; horologium ſub tecto dicauit. Ex aqua.) clepſydra, id eſt uaſe forato, & aqua dilabente, atq; elapſum oſtendente tempus & horas, per lineas uas ipſum ambientes & diſtinguentes. Quod ſi.) Quod aſſero, inquit Balbus, etiam rudibus nationibus et barbaris non eſt ambiguum. Scythas & Britannos pro remotiſſimis, & quaſi orbe toto ſeparatis poſuit. Sphæram.) globoſam formam inſtar cœli, qua motus, conuerſiones & ſitus cœleſtium effinguntur. Errantibus.) uagis, quas ob id planetas appellant Græci. Aſſimilata.) ad ſimilitudinē effecta. Archimedes fuit Syracuſius, in mathematicis et ſcientia ſolidorum imprimis clarus. cuius ſepulchrum ignoratum à Syracuſanis, Cicero quæſtor indagauit, in cuius uertice ſphæra ſita erat cum cylindro. An Archimedes, inquit Lactantius, concauo ære ſimilitudinem mundi ac figuram potuit machinari, in quo ita ſolem lunamq; compoſuit, ut inæquales motus & cœleſtibus ſimiles conuerſionibus, ſingulisq; quaſi diebus efficerent. Atq; ille apud Accium paſtor.) Exemplo poëtico admirationem peperiſſe uenationē naturæ, atque perſcrutationem, oſtendit Balbus. Paſtorale exemplum ſumitur ex Argonauticis Accij poëtæ tragici. Vehiculum.) Argo nauim, Palladis arte compactam & elaboratam: de qua Claudianus, Licet omnia uates In maius celebrata ferant, ipſamq; ſecādis Argois trabibus iactent ſudaſſe Mineruam: &c. Valerius Flaccus fatidicam ratem appellauit Argo, & Apollonius in 4. Argonauticorum his uerbis: Illico clamauit humana uoce cauæ nauis uocale lignum, quod in media carina è fago Do-

donidæ Pallas aptauit. Sic Argo clamauit ſub tenebris. [Vortices.) recurrãs undas, et in ſe reductas. Vortex olim, nũc uertex dicitur, contorta in ſe aqua, & quicquid aliud ſimiliter uertitur. Ruit.) Vergil. Et ſpumas ſalis ære ruebant. Nimbum.) caliginoſam & grauidam aquis nubem ſeparatam, & turbine inuolutam. Dum, inquit, uaria cogitarem, & modò nubilum quoddã abſciſſum arbitrarer, aut ſaxũ, aut aqueũ globum, tandem patuit rei ueritas, audito comminus nautico cantu, uiſiſq; argonautis. Triton.) maris numen, tubicen Neptuni: ut eſt in fabulis. Fuſcina.) tridente, ac Neptunio ſceptro.

Eruat.) expellat è fundo maris, aut euertat cœlũ. Ordo eſt, Et dum credas ne quas ſtrages terreſtres pontus cõciat, aut forte Triton euertens ſpecus ſubter radices penitus undantes ueniat, & è profundo freto eruat ſaxeam molem, aut cœlũ, pontus (inquit) uidetur ruinam & ſubmerſionẽ minari terris. Triton aũt cœlo ruinam, ſubductis fulcris quibus tota natura innititur. Vnde finxerunt poëtæ Atlantem mõtem fulcire cœlũ. Atlas, inquit Sillius, ſubducto tractus uertice cœlũ. Alacres.) Velociſſimũ omniũ animaliũ, inquit Plinius, non ſolũ marinorũ eſt delphinus, ſed ocior uolucre, acrior telo, cũ fame concitati fugientẽ in uada ima perſequuti piſcem diutius ſpiritum continuere ut arcu emiſſi ad reſpirandũ emicant, tantaq; ui exiliunt, ut plerunq; uela nauium tranſuolent. Melo.) ſuaui cantilenæ, qua utitur Siluanus paſtorũ numen.

Nunc autem.) notat hebetudinẽ philoſophorũ ſui tẽporis, & Epicureorũ, qui etiã oculorũ ſenſu uacare uidebantur. Ne ſuſpicari.) ne leuiter quidẽ cogitare, quanta ſit excellentia rerũ cœleſtium, ſumma indagatione digniſſima, & terreſtriũ. & incipit deſcribere ſitus elementorũ, & ordinẽ, quo ingenium & ſollertia ordinatoris et moderatoris arguitur. Mundi.) ambitus totius uniuerſi, quẽ mundum uocamus. Circumfuſa.) ambita ſpiritu & anima, id eſt, aëre. Simul cũ terra intelligit aquam Balbus, quoniã hæc duo elementa mixta ſunt, & terra ſubeſt, & extat ut animantibus dentur alimenta. Altiſſimis ignibus.) Ariſtoteles in Meteoris, probat corpora cœleſtia non eſſe ignea, his uerbis: Si enim diſtantiæ plenæ igni & corpora eſſent ignea, olim ad nihilum redacta eſſent ſingula. deridendi ſunt, quicunq; opinati ſunt humore nutriri ſolem. Non Graius.) ita inquit, loquitur Paccuuius, dicens Noſtri: tanquam ipſe nõ eſſet Graius. erat Græcus genere, ſtudio aũt Latinus. De iſto.) aperit ipſa oratio. Hæc erant uerba Pacuuij, oſtendentis æthera dici cœlum latine. de iſto, inquit, intelligo. nomine quippe cœli æther intelligitur. Quorum ſol eſt princeps.) Plinius de planetis, Quorum medius inquit ſol fertur ampliſſima magnitudine ac poteſtate, nec temporũ modo terrarũq;, ſed ſiderũ etiam ipſorum cœliq; rector. Hic ego.) in hac parte, inquit, mirari par eſt eorũ hallucinationem, qui dixerunt hæc eſſe fortuita, & temerario concurſu atomorum

effecta,

effecta, quo nil poſſet excogitari obtuſius. Quod ſi.) *argumentum à maiori: quod tunc eſt, cum infertur minus.* Qui locus eſt proximus.) *iunctus parti ſecundæ, de qua diſſeritur: omnia ſcilicet ſubiecta eſſe naturæ ſentienti. ſic enim diuidendo propoſuit. Tertius eſt locus, qui ducitur ex admiratione rerum cœleſtium atque terreſtrium. connectit ergo Balbus has partes, citra tranſitionem aliquam & diſtinctionem.* Inſtructa.) *culta & honeſtata quocunq; domeſtico inſtrumento, cuius appellatione id omne intelligitur, ſine quo, ars exerceri non poteſt: ut inſtrumentum domeſticum, ruſticum, piſcatorium, rhetoricum, forenſe: inde dicitur fundus inſtructus, uilla inſtructa.*

Quæ nam.) *q. d. ualde admirabilis uideretur aſpectus cœli, et figura: ſed animus non admiratur id quod à principio ætatis uidit oculus.* Perinde.) *quaſi dicat, magnitudo potius quàm nouitas excitare nos deberet ad inueſtigandas rationes tantarum rerum, & cauſas.* Quis dixerit hominē.) *humana ratione præditū & inſtructum, quaſi dicat, non eſt appellandus homo, ſed brutum animal.* Nullo conſilio.) *quoniā arcana diuini conſilij mens humana non attingit.* Sphæram.) *quæ cœli conuerſionem imitatur, & motus planetarum.*

Horas.) *horologia, ſiue ſolaria, quibus horæ demonſtrantur.* Ac principio terra.) *Explanat ſitus elementorum, ut inde ordinantis oſtendatur ſapientia. eſt enim ſapientis ordinare, ut dicit philoſophus in Metaphyſicis.* In media ſede.) *ad amplexum uniuerſæ naturæ.* Nutibus ſuis.) *proprio & naturali pondere, inclinationibus deniq; grauiſsimo elemento congruis.* Conglobata.) *compreſſa et rotundata, quoniā undiq; ad mediū cogitur propriāq; ſedem.* At uero.) *Agit iam de ſecunda natura, quæ terræ adhæret, confuſaq; ſic eſt, ut unū elemētū eſſe uideatur.*) Diſperſa.) *diuerſa, diſtincta: aliquæ nunquā emergūt, aliquæ fluitant & apparēt: aliæ ſaxis ubi naſcuntur, ſemper adhærēt, ut oſtrea.* Conflata.) *cōmixta et effecta. tractū à flatu, & fornacibus.*

Suſtinet.) *pendere facit, et adiuuat uolantes. Plinius agens de motu terræ, dicit: Neq; unq̄ intumeſcūt terræ, niſi ſopito mari cœloq; adeò tranquillo, ut uolatus auium non pendeant ſubtracto omni ſpiritu qui uehit.* Spiritus ductus.) *aër attractus, & hauſtus. Quatuor eſſe elementa conſtat, inquit Plinius, igneum ſummo, inde tot ſtellarum illos collucentium oculos: proximum ſpiritus, quem Græci noſtriq; eodem uocabulo aëra appellant. Vitalem hunc ac per cuncta rerum meabilem, atque conſertum.* Complexus cœli.) *equidem, inquit Plinius, conſenſu gentium moueor. nam quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellarunt, eum & nos perfecta abſolutaq; elegantia mundum. Cœlum quidem haud dubie cælati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro, adiuuat rerum ordo, deſcripto circulo qui ſignifer uocatur in 12. animalium effigies: & per illas ſolis curſu congruens tot ſæculis ratio.*

Contrarias

Contrarias.)quoniam aſcendit et deſcendit luſtrans menſibus ſingulis ſignũ unum, quæ ſunt hæc: Aries, taurus, gemini, cancer, leo, uirgo, libra, ſcorpius, ſagittarius, capricornus, aquarius, piſces. *Quaſi triſtitia.*) id eſt frigore, rigore, gelu. tranſlatio ab animis qui triſtitia contrahuntur, & diffunduntur lætitia. Vnde mœror dicitur animi contractio, & gaudium dilatatio quædam.

Viciſsim.) alternis mutato curſu, et accedens uer facit & æſtatem, terramq́; exhilarat, atq; lætificãs germinare eam facit, atq; floreſcere. *Mathematici.*) geometræ, aſtronomi & arithmetici. *Hiſdem ſpacijs.*) curriculis & ſignifero, quem totum ſingulis luſtrat menſibus. & ideo uagari dicitur, quoniam aſcendit & deſcendit uago curſu. unde Plinius: Iam uero humilis & excelſa, & ne id quidem uno modo, ſed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus: nunc in Aquilonẽ elata, nunc in Auſtros deiecta: quæ ſingula in ea deprehendit hominum primus Endymion, & ob id amore eius captus fama traditur. Hæc ille. Hoc idem poëtæ innuentes, finxerunt Io filiam Inachi demutatam in bouem, & œſtro exagitatam penetraſſe in Aegyptum, & ibi ſuam recepiſſe formam. Io nanq; pro luna ponitur, quæ lumen amittit cum Ioui, id eſt Soli iungitur. & fit uacca propter cornua, recipit in regione oppoſita formã. quoniam luna cum eſt contra ſolem, recipit ſuum lumen, & tota lucet.

Varias mutationes.) Luna, inquit Plinius, modo curuata eſt in cornua, modò æqua portione diuiſa, modò ſinuata in orbem, maculoſa, eademq́; ſubitò prænitens, immenſa orbe pleno, ac repente nulla: aliàs pernox, aliàs ſera, & parte diei ſolis lucem adiuuans, deficiens, & in defectu tamen conſpicua, quæ menſis exitu latet, cum laborare non creditur. *Subiecta.*) ſuppoſita, etiam means ſub ſole illum obſcurat, & eius conſpectum eripit mortalibus, & hoc appellatur ſolis deliquium. *Tum.*) interdum luna obſcuratur, cum terræ umbra illi aufert ſolis irradiationẽ: & hi ſunt defectus lunæ uarij. *Interiectũ.*) interiectione & oppoſitione terræ, mediæ inter ſolem & lunam. quæ à ſole lumen mutuatur, cum ex ſe corpus ſit opacũ. *Incitatur.*) fit celerior, interdum retardatur, & interdum ſtare uidetur. Hoc autẽ eſt inſiſtere, quaſi imminere, & ueſtigia figere. *Stellarum inerrantium.*) affixarum cœlo, cum quo uoluuntur ab ortu ad occaſum. *Axis.*) eſt circa quem aliquid agitur, id eſt mouetur atq; rotatur. *Cardine duplici.*) ſeptentrionali & auſtrino. *Arctos.*) urſa maior ſcilicet & minor. ἄρκτος græcè, urſus & urſa latinè. *Cynoſura.*) propriè dicitur cauda canis. et eſt urſa minor. *Helice.*) dicta eſt à uerbo ἑλίσσω, id eſt uoluo, & circumflecto. uoluitur enim circa borealem axem.

Noſtri.) latini, dixerunt ſeptentriones, quaſi ſeptem terriones, id eſt boues terram eruentes. Terriones, inquit Varro, boues appellantur etiamnum à bubulcis. *Prior illa.*) Helice. *Hæc.*) Cynoſura. *Has inter.*) Virgil. in Georg.

Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis, Circum perq́; duas in morem flu minis arctos, Arctos oceani metuentes æquore tingi. Sinus flexos.) replicationes. unde Germanicus, Cauda Helicen ſuperat, tendit ſimul ad Cynoſuram, Squammifero lapſu, quà deſinit ultima cauda, Hac caput eſt Helices.

Hic.) id eſt, in eo loco, ubi ortus atq; occaſus immiſcetur in una parte, & ſic oſtendit diſtantiam ſiderum, & draconis amplitudinem ab his, ſcilicet ſtellis, quæ ſunt ab ortu ad occaſum. Germanicus: Serpentis decliue caput, quæ pro xima ſigna Occaſus ortusq́; uno tanguntur ab ore, Oceani tumidis ignotæ flu ctibus arctos, &c. Vertitur.) uoluitur. γόνυ græcè, genu latinè. inde Engonaſis, imago innixa genibus, et ſupplex. aliqui opinati ſunt hac imagine ſigni ficari Ixionem, qui de ſtupro Iunonem interpellauit. Manilius aſtronomus dixit: Nixa uenit ſpecies genibus, ſibi conſcia cauſæ. de corona Manilius: Gnoſia deſertæ fulgent monimenta puellæ. Ophiuchus.) dicitur habens et tenens ſer pentē, qui ὄφις græcè dicitur, ἔχω habeo et teneo. Nepai.) pro nepæ, id eſt anguis et ſerpentis. propriè tamen nepa dicitur ſcorpio armatus aculeo ipſius caudæ, quo percutit. Vnde Columella in Hortulo, Et ſpicula phœbus Dira ne pæ. Nepa, inquit Pompeius, Aphrorum ſidus, quod cancer appellatur: uel ut quidam uolunt, ſcorpius. Plautus: Dabo me ad parietem, & imitabor nepam.

Arctophylax.) dicitur cuſtos urſæ. φυλάττω, cuſtodio. Bootes.) bubulcus, et arator. temo, inquit Varro, dictus eſt à tenendo. is enim continet iugū, & plauſtrum. Præcordia.) pectus & uentrem. Arcturus dicitur quaſi cauda urſæ. Manilius, Arcturumq́; rapit medio ſub pectore ſecum. Virgo.) quæ iuſtitia dicitur, Aſtrea & Erigone. dicitur hæc ſpica, hic ſpicus, & hoc ſpicum: quia eſt inſtar ſpiculi, id eſt teli acuti atq; ſagittæ. Auriga.) Heniochus dicitur à Græcis, quem aliqui opinantur Erichthonium, aliqui Myrtilum. Obductus.) opertus, quoniam pedes non apparent in curru latentes propter deformitatem. dicunt etenim fabulæ ſerpentinos fuiſſe. Connexus.) compactus, et contractus. iacens etenim fingitur. Manilius, Tum uicina ferens flexo ueſtigia tauro. Imperitæ.) indoctæ, quoniam non à ſuibus nomen ſortitæ ſunt, ſed à pluuijs. ὕω græcè, pluuiam demitto latinè. decepti ſunt uerbi ſimilitudine, quoniam ὕες dicuntur ſues. Minorem.) cynoſuram. Cepheus.) inquit Hyginus, Phœnicis filius, Andromedæ pater fuit, quæ neq; patrem uerita, neque matrem, Perſeum ſecuta eſt, & Palladis beneficio aſtris adnumerata. hæc ille. Cicero in ultimo Tuſculan. Nec uero Atlas ſuſtinere cœlum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus cum uxore, genero, filiaq́; traderetur, niſi cœleſtium diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet.

Huic.) Andromedæ Pegaſus alatus equus. tangit aluo caput. Hyginus agēs de Pegaſo, dicit: In umbilico nouiſſimā habet ſtellā, quæ Andromeda uocatur,

ſed maximè lucet quæ capiti proxima apparet. Iungens.) connectens alas ipſi equo. Hæc etenim ſtella in ipſa iunctura poſita eſt, & utramq; copulat naturam, alitem ſcilicet & quadrupedē. Vergilias.) Pleiades, inquit Valerius Probus, Vergiliæ dicuntur, quia ſunt Atlantis & Pleionis filiæ, uel dicuntur à nauigando, quoniam earū ortu primū ſit tuta nauigatio. πλέω græcè, nauigo latinè. hæc ille. Vergiliæ dictæ ſunt, quoniā earum ortus uer denunciat. Flectens.) quoniā è Capricorno incipit aſcendere ad Aquariū, & deinceps uſq; ad Cancrum. Anticanis.) interpretatur Cicero procyonen, quod nomen ex ante & cane compoſitū eſt. Plinius agens de ſignis, dicit: Procyon non habet nomen apud Romanos, niſi caniculā hanc uelimus intelligi, hoc eſt minorem canem. Aut uero.) non potuit caſu effici mundus, inquit, nec natura bruta, ſed ſentienti & intelligenti. Cohæret.) connexionem habet & formam globoſam ſcilicet, quæ capaciſſima eſt, & ad permanendū aptiſſima. Vnde Plato dicit in Timæo, Deus dedit mundo figuram uel maximè congruā: eam etenim requirebat, in qua figuræ omnes continerentur, quapropter globoſum effecit, in quo omnis extremitas à medio radijs attingit, quæ quidē figura omniū perfectiſſima, ſibiq; ipſi ſimillima iudicatur. Aptius.) coniunctius, cohærentius atque conuenientius. omnes quippe partes inuicem ſe arctant & connectunt, quod non contingit cæteris figuris. Omnes enim partes.) Rationem affert, quare nihil ſit aptius: quoniam in figura globoſa omnes partes ad medium uergunt, & diſſipari non poſſunt, cum eoſdem habeant nutus. Medium.) id eſt imam partem ſphærici corporis. Vnde terra dicitur eſſe centrum mundi, & medium atq; infimum amplexus ambitusq; cœli, cuius circunferentia æqualiter à centro diſtat. Interrumpat.) interueniat, & ſuo interiectu impediat, & cauſa ſit ut talis nutus labefactetur, & niſus, quoniam omnes terræ partes eòdem ſuopte nutu uergunt & tendunt. Contentio.) deuergentia, & ſimilis conatus terræ partium quæ graues ſunt & ponderoſæ, ſuoq; ſimplici conatu ad imum tendunt, quod medium eſt in ſphæra. Continens.) coniunctus & continuatus aër pari ratione ambit mare, & ſua leuitate aſcendit & conglobat undiq;. Aquæ.) quem animantē & deum & rerum omniū opificem ac principium dicebant Stoici. Heraclitus ex igni omnia conſtare, & in ipſum reſolui aſſeuerauit. Concentus.) conſonantia & concors conſtantia, quamuis uarios habeant motus. Plinius agens de planetis dicit: Saturni ſidus gelidæ ac rigentis eſt naturæ, Martis igneum ardentis ſolis uicinitate, Iouis uero temperatum & ſalutare. Naturæ intelligentis.) id eſt non brutæ, ut quidam opinati ſunt: ſed ſentientis artificioſe ac prouidè, quam naturam deum eſſe dicebant Stoici. Clauiculis.) capreolis. clauiculæ dicuntur à claudendo & continēdo. clauiculæ, inquit Plinius, quibus ſerpunt uites, tritæ, & aqua pota, ſiſtunt uomitionum

mitionum conſuetudinē. Adminicula.)pedamenta & fulcra quæq;. Quin etiam braßicis.) Vide Plinium. Manus.)id eſt proboſcis,& pronomæa,quæ eſt elephantis pro manu. ea quippe cibum potumq; capeſſunt,oriq; admouēt & infundunt. nomen compoſitū à πρὸ, βόσκω, & νέμω,id eſt paſco.

Araneolis.) Tertium araneorum genus, inquit Plinius, erudita operatione conſpicuū,orditur telas,tantiq; operis materiæ uterus eius ſufficit,tam modeſrato ungue,tam tereti filo,& tā æquali deducit ſtamina,ipſo ſe pondere uſus. texere à medio incipit circinato orbe ſubtegmina adnectens, maculasq; paribus ſemper interuallis.Ouidius,Cætera uenter habet,de quo tamen illa remittit Stamen, et antiquas exercet aranea telas. Pinna.)è genere concharū,inquit Plinius,ſubrecta ſemper, nec unq̄ ſine comite, quem pinnoterem uocant, alij pinnophylacem.eſt autem ſquilla parua,alibi cancer dapis aſſectator.

Calidiora.)ut Aegyptum, & adiacentes regiones,in quibus hyemant,æſtiuos æſtus ſeptentrionali rigore temperantes. Ariſtoteles libro 8.Hiſtoriæ animalium:À brumali æquinoctio,inquit,ex Ponto locisq; frigidis fugiūt hyemē futuram,à uerno autem è tepida regione ad frigidam ſe conferunt metu futuri æſtus:& aliæ è locis uicinis diſcedunt,aliæ de ultimis propè dixerim, ut grues faciunt, quæ è Scythicis campis ad paludes Aegypto ſuperiores, unde Nilus profluit,aduolāt:ubi pugnare cum Pigmæis dicuntur. Quod ea.)Senſus eſt, & ordo: Canis uomitione purgatur, & ibis clyſtere,quod dilutorium latinè dici poteſt. Ea igitur quæ medicorum ingenijs reperta ſunt, canis curat uomitione,& ibes curant purgantes aluos.Plinius ſic ſcribit:Simile quiddā & uolucris in eadem Aegypto monſtrauit quæ uocatur ibis, roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens,qua reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt. Inuenerunt & canes canariam, qua faſtidiū deducunt, eamq; in noſtro conſpectu mandunt,ſed ita ut nunquā intelligatur quæ ſit. Curant.)exercent ad remedium cruditatis atq; repletionis. Vomitiones,inquit Plinius, homini ad hæc in remedium excogitatæ, frigidiora corpora faciunt, inimicæ oculi maximè atq; dentibus. Idem agens de pantheris,dicit:Pantheras per carnes fricatas aconito uenantur barbari, at fera contra hæc excrementis hominis ſibi medetur. & de ſeſeli ſcribēs ait,Hac paſci dicuntur ceruæ pariture. Ariſtoteles in nono Hiſtoriæ animalium: Panthera, inquit,cum ueneniū,pardalianches dictum ab angore,ederit,ſtercus hominis quærit,eo enim iuuatur. In Creta inſula capras ſylueſtres ſagitta transfixas dictamnum quærere aiunt, hoc enim ſpicula è corpore eijci. Sepiæ.)inquit Ariſtot. Atrū humorē,cui nomen atramentū, effundunt omnia metu perculſa,ſed præcipuè ſepia. Torpore.)ſtupore quodam immiſſo. torpedo dicitur ab effectu, quia piſces torpere facit. Nouit torpedo uim ſuam,inquit Plinius,ipſa non torpens, merſaq; in limo ſe occultat,piſces,

qui ſecuri natantes obtorpuere, corripiens. Locis.) uterinis cellulis. Ariſtoteles in hiſtoria animalium, pars uuluæ, inquit, interior, loci & uterus. unde fratres uterinos appellamus, oſtiũ uero matrix dicitur. Piſces ut aiunt.) Ariſtoteles 6. Hiſtoriæ animalium dicit, Pariunt oua omnes piſces qui ſquamis teguntur, & ſpargunt illa: & magnam ouorum partem, ut narratur, mares deuorant: alia pereunt in humore. quæ autem locis opportunis edita ſint, hæc ſeruantur. nam ſi omnia ſeruarentur, nimia cuiuſq; generis eſſet copia. Nec uero hæc omnia ſecunda locantur: Sed ea quib. editis mas ſemen genitale aſperſerit. ſub partu enim mas ſequens, ſemen ouis adſpergit: & quæ uitale id uirus contigerit, his piſciculi enaſcuntur. cæteris pro ut fors tulit, euenit. Liberantur.) Aquilæ, inquit Ariſtoteles, cum primum prouolandi facultas fuerit, pullos nido pellunt: cæteræ quoq; aues hoc idem faciunt, excepta cornice, quæ aliquandiu prouidet, quippe quæ uolantes iam ſuos pullos paſcens ipſa comitetur. Stirpes.) ueluti ſunt uites, quæ annuam putationem requirunt, & culturam agricolarum. Nilus.) dicitur quaſi noua materies, quam quotannis defert, mundans Aegyptũ atq; fœcundans. Meſopotamia.) dicta eſt, quod media ſit inter duo flumina, Euphraten ſcilicet, & Tigrin. Indus.) inquit Plinius, in iugo Caucaſi ortus, undeuiginti recipit amnes. ab Indo fluuio populi dicti ſunt, autore Stephano, indici. Eſt & alius Indus in prima parte Aſiæ, qui recipit ſexaginta perennes fluuios: torrentes uero amplius centum lætificat, exhilarat, fertilesq; facit. unde lætas dicimus ſegetes, & ſata læta. Tempeſtiuos.) opportunos, et tempori æſtiuo neceſſarios, et ſalubres uentos, qui Eteſiæ appellãtur. hi aũt ſunt annui aquilones, et ſtati, ab ἔτος, quod annũ ſignificat. uide ſuper his Plinium, & Ariſtotelẽ in Meteoris. Opportunitates.) commoditates, quas præbent flumina in uehendis exportandisq; rebus, nec non irrigandis agris, et lætificandis. Nihilo probabilius.) Aeq;, inquit, abſonũ eſt beſtiarũ cauſa mundũ eſſe effectũ. Adiunctis naribus.) foramina nariũ, in quit Ariſtoteles, in oris partem pateſcunt, unde fit ut inter bibendum humor retractus effluat per nares. Augetur.) quaſi duplicatur & iuuatur: quoniam ſpiritus per nares etiam ingreditur, & aſpirationẽ auget, atq; reſpirationẽ, etiam ſi os claudatur. Lactantius agens de naſo: In hoc membro, inquit, tria ſunt officia conſtituta: unum ducendi ſpiritus, alterum capiendi odoris, tertium ut per eius cauernas purgamenta cerebri defluant. Molitur.) teritur, ut mola triticum. unde molita cibaria, molitus cibus atque commolitus. & molares dentes, molendis & terendis cibis idonei: quorum durities, inquit Lactantius, ſicut in molari lapide maior eſt & aſperior, quàm in cæteris oſſibus. Conficiunt.) terunt & molunt genuini. dicuntur & maxillares, quoniã à genis dependent, & maxillis. Stomachus.) principium & oſtium inteſtinorum. &

inde

inde nomē, quanquā pro uētriculo nūc uulgo ponitur. Stomachus, inquit Celſus, qui inteſtinorū principiū eſt, cū uētriculo cōmittitur: uentriculus aūt receptaculū cibi eſt. Ad radices.) imā partē linguæ atq; radicationē. à lingua incipit ſtomachus. Vtraq; ex parte.) quoniā hinc et inde ſunt carūculæ, quæ tonſillæ appellātur in homine, ſed in ſub. glandulæ. Ipſius.) ſtomachi, qui dilatatur et cōtrahitur pro ut exigit uſus ad cibū detrudendū: cui ſtomachus uiā præbet, & poſt ipſum ſe contrahit ut cibus deſcendere compellatur. Arteria.) dicitur ſemita ſpiritus, & uulgo canna pulmonis, quæ carne conſtat & cartilagine: ideo trachea dicta eſt à Græcis, id eſt aſpera. Guttur, inquit Ariſtoteles, quod & arteria uocatur, corpore conſtat cartilaginoſo. non ſolum enim ſpirandi cauſa eſt, ſed etiam uocis. quod autem ſonat, leue ac ſolidum eſſe oportet. ante gulam arteria poſita eſt, quanquam impedimento eſt cum cibus ingeritur: nam ſi quid uel cibi uel potus in arteriam dilabitur, ſtrangulationes, tormina, & grauiſſimæ tuſſes incitantur. Paulo ſupra.) quoniā arteria eſt ante ſtomachum. Non ſine magna ratione, inquit philoſophus, guttur ante gulam poſitum eſt. Cor enim in parte priori atq; in medio ſitū eſt, in quo principium uitæ omniſq; motus & ſenſus eſſe cenſemus. etenim partem uerſus quam priorem appellamus, tum motus tum ſenſus agitur. hac ipſa ratione pars prior & poſterior ſtatuenda eſt. Arteriam quoq; ante gulam conſtitui neceſſe eſt. hæc enim ad pulmonem & cor tendit, gula ad uentrem. deniq; quod melius & nobilius eſt, id ſemper niſi quod maius impediat ſuperioris inferioriſq; ratione ſuperius collocatur. Quæ ducta ſit ſpiritu.) hauſta per ipſam ſpirationem, cuius oppoſitum efficit reſpiratio atq; remiſſio aēris, qui latine dicitur anima, ſpirabiliſq; natura. Tegit ut quaſi operculo quodam.) id eſt parua lingua, quæ epigloſſis ſiue epiglottis dicitur à Græcis. Sub ipſis faucibus, inquit Celſus, exigua lingua eſt, quæ cum ſpiramus attollitur, cum cibum potionēq; aſſumimus, arteriam claudit. Arteria, inquit philoſophus, cibo infeſtatur: attamen natura molita eſt ad hoc minorem linguam, quæ arteriā operiret. hæc ſpiritui trahendo reddendoq; aperitur, cibo ingerēdo operitur, ne quid illabatur.

Pulmones & cor.) Pulmo, dicit philoſophus, ſpirandi officio delegatus eſt, qui originem quidem ſui motus accipit à corde, ſed ſua tum amplitudine tum inanitate aditum ſpiritui patefacit. cum enim attollitur, influit ſpiritus: cū contrahitur, effluit. pulmo eandem quam cor obtinet ſedem, idq; amplectitur ſpiratio tum propter pulmonē, tum propter originem cordi inditam, agitur, attrahitur & redditur aēr per arteriā. Eſt multiplex.) multiformis. Subeſt uenter, inquit Plinius, ſtomachum habentibus: cæteris ſimplex, ruminantib. geminus. Sed Cicero agit de humano uentre, qui non eſt ſimplex, ſed duo habet tergora, ut inquit Celſus, id eſt coria, & uarias habet plicas, ideo multiplex dicitur.

tur. Aſpirantes.)ſpiritum emittentes. Cum ſe conſtringunt pulmones, exprimunt ſpiritum more folliū. Maximè.)dixit, quoniā & cibus potusq; adeſſe debent. ſed ſine reſpiratione ac ſpiratione nō uiuit homo: ideo ſpiritus uitalis dicitur, & aër corruptus infert mortem. Ab inteſtino medio.) quod eſt inter aluum, & partes imas. Hiq; humores.)id eſt urina, quæ per renes meat. Renes, inquit philoſophus, nulla neceßitate habētur, ſed ut melius et locupletius ſit. humoris enim excremētitij gratia, qui confluit in ueſicam, adiuncti ſunt ex ſua natura, in quibus plus huiuſcemodi ſedimenti fieri ſolet, ut ueſica melius ſuo munere fungeretur. In totū corpus.)Cauſa, inquit philoſophus, ut uenæ in omnis corporis partes digerantur, quoniā ſanguis, & quod uicē ſanguinis tenet, totius corporis materia eſt: quæ in uena, aut in uicario uenæ continētur. Venarū riui in omnis partes corporis expandūtur. ſanguinē quippe findi per omnia, adeſſeq; omnibus oportet: ſiquidē partes quæq; ex eo conſiſtunt, & ut in hortis rigandis de una origine fonteq; uno aqua riuis per multis deducitur, alijq; ab alijs ductus ſubinde excipiunt, quouſq; humor in omnes partes deueniat. Quēadmodū.)Pronū eſſet, inquit Cicero, explicare quomodo fæces ad ſedē deſcendant. nā inteſtina lubrica ſunt, & pinguia, & naturalis uentus reliquias ciborū detrudit, & ipſa inteſtina ſe contrahunt & extendunt, ut de ſtomacho & gula dictum eſt: ſed dicere ſuperſedeo, ne iniucunda fiat oratio.

Cōcipitur.)cōprahenditur altero cordis uētriculo: duo enim ſunt. unus continet ſanguinē, alter uero ſpiritū. Cor, inquit philoſophus, origo prima et fons eſt ſanguinis, aut receptaculū primū. Hæc ex cōſectione animaliū perſpici poteſt. Intextæ.)implicitæ, ſimul etenim tēduntur atq; texūtur uenæ, arteriæ, et nerui: et per hæc tria fit ſenſus tactus, per mediū ipſius carnis. Artus finiendos.)terminādos nodos et nexus membrorū. Artus dicuntur membrorū coniunctiones, et extremæ partes. dicti ſunt, quoniā membra membris artent, id eſt adiungant & adnectant. Qui.)nerui. Copia neruorū in corde eſt, dicit philoſophus: idq; recta ratione. hinc enim motus oriuntur, qui tendendo remittendoq; efficiūtur. itaq; miniſterio tali & robore opus eſt. Sed tamen recentiores anatomiſtæ neruorum originem in capite eſſe demonſtrant. Cœlum intuentes.)contēplantes cœleſtia, illorū opificē & moderatorē cognoſcerent.

Suo munere.)ſpeculandi officio. Rerum optimarum inquit Plato, cognitionem nobis oculi attulerunt. nā hæc quæ de mundo diſputantur, nunquàm inuenta eſſent, ſi neq; ſidera, neq; ſol, neq; cœlū ſuſpici potuiſſent. cognitio uero diei ac noctis ab oculis orta, effecit ut dinumeratione quadam menſium annorūq; ambitus metiremur, tēpus cognoſceremus, uniuerſæ naturæ ordinē ſcrutaremur: quibus rebus philoſophiam adepti ſumus, quo bono nihil unquā maius mortalium generi datum eſt deorum munere, neq; dabitur. Aſſerendum eſt

ob hanc

ob hanc potiſſimũ rationem deum oculos genuiſſe, ut mentis circuitus qui in cœlo peraguntur intuiti, in uſum redigamus noſtræ mentis, cogitationesq́; noſtras ad illorum temperantiã reuocemus. Nares.) interpretes odorũ ſunt. ſedes huius ſenſus eſt in duabus quaſi glandulis, in parte anteriori iuxta cerebrũ locatis. Iudicium cibi.) quoniã è qualitate odoris iudicant naturam cibi et po tus. Guſtatus.) eſt in lingua palato et ſaliua. Aequabiliter.) pariter et ſimiliter. & hic ſenſus eſt communiſſimus animantibus. Non enim dicuntur animantes ſi ſenſu uacant, & communi maxime uegetabilia: ſiquidẽ animam habent altricem. Sed animalia nõ dicuntur. Animal eo definimus, inquit philoſophus, quod ſenſum obtinet, primumq́; eum qui primus eſt: tactũ autem primum eſſe certum eſt. Acies.) dicitur cuiuſq; rei acumen. unde acies oculi, acies ingenij. Pupilla dicitur, quia reddit paruam quandam imaginem tanquam ſpeculum.

Conniuentibus.) clauſis in ſomno, quo ligantur ſenſus, feriatiq́; redduntur ut quieſcant & refoueantur: ſemper enim laborat natura, & ipſi ſenſus hebetantur et delaſſantur. Corneolos.) id eſt tortuoſos et curuos, inſtar cornuum ut reſonantia fiat. His naturis.) qualitatibus duris & tortuoſis. Quod ſonat, inquit philoſophus, leue ac ſolidum eſſe oportet. Senſibus beluarum.) Hoc non ſimpliciter accipiendum eſt: eſſet enim falſum. ſed propter ſenſum communem, & rationem beſtiæ, ſiquidem ſe ſentire non ſentiunt: homo autem cognitionem ſuam ſuper ſenſus reflectit, eosq́; nobilitat et auget. ideo præſtare dicuntur. Quarum iudicium.) id eſt quas iudicare, pertinet ad oculos, qui ope rationis ac lumine formarum qualitates & proportiones cognoſcunt. Motione & geſtu.) motu corporis et actu, quo mores aut graues indicantur, aut molles: nec non decorum in talibus æſtimatur ab oculis ratione duce, quæ præterea recolit, & ſimilitudines confert, conijciúq; de futuris. Venuſtatem.) gratiam, quam parit elegans et apta membrorũ compoſitio. Cognoſcunt.) ex ſignis ſcilicet, harum affectionum, in facie uultuq́; apparentibus. alibi dicit Cicero: Licet ora ipſa cernere iratorum, & eorum qui aut libidine aliqua aut metu commoti ſunt, aut uoluptate nimia geſtiunt: quorum omnium uultus, uoces, motus, ſtatusq́; mutãtur. Diſtinctio.) diſtributio et ordinata collocatio ſonoritatum: quarum interualla græcis appellationibus notata ſunt, ut eſt epitritus, diateſſaron, diapente, diapaſon, & cætera generis eiuſdem, quarum exacta cognitio muſicorum eſt. hæc autem diſcernit auditus rationis auxilio, ut de oculis dictum eſt. Vnguentorum.) quorum uarietate nares oblectantur. Hactenus, inquit Plinius, in odoribus habent precia ſyluæ, erantq́; per ſe mira ſingula, iuuitq́; luxuriam ea omnia miſcere, & è cunctis unum odorem facere. ita reperta ſunt unguenta, quorum honor & ad defunctos pertinere cœpit.

Hæc eſt

Hæc eſt materia luxus è cunctis maxime ſuperuacui. Margaritæ enim, gemmæq; ad hæredem tamen tranſeunt, ueſtes prolongant tempus, unguēta illico expirant, ac ſuis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut tranſeuntem fœminam odor inuitet etiam aliud agentē. Terrarum omnium Aegyptus accommodatiſſima unguentis, ab ea Campania eſt proxima copia roſæ. Conditiones.) conditura inditi ſapores. Condire cibos eſt, condimentis reddere ſapidiores, & gulæ iucundiores, in quo ſe iactat ſtudium popinæ.

Lenocinia.) expolitiones & mangonizationes, ad irritandam uenerem, proſtituendamq; pudicitiam. Ipſis rebus.) ratione, conſilio, prudentia. Ordo eſt, qui non perſpicit diuina cura perfecta eſſe, is uidetur mihi carere ipſis rebus. Quo modo.) eleganter ſcilicet & copioſè, qui orationis nitor & fluxus deerat Stoicis, preſſius de re aliqua diſputantibus, & aceruali ratione ferè utentibus. Intelligentia.) notitia quædam largè ſumpta. Ratio, inquit Balbus, cognoſcit ſingula, è quibus ad ipſum uniuerſale per inductionem aſcendit. poſtmodum ratiocinatur concluditq; quod inde ſequitur, ut formulæ oſtendunt dialectices. Cum primis.) præcedentibus et antepoſitus quibuſdam communibus, ſiue uniuerſalibus, quibus ueris atq; conceſſis, conſequens infertur, quod totam ſignificat aut partem. Comprehenſio.) coniunctio & conglutinatio. hanc uim rationis in primo Officiorum his uerbis expreſſit: Homo autem rationis particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum uidet, earumq; progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebusq; præſentibus adiungit atq; adnectit futuras, facile totius uitæ curſum uidet, ad eamq; degendam præparat res neceſſarias. Ex quo quid efficiatur.) concludatur, & ut uerum & conſequens affirmari poſſit. antecedens etenim conſequentis uim & naturam arguit. Ratione.) ſyllogiſmo, & quadam comprehenſione atq; diſcurſu à primis ad ultima, quæ concludenda intenduntur. Definimus.) determinamus uim, & qualitatem declaramus, ut confuſio tollatur à medio, & ambiguitas: idcirco diuiſiones rerum & definitiones adhibitæ ab his ſunt, qui ſciendi formulas nepotibus reliquerunt. Circumſcriptæ.) determinatæ et definitæ. Circumſcribere rem, eſt illam undiq; deſignare, ac terminos ponere, ut quatenus uis rei circumſcriptæ tendat, cognoſci poſſit. quapropter definitio dicitur à græcis ὅρος, id eſt terminus & finis: & ὁρίζω, termino ac definio. fit autem definitio per ea quæ rei definiendæ ſubſtantiam conſtituunt: ut homo eſt animal rationale. omnisq; bona definitio genus complectitur & differentiam. Veteres ſic præcipiunt, inquit Cicero, cum ſumpſeris ea quæ ſunt ei rei quam definire uelis cum alijs communia, uſq; eò perſequi dum proprium efficiatur. Complectimur.) comprehendimus, et circumſcribimus uim omnē paucis complectentes, ut ſcientia fiat in

nobis

nobis, quæ res omnes per propria principia & cauſas cognoſcit. Neceſſe eſt (inquit philoſophus) demonſtratiuam ſcientiam eſſe ex ueris primis, immediatis, notioribus, & prioribus, cauſisq; concluſionis. ſic enim erunt propria principia ei quod demonſtratur. hæc ille. Per ſcientiam quippe percipimus ueritatem concluſam & demonſtratã è principijs ſuis & cauſis, quæ ipſis concluſionibus priores ſint, & notiores. Vos Academici *infirmatis.) infirma oſtenditis, & debilia.* Noui *quippe* Academici *ſenſuum iudicia infirma eſſe dicebant & incerta, nihilq; ratione certa ſciri aut percipi poſſe. tamen res ipſa illorum arguit calumniam, & pertinaciam: ſi nulla quippe rerum eſſet perceptio, nulla uitæ ars haberi poſſet, nulla intelligendi & ſciendi formula.*

Quæ extra ſunt.) id eſt obiecta ſenſuum omnium, & intelligibilia quæq;. Idem Cicero Lucullum contra Academicos ita differentem induxit. *Diſputari poterat ſubtiliter, quanto artificio natura fabricata eſſet primum omne animal, deinde hominem maxime, quæ uis eſſet in ſenſibus, quemadmodum primo uiſa nos pellerent, deinde appetitio ab his pulſa ſequeretur, tum ut ſenſus ad res percipiendas intenderemus. mens enim ipſa, quæ ſenſuum fons eſt, atq; etiam ipſa ſenſus eſt, naturalem uim habet, quam intendit ad ea quibus mouetur: itaq; alia uiſa ſic arripit, ut his ſtatim utatur: aliqua ſic recondit, è quibus memoria oritur. Cætera autem ſimilitudinibus conſtruit, è quibus efficiuntur notitiæ rerum, quas Græci tum* ἐννοίας, *tum* προλήψεις *uocant. eò cum acceßit ratio, argumentiq; concluſio, rerumq; innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet, & eadem ratio profecta his gradibus ad ſapientiam peruenit.* Ad *rerum igitur ſcientiam uitæq; conſtantiam aptißima cum ſit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem, & propter ſe, et propter uſum. quocirca & ſenſibus utitur, & artes efficit quaſi ſenſus alteros: & uſq; eò philoſophiam ipſam corroborat, ut uirtutem efficiat, ex qua re una uita omnis apta ſit: ergo hi qui negant quicquam poſſe comprehendi, hæc ipſa eripiunt uel inſtrumenta uel ornamenta uitæ, uel potius etiam totam euertunt funditus, ipſumq; animal orbant animo, ut difficile ſit de temeritate eorum perinde ut cauſa poſtulat dicere.* Ex *quibus extrinſecis.) perceptis & comprehenſis ſenſu & mente, quæ ſenſus regit atq; erudit, hisq; utitur ad artes efficiendas.* Collatis.) *ſimul poſitis & coniunctis. nam ſenſus citra rationem parum, uel nihil poſſunt.* Ratio *autem ſine ſenſibus, id eſt miniſtris & inſtrumentis, opus non efficit: idcirco mutua ope hæc indigent.* Comparatis.) *commixtis, & mutuam operam præſtantibus ad artes conformandas, ideſt uias & formulas rerum efficiendarum effingendas. etenim ſenſus proportionem rerum & conuenientiam partium iudicat, et decorum admonente communi ſenſu & ratione. nam ſenſus, ut ſenſus, non ſentit ſe ſentire: ut in cæteris appa-*

 ret ani-

ret animantibus,ratione caßis. Ars eſt habitus cum ratione effectiuus. Socie
tate.) communicatione, participatione & æquabilitate, ut ſcilicet pari &
æquo iure cum ciuibus uiueretur, & urbes frequentarentur in commune bo/
num,declinare:urq́; tandem agreſtis feritas,et uictus inhumanus. Ad uſum.)
id eſt ut apte & commode uti poßimus oratione. Arteria.) *ſemita ſpiritus,*
quæ uulgo canna pulmonis appellatur. Arteria græce dicta eſt quaſi tutela
& cuſtodia aëris,id eſt animæ, ſiue flatus & ſpiritus. Preſſos.)*reſtrictos,ac*
per hoc moderatos. Ne igitur uaſta & profuſa uox exeat,preſſu dentium lin/
gua ueluti quoddam naturæ plectrum ipſam effingit, & terminat. Pellit.)*mo*
uet ipſos ſonos ad ſeptum dentium & palati oras, ut conſomentur ne temerè
exeant, & inconditè. Plectrum.)*dicitur inſtrumentum,quo nerui ſiue chor/*
dæ tanguntur in muſicis inſtrumentis. à uerbo πλήττω, quod latinè ſignificat
percutio & uerbero. Noſtri.) *Stoicæ ſectæ philoſophi, qui naturale inſtru/*
mentum in ore humano admirabantur,dicentes linguam eſſe plectrum,dentes
chordas, cauum oris teſtudinem, & narium curuos meatus cornua teſtudinis
et ſinus. Qui)*cornus more priſco cornum poſuit genere uirili & quarti or*
dinis:ut uiſus inclinatur, & ſenſus. adſtipulatur & Priſcianus, & Lucanus,
qui ſic cecinit: Cornus tibi cura ſiniſtri. & Plinius his uerbis:Dentes mobiles
confirmat ceruini cornus cinis. Ad neruos.)*chordas, quæ & neruiæ dicun/*
tur, quoniam è neruoſis inteſtinis fiũt. In cantibus.)*muſicis inſtrumentis,ob*
ductis & clauſis naribus uox non reſonat. unde cognoſcitur inſtrumentalis fa
brica, & naturæ ſollertia, quam artes imitantur. Quæſita manu.)*opera ma*
nus comparata:quoniam ſeruntur, fodiuntur, ſarriuntur, ſtercorantur, ablaque
antur,ut maturos et tempeſtiuos afferant fructus. Statim.)*in ipſa maturitate*
comedantur, cum tempus non ferant: aliqua uero reconduntur ad uſum an/
nuum. Condita.) *repoſita. unde condus dicitur, qui talia reponit: & pro/*
mus, qui profert in uſum, cũ uſus exigit. Mandentur.)*dantur uſui futuri tem*
poris, et ſeruantur, ut penus fiant. Alendo.)*nutriendo: inde altilia dicta, quæ*
domi aut ruri alimentis fouemus, & cicuramus. inde cicures animantes ad dif/
ferentiam ferarum dictæ. Quibuſdam beſtijs.) *ut clitellarijs iumentis, aſinis,*
mulis, boui uero iugum debetur. unde prouerbium, boui clitellas, in eos quibus
onus minime conueniens imponitur. Clitellæ, inquit alibi Cicero, boui ſunt im/
poſitæ, non eſt noſtrum onus, ſed feremus. Elephantorum ſenſibus.)Elephas,
inquit Plinius, maximum animal, & proximum humanis ſenſibus, quippe in/
tellectus illis ſermonis patrij, & imprimis obedientia, officiorumq́; quæ didi/
cere memoria, amoris & gloriæ uoluptas & probitas, prudentia, æquitas,
religio quoq;. ſiderum, ſolisq́; & lunæ ueneratio Regem adorant, genua ſub/
mittunt, coronas porrigunt. Sagacitate.)*olfactu. Sagire eſt acute ſentire, in/*

de ſagaces

de ſagaces dicti canes. In rerum natura.) in ipſa proprietate rerum natura/ lium efficimus aliam naturam: quoniam humana induſtria natiuas rerum qua/ litates commutat. Alteram naturam.) nouam uim & uſum. ideo dixit Poëta, Fructuſq; feros mollire colendo. Ex qua.) cognitione oritur illa uirtus, quæ optimam & nobiliſsimam colit naturam, & ſuſpicit, ne tantis ingrata benefi/ cijs uideatur. eſt etenim deus glorioſus & ſublimis, prima & ſimplex rerum omnium cauſa & conſeruatio. Reliquæ uirtutes.) prudentia, fortitudo, & temperantia, quæ modum in omni re ſeruat, & decorum. exemplo cœleſtium, quæ ordinem, iuſtitiã & conſtantiam ſeruant. Vnde Euripidis Iocaſta exhor/ tans Etheoclem filium ad iuſtitiam dixit, Reſpice cœlum, in quo tenent omnia ratos ordines, & aliena non occupant. E quibus.) uirtutibus oritur felicitas, quæ conſtat ex adeptione ac ſumma uerorum bonorũ & maximorum, quæ ab ſolutiones humanæ rationis definiũtur, & appellantur. Niſi mortalitate.) Vn de Ariſtoteles dixit hominem eſſe natum ad actiones & contemplationes, qua ſi quendam mortalem deum. Quæ.) immortalitas nõ eſt ſimpliciter cauſa, ut bene beateq; uiuatur. uitioſi namq; ſpiritus in ipſa immortalitate miſeriam ha bent ſempiternam: uirtutibus ſiquidem accepta refertur felix & beata uita.

Reſtat ut doceam.) Hæc eſt quarta pars primæ diuiſionis, qua conſuli à deo rebus humanis concluditur, & peroratur. Perorem.) concludam & fi/ niam orationem. peroratio eſt ultima pars orationis. Iure.) ordinatione ali/ qua ciuilitatis, & ſcripta lege, quæ nil aliud eſt quàm ſermo prudens, & ad ciuile bonum diſponens ciues. aliter non lex, ſed deprauatio dicitur. Duas reſ/ pub. animo complectamur, inquit Seneca: alteram magnam, & uerè publi/ cam, qua dij atq; homines continentur, in qua non ad hunc angulum reſpici/ mus, aut illum, ſed terminos ciuitatis noſtræ cum ſole metimur: alterã, cui nos adſcripſit conditio naſcendi. Iam uero circuitus ſolis.) etiam præclara cœli lumina oculos noſtros oblectant, & uſibus noſtris inſeruiunt. Species.) ſpe/ ctatio inſatiabilis, ac per hoc gratiſsima & oculis & rationi, qua talium lumi num curſus metimur, atq; effectus. Species à ſpecio fit, quod non eſt in uſu: in compoſitione aſpicio. Terra uero.) Deſcendit ad commoda terræ, atq; terre ſtrium. Nec ſi quæ.) Occurrit obiectioni. Libere.) nemine prohibente, cum rectũ habeant à natura dominiũ. Et odoratus.) qui beſtias non delectat niſi per accidens. neq; enim, inquit Ariſtoteles, odore leporũ, ſed uſu gaudent ca/ nes: odor autẽ ſenſum fecit. neq; uoce bouis leo, ſed eſu: per uocem autem ſen/ ſit illum eſſe propinquum. Ipſas beſtias.) In tertio de Finibus, Catonem ſic loquentem inducit: Et quomodo hominum inter homines eſſe uincula pu/ tant, ſic homini nihil iuris eſſe cum beſtijs. Præclarè enim Chryſippus cæ/ teranata eſſe hominum cauſa, & deorum: eos autem, communitatis &

ſocietatis ſuæ: ut beſtijs homines uti ad utilitatem ſuam poßint ſine iniuria. Aureo genere:.)id eſt optimo et caſtißimo. Aureũ genus, inquit Plato, dicitur non ex auro conſtitutum, ſed bonum atq; præclarum. & omnes boni atq; prudentes, aureum genus eſſe dicũtur. Columella agens de boue, dicit: Tanta fuit apud antiquos ueneratio, ut tam capitale eſſet bouem necaſſe, quàm ciuem. hoc etiam Plinius repetijt. Eſcam.)cibum, ad nil aliud ualet brutißimũ animal. Vnde prouerbium fuit apud græcos, ſuos Boetiæ: in eos qui ſtolidi habebantur, & hebetes, quales olim Thebani. quapropter gloriatur Pindarus, tale ſe prouerbium præſtantia ingenij effugiſſe. Pro ſale.) loco ſalis, & uice. Plinius agens de ſuibus, dicit: Animal hoc brutum maximè, animamq́; ei pro ſale datam, non illepidè exiſtimabatur. Pronœa noſtra.) prouidentia inducta à Stoicis. Epicurea.)uoluptatis magiſtra et comparatrix. Alites et oſcines.) augurium ore facientes. Vnde oſcinum dicitur augurium, è cantu auium factum. Plinius oſcies aues uocat, canentes. tria ſiquidem genera facit auium: primum earum quæ ungues et digitos habent: ſecundum oſcinum, quibus eſt oris cantus: tertium alitum, quæ magnitudine ab alijs differunt, his uerbis: Nunc de ſecundo ordine dicamus, in duas diuiſo ſpecies, oſcines et alites. hæc ille. alites ſunt, ut pauones, gallinæ, anates, grues, ciconiæ, cæteraq́; id genus. & ales dicitur, quicquid habet alas. unde ales Mercurius & Perſeus. Alites.) ſcilicet paßis alis & exporrectis augurium facientes, quas præpetes olim nominarunt poëtæ. Et exercemur.)id eſt, ut pugna cum feris qui dentibus & unguibus hoſtes referunt, animoſos & fortes reddat iuuenes. Vnde Aſcanius Virgilianus, Pecora inter inertia uotis Optabat aprum aut fuluum deſcendere monte leonem. Plato in lib. 7. de legibus, agens de uenatione dicitur: Sola ergo quadrupedum uenatio illa reſtat optima, quæ equis, canibus, corporisq́; uiribus agitur. nã quibuſcunq; fortitudo cordi eſt, hi quadrupedes omnes curſu, uulneribus, telisq́; manu propria uenando uincere debent. Illa uenatio indigna laudationis habetur, quæ in laboris remißione fit, & retibus, laqueisq; non conſtantis animi uiribus ferarum domat atrocitatem. Condocefactis.) inſtructis, inſtitutis, eruditis. ſunt etenim dociles imprimis elephanti, & ad humanos ſenſus proximè accedunt. Ex earum.)ferarum, quarum partes remedio ſunt morbis: ut in obſeruationibus medicorum & Plinij licet intueri. Totam licet animis.)poſſumus, inquit, animo omnem uim terræ ac maris contemplari, & uidere uſus in ipſis maximos, quibus conſultum eſſe à deo rebus humanis comprobatur. Cernere etiam.)oculis percipere latitudinem camporum, qui paſcua nobis & fruges ſuppeditant. Intimis.) intrinſecis & profundis, quibus uenæ metallorum occultantur, & inde humanis ingenijs eruuntur, quod beneficium diuinæ benignitati ac prouidentiæ acceptum refertur:

licet

licet nonnulli talibus naturæ donis ad hominum perniciem abutantur. Illud uero.)Diuinatio,inquit,quam uterq; ueſtrum deridet, imprimis confirmat diuinam erga homines prouidentiam. Cotta.) ſcilicet arripiet ad reprehendendum: quia imitatur Carneadem,Stoicorum hoſtem. Velleius.)arripiet,ut Epicurum ſectetur,diuinationis deriſorem. Eſt autem diuinatio, prædictio & præſenſio earum rerum quæ fortuitæ putantur. Multa cernunt.)Ponit exempla utriuſq; diuinationis, artificioſæ uidelicet, ut haruſpicinæ: & auguralis, nec non naturalis id eſt,uaticinij & ſomniorum. Idem agens de Diuinatione dicit, His aſſentior qui duo genera diuinationis eſſe ferunt,unum quod particeps eſt artis,alterum quod arte careret. eſt enim ars in his qui nouas res coniectura perſequuntur. carent autem arte hi, qui non ratione aut coniectura obſeruatis ac notatis ſignis,ſed concitatione quadam animi, aut ſoluto liberoq; motu futura præſentiunt: quod & ſomniantibus ſæpe contingit,& nonnunquam uaticinantibus per furorem. Licet enim.)amor,inquit,diuinus & gratia ad omnes homines ſe extendit,& ad ſingulos etiam contrahitur, more humanæ amicitiæ,quæ quum complectatur omnes homines, tamen in anguſtum contrahitur,& in una domo uel maximè uiget: qualis eſt amicitia coniugum, parentum,filiorum,fratrumq;. Conſulunt.)id eſt prouident, illis ſcilicet qui hunc terræ orbem quaſi magnam inſulam extremo oceano ambitam incolũt.

Spartam.) Lacædemonẽ, et Rhodon inſularum ſemper clariſſimam: et ideo ſoli dicatam. Coruncanum.)Pontificem maximum, quamuis plebeium, & à runcandis leguminibus cognominatum. Primus ſiquidem è plebe ob inſignes animi dotes, primus ad pontificatũ euectus eſt. C.Duilius.)Prælio nauali primus Carthaginenſes uicit,ad Milas litorale oppidum Siciliæ: et primus Romanorum ducum naualis uictoriæ triumphum adeptus eſt. Cæcilius.) Metellus pontifex maximus,cũ templum Veſtæ arderet,ex incendio ſacra rapuit. C. Lutatius uictis ad Aegates inſulas Pœnis,primo bello Punico finem impoſuit. Secundo.) ſcilicet bello Punico Hannibale Italiam lacerante: cuius uictorias Fabius maximus cunctando retardauit. M. Marcellus apud Nolam fugere compulit Hannibalem,& Scipio Aphricanus tandem in Aphricam retractum edomuit. Talem.) tantæ ſingularitatis quod confirmat autoritate Homeri,qui claris heroibus fauentia numina attribuit: ut oſtenderet, omnem excellentiam diuinæ gratiæ acceptam referri debere. Aliquo afflatu.) inſpiratione, gratiaq; conceſſa diuinitus. Præclara ſententia, & ſacris inſtitutis omnia deo accepta referentibus conſentanea imprimis. Nec uero.)Obiectioni occurrit Stoicus. Iactura,inquit,incommodis externis nõ arguit quenquam deo inuiſum,et derelictum. is enim deo charus uideri debet,qui uerorũ & maximorum,imò uerius ſolorum bonorum ſummam adeptus eſt,quæ amitti non

poſſunt et uiolari,rationis uidelicet abſolutionem & ſapientiam, id eſt ſuprẽmam perfectionem omnes numeros uirtutis habentẽ. Magnis.)uirtute prẹditis & ſapientibus, quales Stoici intelligebant qui à fortuna non pendent,ſed omnia ſua bona in tuto habẽt,id eſt in ſeipſis. A noſtris.)Stoicis,qui maximũ robur uirtuti adſcribebant,illamq; non ſolum ad bene,ſed etiam beatè uiuendum ſatis eſſe dicebant:quem locũ idem Cicero probat & illuſtrat in Tuſculanis quæſtionibus. Copijs.)opulentijs,bonorumq; omniũ affluentia,ut qui illã habuerit,ſemper beatus futurus ſit. Verba Socratis apud Platonẽ in Apologia hæc ſunt:Vos quoq; iudices bene de morte ſperare debetis, idq; unũ cogitare uerum eſſe,uiro uidelicet bono nihil mali accidere poſſe, neq; uiuenti, neq; defuncto, neq; res illius à dijs negligi. Neq; mea nunc caſu aliquo acciderunt,ſed mihi id conſtat,mori iam & laboribus liberari melius fuiſſe. Principẽ ciuem.) nobiliſsimum,quẽ decet imprimis tueri religionem à maioribus acceptam,ueluti reipub.ſolidiſsimũ fundamentum. Ergo ſi principis ciuis decorum ſeruare cupis,optime de auitis inſtitutis & cerimonijs debes ſentire.

Facult item.)uim,promptitudinem,& copiam,commentationibus & declamationibus comparatam,& curriculis Academicis auctam. Vnde gloriatur alibi Cicero, ſe oratorem extitiſſe non ex officinis rhetorum, ſed Academiæ ſpacijs. Huc.)ad hanc partem tuendam:quoniam de deo bene ſentiendũ,nec contra illũ quamuis ioco diſputandum eſt,ne ad impietatem dilabamur. Simulate.)fictè,& iocoſè.quoniam in re tanta iocandum non eſt,nec ſimulatione aliqua utendum,aut diſsimulatione,ſed ubiq; ac ſemper de diuina maieſtate aperte & conſtanter ac piè ſentire debemus & loqui.

IN LIB. III. DE NATVRA DEORVM PETRI MARSI COMMENTARIVS.

QVæ quum Balbus dixiſſet.) Quæſitum eſt à Stoico,& tandem peroratum,eſſe deos, & quales eſſent, necnon ab his mundum regi: & non modo omnibus,uerum & ſingulis hominibus conſuli: quæ ratio quanquam pientiſsima eſt,tamen aliquas dubitationes habere poteſt & obiectiones. Idcirco inducitur Academicus in hoc uolumine, qui Carneadeo more debiles eſſe atq; infirmas Stoicorũ rationes de ui ac natura deorũ argumẽtationibus oſtendat,& oppoſitis confirmet exemplis:ut contentione utrinq; facta,liberũ audientibus & legentibus relinquatur iudiciũ. Suo.)proprio et libero: quoniam non eſt iuratũ in uerba Zenonis,aut Cleanthis,uel Chryſippi, quos ſectarios habetis uos Stoici. Apta.)connexa,& alia ex alijs pendentia, ut in eorum ſententia nihil diſcrepet aut pugnet,ſed omnia cohærent & quadrant inuicem:ut primis conceſsis,nil ſequatur quod abſurdũ uideri poſsit. Autoritate.)graui ſententia, qua me in ipſa peroratione appellaſti. In illa oratione nobili.)

nobili)*celebri,& omniũ iudicio commendata*. Idem Cicero ſic ſcribit in Bruto: *Oratione Lælij de collegijs nihil dulcius,in qua de religione diſſeruit.* Auſpicia.)*auguria,nihil etenim quondam nec publicè nec priuatim niſi auſpicato gerebantur:inde auſpices nuptiarũ dicti.nunc tamen remanſit nomen.* Sibyllæ interpretes.)18. *qui carmina Sibyllina inſpiciebant in magnis reip.temporibus,& interpretabãtur.* Haruſpices.)*uiſcerũ inſpectores.* Auſpicijs.) *captato prius augurio:ut latius in explanatione Diuinationis dicã.* Ipſe ſiquidem Romulus peritiſſimus augur fuit.unde Ennius: *Auguſto augurio poſtquã inclyta condita Roma eſt.* Sacris inſtitutis.)*ordinationib. & diuinis ritibus, ad quos populum feroci ſſimũ inſigni pietate conuertit,& ſolidiſſima nouæ urbis fundamenta iecit.* Philoſopho.)*ueritatis indagatore per argumenta & cauſas.* Repetit paucis Cotta propoſitam partitionem Stoicæ diſputationis, ut ordine procedat contradictio.unde dixerat: *Quamobrem ſic agamus, ut nos ipſa ducit oratio.* Primum quid.)*id quod primo loco à te dictum eſt:deos uidelicet eſſe,quod inter omnes fermè conuenit.* Impios.)*deũ penitus abnegantes,quales Dioagoras et Theodorus.* Contuear.)*ſimul aſpiciam duobus oculis,cum poſſim uno.Sed negat Cotta tale exemplũ de ſe in cauſis ciuilibus,& ſimilitudinem de oculis:ut oſtendat per locum topicũ, de diſſimilibus nõ idem eſſe iudicium.* Subtilitate.)*acumine philoſophico,quod nugas reſpuit, & ſuperflua queq; contemnit.* Cauſa.)*ratio quare id facere deberes: quoniam idem eſt altero oculo aſpicere, & ambobus.animã eadem per tales feneſtras contuetur.* Rerum natura.)*effectrix cauſa rerum uniuerſa,cui ſapientiã uos Stoici adſcribitis,deũq; appellatis.* Ab animo.)*à ſede animi et rationis,quam Plato in cerebro poſuit,à quo duo caui nerui ad oculos tendunt,qui optici dicũtur à Græcis,id eſt uidendi uim habentes.* Idem in Tuſculanis quæſtionibus dicit: *Neq; enim eſt ullus ſenſus in corpore,ſed ut non ſolũ phyſici docent,uerum etiã medici qui iſta aperta & patefacta uiderunt,uiæ quaſi quædam ſunt ad oculos,ad nares, ad aures à ſede animi perforatæ.itaq; ſæpe aut cogitatione,aut aliqua ui morbi impediti, apertis atq; integris et oculis & auribus nec uidemus,nec audimus:ut facile intelligi poſſit,animũ & uidere et audire,non eas partes quæ quaſi feneſtræ ſunt animi.*'quib. tamen ſentire nihil queat mẽs niſi id agat, et adſit. Autoritates.)*opiniones priſcorũ,et ſentẽtias citra rationẽ,quas tamẽ tu pugnas mecũ:quæ nõ demõſtrat id quod polliceris.eſt etenim infirma & debilis.* Contendere.) *certare atq; cõponi,ut utra ſit uериſimilior libero iudicantiũ iudicio liqueat.* Repetit Cotta rationes Stoicas,et illas eleuat.

Stultorum.)*imprudentium hominũ & ignorantiũ, quos inſanos ueſtri appellãt.* Vnde paradoxũ eſt Stoicũ,omnis ſtultos inſanire. Tyndaridas.)*id eſt Tyndari ac Lædæ filios,ac per hoc mortales.* Canterius dicitur equus caſtratus.Ca/

tus. Calones militum ſerui ſunt. Apud Sagrā)Strabo ſic ſcribit, Poſt Locros labitur Sagra fluuius, in cuius ripa Caſtoris & Pollucis aræ ſitæ ſunt, ad quas 10. Locrorū milia unà cū Rheginis aduerſus Crotoniatas numero 100. & 33. milia collato Marte uictores euaſerunt. unde natum eſt in incredulos prouer/ bium ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ σάγρα. Sequūtur quæ futura ſunt.) Argumen tum uel maximum Stoicæ diſciplinæ erat hoc: Idcirco non ambigi deos eſſe, cum ſit diuinatio, cuius nomen à diuis originatur. quapropter Academicus obſiſtentia primum utitur, deinde certat negatione dicens: etiam ſi eſſet diuina tio, futura tamen quamuis prouiſa declinari non poſſent: quoniam ut uos aſſe ueratis, fatali neceßitate fiunt omnia. ſed nego eſſe diuinationem, totamq; fi/ ctam eſſe & commentitiam aſſero. & ſic arx Stoicorum his quaſi arietibus quatitur, & labefactatur. Vnde porrò.) negat ullam certam cauſam & ori ginem diuinationis. Notauit.) ſic obſeruauit, ut artem efficere poſſet: de ſor tibus dicetur in explanatione Diuinationis de Atio Nauio, auguraliq; lituo di ctum eſt. Debeo diſcere.) diſcendum mihi eſt audiendis rationibus philoſo/ phorum, qui de rebus ſacris atq; diuinis plurimum mentiantur. At medici quoq;.) Dixerat Balbus, non propterea falſam eſſe diuinationem, quia inter/ dum prædicta non eueniunt. hoc etiam accidit medicinæ. Nam uera eſſe non deſinit, etiam ſi non omnes ægroti conualeſcant. Negat Cotta ſimilitudinem, di citq; certiores habere formulas medicina, quàm habeat diuinatio, quæ nullis rationibus innititur. Tu aūt Deciorū.) Dixerat Balbus, quoſdā ſe deuouiſſe pro legionibus, ut religioni ac numinibus parerent. dicit Cotta, non religionem deuotaſſe tales duces, ſed propriū conſiliū, ut cæteri ad fortia facinora incitarē/ tur. Stratagema.) dicitur dolus militaris, et prudentia ducis in aliquo diſcri/ mine. Nā Cleanthes.) infirmas eſſe oſtēdit Cleanthis aſſertiones. Reliquis.) ut motu terræ, ac maris tēpeſtatibus. Ea.) Multa quæ de diuinatione dicunt, & de fato: Ordo eſt: Sed ea ſeparantur ab hac quæſtione, quæ nūc in manibus eſt, quia ſcilicet quæritur de ui deorū, atq; natura. Conſideremus ſecundam.) Deinceps aget de qualitate deorum. Cogitare.) libera cogitatione: quamuis non cernatur oculis talis qualitas. Sapientius.) maiori ſapientia præditum: quod non poteſt contingere niſi animanti naturæ, ac intelligenti. quæ quali/ tates, inquit Academicus, mundo non inſunt, ut uos Stoici affirmatis. Non enim omne quod bonum eſt, habeturq; in ſuo genare optimum, habet etiam ra tionem. quod exemplo urbis Romæ probatur. Mens.) ratio: quoniam præpa rat in æſtate res tolerandæ hyemi neceſſarias. unde dicit Horatius, Frigusq; fa memq; Formica tandem quidam expauere magiſtra: Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris. Efficies.) concludes ex illo: ut mundus cum nihil eo ſit melius, optime dicatur legere librum: quod eſt abſurdißimum. ergo id ex quo ſequi/

quo ſequitur. Vim naturæ.) ut ſui diſsimilia poßit effingere. Zeno ſic dicebat: Nullius ſenſu carentis pars aliqua poteſt eſſe ſentiens: & nihil quod animi ac rationis expers ſit, id generare ex ſe poteſt animantem compotemq́; rationis. Naturæ.) proprietatis naturalis in quocunq; ſemine, cauſaq; effectrice. Sui diſsimilia.) aliarum qualitatum quàm ipſa habeat, cuius uis creare ſibi ſimile in ſpecie. nam ex humano ſemine homo naſcitur, equino equus, & cætera id genus. Concedat.) Deridet Academicus tale Stoicorum commentum. Naturæ.) proprietati rerum naturalium, quæ talem uim habent, proprioq́; motu agitantur et impetu. Chalcis.) eſt oppidum ad fretum Euboicum, quod certas habet reciprocationes. Oceani feruore.) æſtu maris in freto Gaditano, per quod influit refluitq́; oceanus, et Europam a Libya diſterminat. Aeſtus.) ebullitiones maris, & incrementia ſtatis horis ad lunæ uim atq; imperium. Tanquam in aram.) Translatio ab his qui omni auxilio deſtituti, ac inopia conſilij laborantes, ad aram confugiunt. unde illud Virgilij, Hæc ara tuebitur omnes. Stoici, dicit Cotta, cauſas effectuum ignorantes, confugiunt ad deum, & ab eo fieri omnia aſſeuerant, nec habent propria philoſophorum inſtrumenta, id eſt rationes, ut autor eſt Plato. Concalluit.) quaſi callum fecit, & habitum longa experientia ſolidatum. Rationem.) mentem, conſilium. nam, inquit Academicus, quæ non poſſunt ab homine fieri, fiunt naturali quadam ui, quæ bruta eſt, & rationis expers. Non artificioſè.) ſine arte ac uia progredientis ad ſuos effectus. et ſic accipit naturã Academicus ea ui ac poteſtate, qua Ariſtoteles in phyſicis. Suis.) proprijs, & innatis. eſt enim natura principium motus, ut aliquid per ſe moueatur, & non per accidens. Sympathia.) ea dicuntur habere Sympathiam, quæ inuicem patiuntur & tolerant. Plinius agens de gemmis, dicit: Id quoque quod totis his uoluminibus docere & mandare conati ſumus, de diſcordia rerũ, concordiaq́;, quam antipathiam & ſympathiam appellauere Græci, non aliter clarius intelligi poteſt. Illa autem.) Ponit Cotta Carneadis Academici argumenta, quibus probauit omne corpus eſſe mortale, nullumq́; animal eſſe ſempiternum. Aſſeuerabat contra Stoicos, qui mundum animantem dicebant eſſe deum. Ne indiuiduum quidem.) quoniam omne corpus diuidi poteſt, & diſtrahi, & per conſequens diſſolubile atque mortale: corpus ſiquidem minimum & indiuiſile non datur in natura, ut de atomis dictum eſt. Patibilem.) aptam pati externam uim, & morbos. Ferendi.) recipiendi & tolerandi dolores: & cætera id genus. Vim externam.) extrinſecum nocumentum, cum non ſit ſimplex natura, ſed è contrarijs compoſita, ac per hoc uiolentiæ obnoxia. Vt enim.) probat ſimilitudine ceræ ac metallorum. Ex quibus cuncta conſtant.) compoſita ſunt, è quatuor naturæ principijs, terra, aqua, aëre, igni. quæ ui/

ciſſim mutantur, et licet non in toto, tamen in parte corrũpuntur. Vt uobis ui detur.) Dixerat ſiquidẽ Balbus: Nam exterra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre æther, deinde retrorſum: et reliqua. materia certe ſemper ad corruptionem de clinat, et nouam formam. Concretum.) coagmentatũ et compoſitum ex his quatuor corporibus quæ mundi elementa uocantur. Sed omnia ueſtri.) Ponit rationem Stoicorum de igni, quam confutat: aſſeritq; igneã naturam non eſſe ſempiternam, ſed niſi alatur interituram. Heracletus.) fuit Epheſius, cognomento Scotinus, id eſt obſcurus et tenebroſus: quoniam nimis obſcurè de rerum natura diſſeruit. Ignem dixit eſſe principium rerum, quoniam inde aſtra ſint, & ſol, atque calor, qui humori permixtus generationem efficit rerum. Omnem uim.) potentiam effectricem rerum eſſe igneam, & conſeruatricem uitæ animantium: ſiquidem igneum eſſe animum opinabantur. Vigere.) uigorem habere, creſcere: ac ſibi ſimile in ſpecie generare. Ego autem.) Refellit Academicus poſitiones Stoicorum, aſſeueratq; idem poſſe concludi de humore corporum, & ſpiritu, id eſt anima ſiue flatu: quoniam his amiſſis uiuere nequeunt animantes. Ita uultis.) Hæc, ut puto, eſt ueſtra ſententia, Nullum eſſe animal ſimplex, id eſt ſolum, & per ſe, citra cæterorum admixtionem, præter ignem. Qui.) Quomodo, inquit Cotta, & qua ratione magis eſt animal ignis, quam aër cuius afflatu uiuunt omnia. Animã.) aërem à qua anima dictus eſt animus animantium, ex illorũ opinione qui aëricam dixerunt eſſe animam, ſpirabilemq; naturam. Animum.) animalem & uitalem habere naturam: quod etiã ſi concedatur, tamen non erit immortalis ignis, ut uos Stoici aſſeueratis. Efficit.) eſt cauſa, ut corpus tali igne animatũ habeat ſenſus. Ali autem.) Hæc fuit priſcorũ opinio ab Ariſtotele reprobata. Se referat.) regrediatur à cancro ad capricornũ: et contrà à capricorno ad cancrũ. Qualem deum.) Docet Academicus, uirtutes in deo non eſſe, & per conſequens bonis & laudabilibus qualitatibus uacare. Hæc ſententia quæ prima fronte uidetur impia, diſtinguenda eſt. ſunt nanque in deo uirtutes omnes non eo modo quo in hominibus, per quandam mediocritatem affectuum, quam ratio humana præſcribit, ſed per quandam ineffabilem excellentiam. Vnde dicit Ariſtoteles deos eſſe ridiculos cum ad nos referuntur, id eſt cum humano more dicuntur uiuere. quapropter alibi dicit Cicero, Fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat: diuina mallem ad nos. Nec bonarum nec malarum.) quas adiaphoras, id eſt indifferentes appellant philoſophi, & inter uirtutem & uitium collocantur. Delectu.) differentia & electione. Aſſequamur.) intelligamus è notis principijs ea quæ ſunt obſcura & dubia. Communitas.) Communicatio ciuilis et conuerſatio, quæ citra iuſtitiam perſeuerare non poteſt. eatenus ſiquidem ciuilis amicitia progreditur, quatenus iuſtitia.

Nec uero

Nec uero uulgi.) Non eſt mirum,inquit Cotta,delirare imperitam multitudinem,cum Stoica ſupercilia inſaniant,ponitq; uulgarias de dijs opiniones.

Illa.) quæ nunc à me repetentur de qualitate numinū,ut uulgus ſentit imperitum. Eſt Syriæ ciuitas Aſcalon, inquit Diodorus. non procul eſt ſtagnum piſcibus plenum, prope habetur templū inſigne deæ,quā Dercetida uocant,& biformē:facies quippe humana erat,reliqua in piſcem deſinebant. hæc peperit puellā,quæ ab auib. dicta eſt Semiramis,et tandē in piſcē conuerſa eſt. quapropter Syri uſq; ad hæc tēpora,inquit Diodorus,piſcibus abſtinent,& eos ut numina colunt. Alabandus.) autore Stephano,filius fuit Callirhoës,ab equeſtri uictoria nomen adeptus. Ala Cares appellant equū,banda uero uictoriam: inde Alabanda dicta ciuitas Cariæ. Tenes.) à quo Tenedos dicta,Cycni fuit filius,qui uita defunctus,inter deos relatus eſt. Idem Cicero urgens C. Verrē dicit: Tenē ipſum qui apud Tenedios ſanctiſſimus deus habetur, qui urbē illā dicitur cōdidiſſe,è cuius nomine Tenedos nominatur. Leucothea.) alba dea,et mater Matuta dicta à Latinis, quæ prius Ino uocabatur, filia Cadmi, & fugiens cū Melicerta filio furorē mariti Athamantis, è Lecheo ſe præcipitauit: & uocata eſt Leucothea,& Melicerta Palæmon. unde Papinius,Cur non expauerit ingens Ionii ſocio caſura Palæmone mater. Tyndaridas.) Caſtorem & Pollucē,filios Tyndari & Ledæ. Aſcriptitios.) adiunctos in augmētum ciuium,& ſupplementum. Adſcripti dicebantur,inquit Pōpeius,qui in colonias nomina dediſſēt,ut eſſent coloni. Vnde trāſcribere ciues aut colonos,erat tranſmutare,& in nouas colonias mittere. Virg. in quinto,Tranſcribunt urbi matres,populumq; uolentem. Hoc dicunt.) ſcilicet,& opinantur imperiti.

Qui.) quomodo,qua uia: quaſi dicat,meliora non dicitis. Sit ſanè.) concedatur deum eſſe mundum. & ita intellexiſſe puto Ennium dicentem, Aſpice hoc ſublime candens,id eſt ſplendidū cœlum. & ob id mundi,id eſt ornatus nomine appellatum: & Iuppiter dicitur quaſi iuuans pater. Quare plures.) cum unus ad omnia procreanda & moderanda ſufficiat,cum ſit omnipotens, & ſumma ſapientia. Hæc.) quæ omittenda dixi,cum ſint præclara & uerisimilia,propter mundi ornatū, ſtellarūq; fulgorem. Nā quos.) Confutat aliud de heroib. cœlo ſacratis. fieri ſiquidē potuiſſe negat,ut homines ad cœlū peruenerint. Quomodo.) qua ratione et uia nunc etiā fiat, quod nunq̄ docebis ut Academicus. & de Hercule ponit exemplū,quē apud inferos reperit Vlyſſes, ut eſt apud Homerū in Odyſſea. Hercules in Aetha mōte cōbuſtus eſt,& inde ætheus dictus. De tripode.) Pindarus Epharmoſtū Opuntiū celebrans, dicit, Boni uiri et ſapiētes à deo ſunt: quō enim cōtra tridentē uibraſſet clauam Hercules,cōtra quē pugnauit argēteo arcu Phœbus. Interpres dicit. Hercules Phœbum conſuluit. redditæ ſortes,abeſſe deū, et ideo nō uaticinari. indignatus Her

placabant. Maritimæ.)*quales Pelei & marinæ Thetidis.* An hæc.)*Heca-te, filia Aſteriæ ſororis Latonæ.* Eumenides.)*infernæ furiæ, Alecto, Tiſi-phone, & Megæra, quarum templum erat in Colono Attico, quò Oedipus à Creonte pulſus confugit, & Coloneus cognominatus eſt. Vnde dicit apud Euripidem in Phœnißis, Recipiet me ſacer Colonos domus equeſtris dei.* Naſcio.) *quæ præeſt naſcentibus.* Nec illud.)*plures uidelicet deos. hoc enim cōceſſo, talia ſequuntur abſurda.* Serapim.)*Aegyptiorum numen Oſirin, & Iſim eius uxorem.* ὄπτω, *& æolicè* ὄσσω *aſpicio latine, &* ὄσς *oculus. Vnde Oſiris quaſi oculatus uocatur, & Serapis à tumulo qui græcè dicitur* σωρὸς, *o in e uerſo, Soropis Serapis. ſub hoc nomine ſolem uenerabantur Aegyptij, & Lunam ſub nomine Iſidis, quæ priſca dicitur, inquit Euſebius. & hoc nomine appellatur luna, quoniam ſempiterna priſcaq; ſit.* E Perſeide.) *Heſiodus in Theogonia ſic ſcribit: Soli infatigabili peperit inclyta Oceanis Perſeis Circem, & Aeetem regem. Aeetes autē filius ſolis lucem dantis mortalibus, filiam Oceani duxit uxorem pulchram Idyiam. hæc autē pulchriſuram peperit Medeam.* Aegialeus.)*dicitur litoralis. fuit enim à ſorore laceratus, & per litus diſperſus, ut inſectantis patris impetus retardaretur.* αἰγίαλος *græcè, litus latine.* Circeium.) *promontorium adhuc retinet nomen: Romana fuit colonia. Dicebantur autem coloniæ, urbes ad quas habitandas aliunde coloni, id eſt habitatores mittebantur.* Ino.)*ipſa Leucothea, quæ mater Matuta dicitur à Latinis.* Publicani.)*dicebantur, qui publica uectigalia curabant, & conducebant. publica uero dicuntur, quæ ad fiſcum pertinent.* Trophonius.)*oraculum habuit apud Lebadeā urbem Bœotiæ, et in eadem regione Argiuus Amphiaraus. de quibus dicetur latius in explanatione Diuinationis.* Erechteus.)*genere Aegyptius Athenis regnauit, docuitq; Atticos cerimonias et myſteria Eleuſinæ Cereris, translata ab Aegyptijs. hic immolauit filias Proſerpinæ pro ciuium ſalute.* Codrus.)*rex Athenienſium, in bello contra Dorienſes pro patria & exercitu ſe deuouit.* Delubrum.) *Strabo agens de Athenis, dicit: Id mihi accidit quod Hegeſias refert, cum oculis ſubiectā cerneret arcem. Tridentis uideo ſignum, proſpiciens Eleuſinem, diuinorum ſacrorum uates ſio. Illud Leocorium, id eſt cæſarum à Leo patre puellarum ſacrarium. Hæc Strabo. Suidas ita ſcribit: Peſtilentia laborabat Attica regio, cuius piaculum erat filiorum iugulatio. Leos quidam filias mactauit, urbemq; liberauit, & inde locus dictus eſt Leocorium. Erat autem in Ceramico. nomina filiarum hæc, Paſithea, Theope, Eubulia.* Stratonicus.)*urbaniſſimus fuit citharœdus, cuius meminit Strabo, et Euſtathius Libyci Dionyſij interpres. Hic Caunios dixit eſſe folijs arborum ſimiles. Cum accuſaretur quod urbem notaret, reſpondit, Morbidam auſim eam dicere urbem in qua mortui ambulant.*

Ob eam cauſam.) & idcirco quia eſt admirabilis, dicta eſt filia Thaumantis, id eſt admirationis. θαυμάζω græce, admiror latine. *E nubibus.*) quoniam ſolis radij in illis repercußi uarios coloris arcus reddunt. Arcus, inquit Seneca, in nocte non fit, niſi admodum raro, quia luna non habet tantum uirium, ut nubes tranſeat, & illis colorem diffundat, qualem accipiunt ſole perſtrictæ. ſic enim formam arcus diſcoloris accipiunt, quia aliæ partes in nubibus tumidiores ſunt, aliæ ſubmißiores, quædam craßiores quàm ut ſolē tranſmittant, aliæ imbecilliores quàm ut excludant. hæc inæqualitas alternis lucem umbramq́; permiſcet, & exprimit illam mirabilem arcus uarietatem. *Quarum una.*) Nephele, communi nomine nebularum apud græcos. Palæphatus ex hiſtoria docet, quare filij Nepheles dicti ſint Centauri. *Ritibus.*) ſacris inſtitutis & cerimonijs. inde Poëtæ fabulantur, mactatas fuiſſe uictimas hyemi & tempeſtatibus. *Spinonem.*) Hæc nomina ſunt fluuiorum, ſeu uerius riuulorum, non longe ab urbe. *Vlla ratio.*) modus & cauſa quæ nullos habeat terminos: & ſic uana quædam ſuperſtitio redderetur, non religio, quæ ſuum habet modum, & uacat confuſione. talis enim cultus ſoli deo glorioſo & omnipotēti debetur. *In Arcadia.*) apud Azanes populos. Vnde dixit Papinius in Thebaide, Atq; Ideis ululatibus æmulus Azan. *Dioſcuri.*) Iouis filij. κοῦρος græce, filius & puer latine. *Anaces.*)id eſt ea corporis ualetudine præditi, ut medelæ non eguerint. & eorum templum Anaceum, cuius meminit in Timone Lucianus. *Thelxiope, Mneme, Aœde, Melete.*) id eſt ſuauiloqua, memoria, cantilena, meditatio. *Ope.*)uox. inde Thelxiope, demulcens & alliciens uoce. *Pieriæ.*)apud Pieriam locum Thraciæ, cuius antiquißimi habitatores Pieres. inde Muſæ Pierides dictæ, atq; Pieriæ. *Heliopolis.*)dicitur ſolis ciuitas. *Rhodi.*)apud Rhodum, urbem & inſulam eiuſdem nominis.

Auum Ialyſi.) Pindarus agens de Rhodo: Habet, inquit, ipſam acutorū radiorū pater, & princeps equorum ignes efflantiū. ubi Rhodo mixtus ſeptem genuit filios, prudentißimas cognitiones apud priſcos ſuſcipiētes: quorū unus quidem Cameron ſeniorem & Ialyſum genuit, & Lindum, ſeorſumq́; habuerunt terram paternam, diuidentes tripliciter urbiū partem. uocantur autem ab ipſis ſedes. Interpres autem ſic enarrat: Rhodus hæroina fuit mulier, à qua inſulæ nomen, è qua & ſole nati ſunt Cercaphus, Ocimus, Actis, Machareus, Tenages, Trioptes, & Phaëton. hactenus interpres. Vide præter hæc etiam Strabonem. *Cuſtodem.*)tutelam Aegypti habentem. Diodorus agens de numinibus Aegyptiorum dicit. Quidam ſacerdotes affirmant primum regnaſſe Vulcanum ignis repertorem, eoq; beneficio ducem ab Aegyptijs conſtitutum. Ignem interpretantur Aegyptij Vulcanum, inquit idem, magnum illum deum exiſtimantes, & multū ad generationes rerum perfectionemq́; cōferre.

Lemnos.)

Lemnos.)inſula Vulcano ſacra,in Aegeo mari,ante Thraciã. Fabricæ.) artificio cuiq; nam ignis beneficio inſtrumenta artium fiunt. Vnde Vulcanus artifex dicitur,& fabricæ numen. Tryphonius.)dicitur emptor deliciarum. Pheneatæ.)Arcades,à Pheneo oppido. Thoyth.) Euſebius in Euangelica præparatione: Nõ latebat ipſum quod primus omnium mortalium Thaautus literas adinuenit,& res memorabiles auſus eſt æternitati commendare,quem Aegyptij Thoyth,Alexandrini Thoth,græci Mercurium appellant. Hæc ille. Adſtipulatur huic appellationi & Suidas. Cynoſuris.)apud Cynoſura locũ Arcadiæ. Cynoſura,inquit Stephanus,ſummitas quædam Arcadiæ,nomen habuit à Cynoſuro Mercurio. Aluſio flumine.)Hæc appellatio indita uidetur à λύω,id eſt ſoluo,libero & purgo. nam Luſi numero multitudinis urbs Arcadiæ,autore Stephano,ubi Melampus purgauit Prœtidas furentes,et Luſij eius urbes dicti ciues. Hyperborei.)populi ad boream,imò ſuper boream. Nomionem.)tributorem legum. νόμος lex, & νέμω tribuo et paſco. Nyſam.) urbem Aegypti,de qua nunc intelligit, cum agat de Dionyſio, Nili filio. nomen inditum eſt urbi à Nyſa filia Ariſtei nutrice Dionyſij,ut eſt in fabulis. Nyſæ plures ſunt,inquit Stephanus in Helicone,in Thracia,in Caria,in Arabia, in Aegypto,in Naxo, in India,in Caucaſo monte,in Libya,in Eubœa. Inſtituta.)ordinata,decretaq;. Sabazea.)id eſt Bacchica ſacra barbarico ritu celebrata. Sabazius,inquit Suidas,eſt Dionyſius ita appellatus,quoniã Hauazin Barbari dicũt Sabazin. Orphica.)ab Orpheo inſtituta,qui, ut autor eſt Diodorus,hymnos deorũ plurimos orgia et inferorũ figmenta ex Aegypto in græciam attulit. Ea ſacra,inquit Lactantius,etiamnũ Orphica nominãtur,in quibus ipſe poſtea dilaceratus & captus eſt. Trieterides.)dicũtur Bacchicæ ſolennitates,tertio quoq; anno celebratæ. Anteros.)dicitur quaſi oppoſitus et cõtrarius amor. Saite.)ex urbe Sai. Coreſiam.)Corion,inquit Stephanus, locus in Creta à puella quadã: ciuis Coreſius, et palus Coreſia,& Palladis ſacrũ Coreſiæ. Talaria.)dicuntur calciamenta pinnata ad talos,qualia Mercurio adfingunt poëtæ. Perturbentur.) confundantur propter multitudinem deorũ: quibus eadẽ nomina tribuũtur. Vnde ignorant mortales cui et quomodo & quibus hoſtijs debeant facere ſacraq; exhibere. Enodatio.)euolutio et declaratio per ueritatem originis,quæ etymologia dicitur à Græcis: Veriloquium poterat à latinis dici, quod tamen Cicero reformidauit, ne Romanis auribus durum quid obijceret. dicatur igitur ut Fabio placet,originatio,quam ſtudioſe perſequebantur Stoici,exquirẽtes unde uerba ducta eſſent. Veioui.) quæ appellatio ambigua eſt,ut difficile ſit ueram eius afferre originẽ. Gellius agens de antiquis deorum appellationibus,dicit: Cum Ioue igitur,et dij Iouem à iuuando nominaſſent,eum quoq; contra deũ qui non iuuandi poteſtatem ſed

uim

uim nocendi haberet, Veiouem appellauerunt, dempta atq; detracta iuuandi facultate. Ve enim particula duplicem ſignificatum, eundemq; inter ſe diuerſum capit. nam & augendæ rei, & minuendæ ualet. propter quod accidit, ut quædam uocabula quibus particula iſta præponitur, ambigua ſint, & utroq; uerſum dicantur: ut ueſcum, uehemens, & uegrande. Veſanos autem, & uecordes, ex una tantum parte quæ priuata eſt dicuntur. Simulachrum igitur dei Veiouis in æde, quæ ſita eſt inter arcem & Capitolium, ſagittas tenet, quæ ſunt uidelicet paratæ ad nocendum. quapropropter eum deum plerique Apollinem eſſe dixerunt, imolaturq; illi ritu humano capra. Propterea Vergilium quoq; aiunt multæ antiquitatis hominem, ſine oſtentationis odio peritum, numina læua in Georgicis deprecari: ſignificantem quandam uim eſſe huiuſcemodi deorum in lædendo, magis quàm in iuuando potentem. Quid Vulcano.) quando & hoc nomen obſcuram habet etymologiam. Commentitiarum.) fictarum ad libidinem ingenioſorum, et maxime poetarum qui ius ſuum ſeruant, et loquuntur audacius. Orbonæ.) inducentis orbitatem, id eſt priuationem rerum cariſsimarum, ut oculorum, et filiorum, cæterorumq; id genus. Hæc reſtant.) quoniam duæ partes abſolutæ ſunt, & duæ ſuperſunt: primum uiſum eſt an ſint, deinde quales. Sed nequaquam.) Deſiderantur hic plurima quæ ab Academico contra prouidentiam dicta ſunt. deeſt ſiquidem confutationis principium, & infirmatio Stoicarum rationum, quibus diuina prouidentia confirmabatur, mundiq; gubernatio. Hoc quod temporum iniuria & barbarorum uiolentia reliquit, ad ultimam partem propoſitæ diuiſionis pertinet. an ſcilicet conſulant rebus humanis. & hæc pars eſt mutila, et ſine capite: quod cuiq; lectori facilè eſt diſpicere. Sed nequaquam iſtuc iſtac ibit.) Verba ſunt Niobes apud poëtam tragicum, & difficilem habent ſenſum: quoniam præcedentia deſunt. Agebatur ſiquidem ab Academico contra Stoicos, deũ idcirco conſuluiſſe hominibus aſſeuerantes, quoniam rationem dedit, quæ etiam cœlos penetrauit. Argumentabatur igitur Cotta, exemplisq; probabat rationem & conſilium multorum ſcelerum & flagitiorum, fuiſſe cauſam, ut patet, per Niobem, Medeam, Atreum, & Thyeſtem. Niobe.) Tantali filia, et uxor Amphionis, præponens ſe Latonæ in fœcunditate prolis, ira numinis in maritum ſe ac prolem irritauit, nec ſupplex eſſe uoluit ob ſuperbiam, de qua Ouid. in Meta. & Papinius in Thebaide, his uerſibus: Vna dies ſimilis fato, ſpecieq; malorum Aequa fuit, qua magniloquos luit impia flatus, Tantalis innumeris cum circumfuſa ruinis Corpora tot raperet terra, tot quæreret ignes. Iſtac.) ea uia qua putatis. Paro me, inquit, ad pugnam, nec ſupplicabo ut ſuadetis Latonæ ac filijs blanda & humili oratione, quæ meo ſtemmati non conuenit. ſum quippe Tantali filia, ac Taugetes Atlantidos, nec non Thebarum regina. Tanta blandiloquentia.)

loquentia.) quaſi diceret, nunquam id facerem. Illud uero quàm callida rati/
one.) Tranſit Cotta ad Medeæ ſententiam, callida & pernicioſa ratione ſub/
nixam. Supplendum eſt uerbum, ut illud quàm callida ratione ſcilicet dictum
eſt, & conſtat. Qui uolt quod uolt.) Hæc ſunt uerba Medeæ, pernicioſi exem
pli. nam tenentes hanc ſententiam, ad omne arduum facinus atque flagi/
tium tota mente contendent, nullumq; ponent in rebus diſcrimen, ut id quod
ſibi propoſuerunt quacunque uia conſequantur. Senſus eſt, nulla cupiditas
orietur nobis uana, ſi id quod cupimus, ardenter cupimus. adſit malo prom/
pta uoluntas, & efficacia non deerit. Vnde Seneca dicit: Quiſquis uitam ſu/
am contempſit, alienæ fit dominus. Qui uerſus.) Notat Academicus neſa/
rium hoc conſilium, quod omnium ſcelerum uidetur habere ſementem & cau
ſam. Ille tranſuerſa mente.) Verba ſunt Medeæ Iaſonem maritum accuſan/
tis. repudiata quippe fuerat, & ſuperinducta pellex Creuſa, filia Creontis re/
gis Corinthiorum, ut diffuſè narrat Euripides in Medea. Hanc.) uidelicet ra
tionem. Verba ſunt Cottæ, damnantis tale munus numinum, quo dicuntur con/
ſuluiſſe hominibus. Patrem.) Aeeten, & Colchos Argonautas ſequuta pro/
dito patre, & aureo uellere exportato. Quid ille.) Atreus, qui fratri appo/
ſuit coctos filios, et paternum pectus effecit filiorum ſepulchrum, uaframento
quodã et ſimulata recõciliatione uſus. Maior mihi moles.) Verba Atrei apud
tragicum poëtam. Ille.) Thyeſtes Atrei frater, qui etiam imprimis culpan/
dus eſt ob calliditatẽ, qua uſus eſt in corrumpenda Aerope Creſſa uxore Atrei,
è qua ſuſcepit filios, quos demũ inſcius comedit. Quod in re ſumma.) Verba
ſunt Atrei, carmenq; tragicum. Indigniſsimum eſt, inquit, uxores adulterio pol
lui, et regium ſemen confundi, adulterinamq; prolem naſci, atq; degenerem in
dedecus regij ſtemmatis, & ſubiectorum perniciem. talis quippe ſoboles ad re/
gias uirtutes aſcendet nunquam. Summa.) maxima, quoniam uxores ducun
tur ut certa naſcatur proles. Hi nanq; proprij filij & habentur, & appellan/
tur, quos demonſtrant nuptiæ. Nec uero ſcena.) Non ſolum, inquit, poëtæ tra
ctant hæc & notant publicis recitationibus, uerum & uita communis expe/
ritur ueras eſſe has calliditates & deceptiones, ne poëtarum figmenta credan
tur. Campus.) comitia in campo Marito, ubi per fas & nefas captantur ma/
giſtratus, ueneunturq; ſuffragia. Socij.) amici Romanæ Reip. quos auari &
ſacrilegi ſpoliabant quæſtores & prætores. Prouinciæ.) gentes & nationes,
Romanis parentes legibus. Vnde dixit Iuuenalis, At tu uictrix prouincia plo/
ras. Alterum.) recte facere, raro inquit contingat. ratione autem peccare,
ſemper fiat, & à maiori parte hominum. Si modo ulli ſunt.) Academici ni/
hil affirmantis ſeruat decorum. Huic loco.) Ponit Stoicorum rationes, qui/
bus tales obiectiones diſputando refellebant. Occurrere.) obſtare ac repu/

 gnare qua/

gnare quadam ſimilitudine parentũ patrimonia relinquentium filijs, qui malè illis utuntur, tamen beneficiũ ſe recepiſſe negare nõ poſſunt. Negat hanc ſimilitudinem Academicus, quoniam pater opinione ac ſpe falli poteſt, cum ſit homo: deus autem minime. Quis negat beneficium illos accepiſſe.) q. d. nullus: ſed hæc ſimilitudo & comparatio non facit ad propoſitum, propter diſcrimen uel maximum humani conſilij & diuinæ prouidentiæ, quæ in nullo falli poteſt. Aut quæ eſt.) id eſt nullam habet efficaciam, nec probat aut confirmat id de quo agitur. de diſsimilibus ſiquidem non poteſt idem eſſe iudicium, ſed de ſimilibus. Nec enim Herculi.) Exemplis oppoſitis oſtendit, ea quæ dantur non arguere ac demonſtrare animum ipſius dantis: ut concludat, rationem datam non oſtendere benignitatem diuinam, etiam ſi multi recte illa utantur. Sed hæc accipienda ſunt ut ab Academico, in dubium omnia reuocante, & ingenij oſtentandi gratia dicente plurima, ſtudioq; fatigandi excitandiq; aduerſarium. Si omne ſacramentũ hominis philoſophi cognouiſſent, inquit Lactantius, nunquam diſputationes eorum & omnem philoſophiam de tranſuerſo Academia iugulaſſet. Deianira.) filia fuit Oenei regis Aetoliæ, ac uxor Herculis. Neque nocere.) ſed reuocare ipſum ad amorem, quam uim habere miſſam ueſtem credebat, decepta uerbis Neſsi centauri traijcientis illam ad Euenum fluuium. Nec prodeſſe.) Oppoſitum exemplũ. Phereo.) Theſſalo. Pheræ oppidum Theſſaliæ, huius Iaſonis tyrannide uexatũ. Vomica.) eſt tumor purulentus, à uomendo dictus. aperitio uomicæ profuit tyranno, ſed ille uulnerauit ut interficeret, non ut ſanaret. Amice.) animo amico. Quæ enim libido.) Ea mala ponit & ſcelera, quæ de tali dono, id eſt ratione hominibus à deo data eueniunt, ut oſtendat pernicioſum fuiſſe id munus. Vitia, inquit, fiunt in nobis propter rationem. Idcirco cæteræ animantes his uacant, quoniam rationis expertes ſunt: itidem & pueri nec uirtute cenſentur, nec uitijs denigrantur, quoniam per ætatem rationis rectæ uſum nondum habent. eſt autem uirtus rationis abſolutio, uitium deprauatio & corruptio. Nam omnis opinio.) Probat id quod dixit definitione opinionis, quæ nil aliud eſt quàm aſſenſio quædam non ſatis firma, & iudicium quaſi ambiguum & incertum: & ideo uera opinio dicitur, & falſa. Scientia uero certitudinem habet ſuæ concluſionis, quoniam principijs certis & cauſis nititur. quapropter dualitate cenſetur, cognitione ſcilicet priorum, & concluſionum. Opinio autem ternario numero effingitur. nam ex aliquibus principijs aliquid concludit, cum dubitatione oppoſiti. hoc autem ideo accidit, quoniam rei opinione cognitæ principia incerta ſunt, et cauſæ. Si modo habemus.) Loquitur ut Academicus, cuius decretum eſt nihil affirmare. Non enim ut patrimonium.) Probat negationem ſimilitudinis, quam derelicto heredio poſuerat Stoicus: oſtenditq; rationem non eſſe

habendam loco beneficij, ut patrimonium. Quid enim potius.)Ratio quare non fuit beneficium: quoniam, inquit, ſi nocere uoluiſſent dij, nullum aptius inſtrumentum dare potuiſſent. Quæ ſemina eſſent.)id eſt principia & origines: quaſi diceret, nulla eſſent uitiorum ſemina ſi ratio nulla eſſet: dictum iam eſt illas animantes non habere uirtutes aut uitia, quæ ratione uacant: ubi non eſt electio, ibi talia eſſe non poſſunt: electio autē ratione nititur, et conſilio: quapropter ſolus homo dicitur uiuere ad propoſitum, id eſt ad finem deſtinatum, per electionem eorum quæ ad finem tanquam ad ſignum ducunt. ſi bonus finis bonaq́; electio, prudentia: ſin contrà, malitia dicitur, quæ nil aliud eſt quàm praua ratio modusq́; agendi & uia. Medea modo.)Confirmat exemplis iam allatis è tragico poëmate. Heroicæ.)magnæ, graues ac regiæ. Heroës, ſemidei: & heroica uirtus, quæ humanas ſuperat uires, & quid diuinum habere uidetur. cui feritas opponitur, & immanitas. Subducta.)Examinata & deliberata, translatio ab Arithmeticis, qui ratiocinando & (ut uſitatius loquar) calculando tum ſubtrahunt, tum addunt calculos, ut ſummam reliqui faciant. Idem eſt igitur deliberare, conſultare, ratiocinari, & rationem ſubducere, diligentius accuratiusq́; meditari, et machinari. Ille.)Phædria in Eunucho Terentij, conſultans an excluſus debeat redire ad Thaidem. In ſynephebis.) comœdia Cecilij Statij, quæ latinè dicitur compubeſcētes. citatur etiam in libro de Senectute. Num eſſe potuerunt.)quaſi diceret, non. nam hæc omnia prauæ rationis ad perniciem ſuo motu abutentis opera ſunt. O præclarum munus.)Ironia eſt. Vt Phormio.)Terentianus ſeruus gloriari poßit, quod herum fallacijs ceciderit atque mactauerit. Instructa.)parata & diſpoſita quæcunque his fallacijs neceſſaria ſunt. Sed exeamus.)Omittamus, inquit, theatrales poëtarum commentationes, & conſideremus quæ in foro tractantur, id eſt iudicijs quæruntur & puniuntur uaframenta, & uaria flagitiorum genera, peruerſis rationibus & conſilijs perpetrata. Ite ſeſſum)tanquam iudices grauißimas cauſas cognituri. Quæſtiones.) inquiſitiones atque iudicia. Tectoſagi, dicit Trogus, cum in antiquam patriam Toloſam ueniſſet, comprehenſiq́; peſte intabuiſſent, ſanitatem non prius recuperauere, quàm haruſpicum reſponſis moniti aurum & argentum bellis ſacrilegijsq́; quæſitum in Toloſenſem lacum mergerent, quod omne magno poſt tempore Cepio Romanus conſul abſtulit. fuere autem argenti pondo centum uiginti millia, auri pondo quinquies decem centum millia: quod ſacrilegium cauſa excidij Cepioni, exercituiq́; eius poſtea fuit. Hæc Trogus. Auri Toloſani, & equi Sciani meminit Gellius in tertio, dicens: Nam cum oppidum Toloſam Quintus Cepio conſul diripuiſſet, multumq́; auri in eius oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex ea

 direptione

direptione aurum attigit, miſero cruciabiliq; exitu perijt. Coniurationis Iugurth.) Saluſtius Iugurthæ regis Numidiæ corruptelas exponẽs, Romanorũq; notans auaritiam, dicit: C. Manlius tribus plebis rogatione ad populum promulgat, uti quæreretur in eos quorum conſilio Iugurtha ſenatus decreta neglexiſſet, quiq; ab eo in legationibus & imperijs pecunias accepiſſent, item qui de pace aut bello cũ hoſtibus pactiones fecisſent. De Tubulo.) Idem Cice. in ſecundo de Finibus ait: An tu me de L. Tubulo putas dicere, qui cum prætor quæſtionem inter Sicarios exercuiſſet, ita apertè cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo Pub. Scæuola Tr. pl. ferret ad populum, uellent'nè de ea re quæri: quo plebiſcito decreta eſt à Senatu cõſuli quæſtio Cn. Scipioni: profectus in exiliũ Tubulus ſtatim, nec reſpõdere auſus eſt: erat enim res aperta. Pro ſocio.) id eſt pro eo qui circumſcriptus eſſet, ab eo cum quo in quibuſdam negocijs ſocietatem haberet. unde ſocietates mercatorum dicuntur, cæterarumq; negociationum, in quibus fides ſocio debetur. Fiduciæ.) Boetius enarrans Topica Ciceronis, dicit: Fiduciam accepit, cuicunq; res aliqua mãcipatur, ut eam mancipanti remancipet: uelut ſi quis tẽpore dubio timens mancipet amico potentiori fundum, ut ei cum tempus, quod ſuſpectũ eſt, præterierit, reddat. hæc mancipatio fiduciaria idcirco nominatur, quoniã reſtituendi fides interponitur. Argumentum à ſimili, ſi tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mãdaueris, ſi qui fiduciã accepit, debet etiam procurator. Iudicium publicum rei priuatæ.) pertinentis ad priuatam utilitatem ſiue reſtitutionem rerum ablatarũ fraude & circumſcriptione. Priuatæ res dicuntur, quæ ad ſingulos pertinent. priua etenim priſci ſingula appellabant: unde priui lapides, priuæq; uerbenæ apud Liuium. & iudicia priuata dicuntur, in quibus nullum habet negociũ reſpub. Lege Lætoria.) lata à Lætorio. Idem Cice. in tertio de Officijs: Et circumſcriptio, inquit, adoleſcentium lege Lætoria. Iulius Capitolinus, in M. Antonino: De curatoribus uero cum ante non ex lege Lætoria uel propter laſciuiam, uel propter dementiam darentur, ita ſtatuit, ut omnes adulti curatores acciperent, nõ redditis cauſis. hæc ille. uoluit igitur Lætorius, ut hoc iudicium diceretur publicum, quamuis eſſent rei priuatæ: quoniam uita pupillorum & ſalus ad rempublicã pertinet. adde etiam quod de fraude conuicti tutores, erant infames. Hæc capita in Officijs repetijt Cicero, his uerbis. Atq; iſte dolus malus etiã legibus erat uindicatus, ut tutela 12. tabulis circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria, & ſine lege iudicijs in quibus ex fide bona agitur. reliquorum autem iudiciorum hæc uerba maxime excellunt.

Inde euerriculum malitiarum.) id eſt expurgatio quædam, & uindicatio. Euerriculum, autore Nonio, genus eſt retis piſcatorij, à uerrendo dictum. nam quicquid piſcium inuenerit, euerrit. De dolo malo.) de his qui doloſè ac ſimulatè aliquid

latè aliquid egiſſent, quod notã meretur & pœnam. Tũ teneri.)conſiſtere,
& eſſe, ſiue comprehendi. In Officijs dicit: Dolus autem malus ſimulatione
& diſsimulatione, ut ait Aquilius, cõtinetur: id eſt conſiſtit in ſimulatione atq;
mendacio. Vtinam igitur ut illa anus.) nutrix Medeæ apud Euripidem, in
principio Medeæ tragœdiæ uerba hæc enunciat: quæ Ennius ſic imitatus eſt;
Vtinam ne in nemore Pelio cæſæ ad terram cecidiſſent Abiegnæ trabes. nam
nunquam hera errans hac moleſtiã nobis exhiberet Medea animo ægra, ama-
re ſæuo ſaucia. Citat etiã Cicero in primo de Finibus. Sed urgetis identidẽ.)
Ponit Stoicorum aſſeuerationem contra tales Academicorum concluſiones et
obiectiones, eamq; refellit Cotta. Vt ſi medicus.) ita, inquit Cotta, excuſatis
deum, ut interdum excuſatur medicus, ſi ægrotum non curauit, artem omnem
ui morbi ſuperante. Et ſi.) quanquam habeant uires penè nullas deo omni-
potenti cum cõparantur, tamen ſi accuſent uim morbi & tempeſtatis, ægroto
moriente, aut facto naufragio, digni eſſent riſu: quoniã niſi morbus eſſet gra-
uis, medicus non adhiberetur. ſic etiam de gubernatore nauis dicendum eſt.

Dediſſes.) Dirigit uerba ad aſſertorem diuini muneris Stoicum, tanquã ad
præſentem deum, cuius cauſa diſquiritur. Vbi.) q. d. non poteſt excuſari da-
tor talis muneris, cum exitum & effectum prouidere potuerit: quod accidit
patribus, qui cum ſint homines, falli poſſunt. & ſic oſtendit, ſimilitudinem il-
lam non habere hic locũ, ſed eſſe ab re penitus. An ut ſol.) Potuit'ne, inquit
Cotta, decipi deus tradenda hominibus ratione, ut ſol deceptus eſt cum Phae-
tonti filio regendum currum credidit: quo ille non recte uſus eſt, atq; combu-
ſtus. figmenta poëtarum iſta ſunt, ait Cotta. nos autem philoſophicè de talibus
rebus ſentire debemus, & loqui. Aut Neptunus.) qui pater Theſei habe-
batur, & auus Hippolyti. nota fabula eſt, & à tragicis abunde tractata. Et
ſi uerum eſt.) Confirmat rationem ſuam autoritate Ariſtonis philoſophi. Si
uerum eſt, dixit, ut Academici nihil affirmantis ſeruaret decorum. Ariſto
Cous.) ex Co inſula, Lyconis Peripatetici auditor, et in ſchola ſucceſſor. Alter
Ariſto fuit è Cea inſula, et Ceus dictus. Ariſto, inquit idẽ Cic. in ultimo de Fini-
bus, cõcinnus & elegãs, ſed ea quæ deſideretur à magno philoſopho grauitas
in eo nõ fuit. Aſotos.) prodigos et luxurioſos. Ariſtippi.) qui ſummũ bonũ
hominis in uoluptate ſtatuit. Vt ſi medicus.) Confirmat exemplo medentis, et
uim atq; exitum medelæ non ignorantis, & animum callentis ægroti. Sed hic
locus.) hæc ſententia de qua agitur, concludatur in pauca, inquit Cotta, pate-
atq; ac liqueat peſsimè conſultum eſſe ac prouiſum hominibus à numine: quo-
niam è ueſtro dogmate nullus aſſequitur ſapientiam, & inſipientia maxi-
mum eſt malum. ergo homines in ſumma ſunt miſeria. Nam ut nihil.) Simili-
tudine quadam confirmat, in maximis malis omnis eſſe: quoniam nec ſunt ſa-

pientes, nec eſſe poſſunt. Idem eſt, inquit, neminem ualere, & neminem ualere poſſe: & neminem eſſe ſapientẽ, & eſſe non poſſe. Telamon.) pater Aiacis, cuius grauem caſum deplorans apud tragicum poëtam, profert hanc ſententiam: quæ impia eſt, et diuinam eſſe negat prouidentiam. Cum dij.) Verba Telamonis in tragœdia. Debebant.) Ita loquitur Academicus, ac ſi liberi arbitrij nulla ratio habenda fuiſſet: quæ ratio inquinatiſſima eſt. ſed cũ ſuo more ludere permittamus. Bonis.) iuſtis et fortibus, quales hi fuerunt quos enumerat à peſſimis uiris oppreſſos, & diuexatos. Duos Scipiones.) Pub. et Cneũ fratres à ducibus Carthaginenſium in Hiſpania cæſos. P. in acie, Cn. in turri combuſtum. Aphricanum.) Aemylianum Scipionem, qui noctu domi ſtrangulatus eſt, fraude ut putatur uxoris. Innocentiſſimus.) iuſtiſſimus. P. Rutilius uir ſummæ innocentiæ, inquit Liuius, cum à publicanorum iniurijs Aſiam defendiſſet, inuiſus equeſtri ordini penes quem iudicia erant, repetundarũ damnatus in exilium miſſus eſt, Smyrnam ſcilicet. Sodalis.) eiuſdem collegij corporisq́; M. Liuius Druſus tribus pl. incertum à quo ueſperi occiſus eſt, in porticu domeſtica inambulans. Q. Mutius Scæuola pontifex maximus fugiens in ueſtibulo ædis Veſtæ confoſſus cecidit. Perfidioſiſſimus.) flagitioſiſſimus. Catulus, inquit Appianus, ſponte in cubiculo accenſis carbonibus ſuffocatus eſt. Idẽ Cicero in ultimo de Oratore, agẽs de morte Craſſi dicit: Neq; collegæ ſui pontificis maximi ſanguine ſimulachrum Veſtæ reſperſum eſſe uidit. Marius.) inquit Liuius, multis æditus ſceleribus, deceſſit idibus Ianuarijs: uir cuius ſi examinentur cũ uirtutibus uitia, haud facile ſit dictu utrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit. Tam diu.) fuit enim quater conſul. & quamuis collegas habuerit, attamen quaſi ſolus Romanam rempublicam ad libidinem ad miniſtrauit, à ſuo tandem exercitu quem inuitum cogebat naues conſcendere, contraq́; Syllam redeuntem nauigare, lapidibus in Piceno apud Anconem urbem eſt obrutus. At dedit pœnas.) Hoc poſſet Stoicus obijcere, quod Academicus refellit. Illos.) Druſum & Metellum. Ciuitatis.) Syracuſarum. Cyprio tyrãno.) Timocreonte, ut alibi ſcribit idẽ Cic. Eleatẽ.) Ex Elea urbe Lucaniæ. hunc Phalaris torſit, & necauit. Platonem.) Phædonem dialogũ Platonis, in quo agitur de immortalitate animorum, & cicutæ ſucco, quo Socrates perijt, iniquitate iudicum condemnatus. Locri.) oppidum Lucaniæ. Tyrannus Gelo.) Trogus dicit Hieronem habuiſſe originem à Gelone antiquo Siciliæ Tyranno. Epidaurus.) urbs Peloponneſi, Aeſculapij templo clara.

Aeſculapius.) qui medicinæ numen habebatur, potuiſſetq́; ſacrilegum graui & longo morbo diuexatum cruciare. In tympanidijs rogo illatus eſt.) id eſt magnifica funeris pompa honeſtatus eſt. tympanidia poſuit pro ſolenni cantu & ſono, quo priſci utebantur in funere, ut Romani tubicinijs. Vnde Ouidius in

dius in Faſtis, Temporibus ueterum tibicinis uſus auorũ Magnus, & in magno ſemper honore fuit. Cantabat fanis, cantabat tibia ludis, Cantabat mœſtis tibia funeribus. Tympanidia dicuntur cantus et ſonitus tympanorũ. At enim minora dij negligunt.) Refellit ultimam rationem Stoicorum, aſſerentiũ deos magna curare, paruaq; negligere. Magna Stoici uirtutes appellabant, & maxima: parua uero, ea omnia quæ fortuita putantur. Dicit igitur Academicus, hæc quæ uos parua ducitis, deo accepta refert uita communis, uirtutes uero minime: quoniã quiſq; ſibi dat mores, & à libero arbitrio uirtutes pendent & uitia. diuitiæ autem, & honores, cæteraq; id genus, à numine expetuntur, & de acceptis gratiæ aguntur deo: quem iccirco uocabant optimum & maximum, quoniam ſalutem confert & opulentiam. hæc eſt Academicorum calumnia, mancam oſtendere nitentium uim diuinam. ratio ſiquidem Stoicorum ueriſſima eſt: & uir bonus, ueraq; fide armatus, tormenta omnia ſuperat, & in ipſis fœliciſſime uiuit, quod triumphales laureæ conſtantiſſimorum martyrum glorioſis teſtantur exemplis. Nec perſequuntur.) non curant. Vredo eſt morbus herbarum, fruticum, arborumq;: qui in uitibus etiam carbunculus, & in cæteris rubigo, plantas, ſata, arboreſq; frigoris ui adurens. Quaſi ego.) Reſpondet Academicus, dicitq; ſe non eſſe queſtũ de minimis, ſed de maximis, id eſt de ſalute ciuiũ oppreſſorũ, & non de agellis eorũ, cæteriſq; commodis quæ minima ducunt Stoici. Atq; hoc quidem.) cõmuni quadam opinione atq; iudicio docet Academicus, hæc quæ minima dicuntur à Stoicis, à numine peti: quæ ſi negligit, nullam uidetur habere curam rerũ humanarum. Nimirum.) certe. Probat hanc communem ſententiam Academicus: Virtus, inquit, in homine laudem non mereretur, ſi donum dei eſſet: ſed ideo laudatur, quia ſtudijs humanis comparatur et laboribus. At uero.) Ponit ea quæ deo accepta referuntur. Bonus.) iuſtus, cæteriſq; uirtutibus præditus. Hæc ſententia lubrico Academico conuenit: eſt tamen abſurdiſſima. hoc quippe eſt maximũ illud bonũ, quod in primis acceptũ refertur deo, ſine quo nil poſſũt humanæ uires. Quiddã noui.) id eſt, quod in omni rectangulo triãgulo quadratum quod à latere recto angulo oppoſito in ſe ducto deſcribitur, par ſit duobus quadratis, quæ è duobus reliquis lateribus conſcribuntur. Laertius agens de Pythagoræ inuentis dicit: Refert Apollodorus hecatombẽ immolaſſe illum, cũ inueniſſet trianguli orthogonij ſubiectum latus tãtundẽ ualere, quantum quæ illum cõtinerent. hæc ille. Hecatombe.) dicitur à græcis magnificũ ac ſolẽne ſacrificiũ, ab immolatione centũ boũ. Apollini Delio.) Macrobius li. 3. ſic ſcribit: Cloatius docet eſſe Deli Aram, apud quã hoſtia nõ cæditur, ſed tamen ſolenni deum prece uenerantur. Verba Cloatij hæc ſunt: Deli ara eſt Apollinis genitoris, in quo nullum animal ſacrificatur, quam

Pythagoram uelut inuiolatã adoraſſe prodit. Quamuis menti.) *Reſpondet tacitæ obiectioni.non obſtat, inquit, & communi iudicio quædam ſuperſtitio, quæ mentem,uirtutem,et fidẽ ut deas conſecrauit.hæ uirtutes,inquit, in nobis ſunt uoluntate ac ſtudio comparatæ.* At nonnunquã.) *Ponit aſſeuerationem* Stoicorum. At Diagoras.) *Confirmat ſuam ſententiam autoritate Diagoræ, qui atheos id eſt ſine deo,ac per hoc impius et nefarius cognominatus eſt.* Ta bellis.) *affixis uidelicet ſacro parieti, in ſignũ euitati naufragij, conſeruatæq; ſalutis ope diuina,quam periclitantes implorãt.* Ita fit,inquit.) *Ponit uafrum* Diagoræ *reſponſum,et impio cauillo nixũ.* Non animaduertũt.) *Repetit ra tionem Stoicorum ſimilitudine regum confirmatã, quam negat Academicus.* Quid eſt ſimile.) *quaſi dicat.hoc quod aſſertis nõ eſt ſimile. Reges enim mul ta ignorare poſſunt,deus uero minime:igitur ſcientes negligunt,quod regibus uitio uertitur.* Præclarè defenditis.) *Ironicè loquitur.q.d. ueſtra defenſio ac/ cuſat potius deos,quàm excuſet.arguit enim iniquitatem quandam.* Omnem æquitatẽ.) *Ironia eſt.* Ferret nc.) *quaſi diceret, nõ pateretur aliqua ciuitas le/ gem promulgari,quæ à nepotibus exigeret parentũ & maiorũ pœnas.hoc in/ quit etiam apud homines eſſet iniquiſſimum, multo magis apud numina, quæ putantur æquiſſima.* Qui nam.) *Senſus eſt,Nullus eſſe poterit finis ſupplicio rum, ob ea ſcelera quæ tragicis poëtis longe lateq; patentẽ campũ aperuerũt, et theatra omnia compleuere.Poëtarũ,inquit,figmenta hæc ſunt. poſteri ſiqui dem non luunt delicta maiorũ,ut poëtæ fabulantur,qui aut Stoicos errare fece/ runt,aut ipſi Stoici confirmarũt poëtas,idem quod illi ſentientes.* Tantalida/ rum.) *nepotũ Tantali,qui numinũ arcana prodidit.Vnde electra apud Euripi/ dem agens de proauo Tantalo dicit,Incaſtigatã habuit linguã, qui eſt turpiſſi/ mus morbus.è Tãtalo natus eſt Pelops,ex hoc Atreus et Thyeſtes,quorũ flagi tia notauerunt tragœdiæ.* Ob mortẽ Myrtili.) *quẽ Mercurio natũ Pelops in mare deiecit,quod Myrtoũ à caſu Myrtili dictum,ut Icarium ab Icaro.* Neq; enim.) *Probat confirmatq; aſſeuerationẽ ſuam exemplis.* Hipponax.) *Ephe ſius fuit,cuius autore Plinio notabilis fœditas uultus fuit: quamobrẽ imaginem eius Bupalus & Anthermus propoſuere ridentium circulis.indignatus* Hippo nax *amaritudine carminum diſtrinxit eos in tantum,ut credatur aliquos ad la/ queum compuliſſe.meminit Horatius in Epod.ubi & de Archilocho.* Archi lochus.) *in Paro inſula natus, autor iambici carminis, quo in ſocerum Lycam ben eſt inuectus ob denegatam Neobulem ſponſam. Vnde Neobulæ dictæ ſunt tales diræ,inſectationesq; maledicæ, iambico numero et pede currentes et clau dicantes.* Aegiſtus.) *filius Thyeſtæ, Clitemneſtram patruelis Agamemnonis uxorẽ adulterio polluit Agamemnoniæ.cædis autor fuit,et ab Oreſte Agamem nonis tandẽ interfectus eſt.* Nec uero.) *À contrario affirmat, bona conferri ab homi/*

ab hominibus homini,et non à numine. quæ ſentẽtia et ſi Academico conuenit de omnibus ambigenti,tamẽ nefaria eſt imprimis et deteſtabilis. omnium quippe mortalium bonum immortali deo refertur acceptũ. Hippocrates.) *Cous fuit, medicinæ autor uel maximus.* Aeſculapius.) *Fingitur à poëtis Apollinis filius,et medendi artis numẽ.* Ab Apolline.) *Ex cuius ſentẽtia leges Lycurgi latæ dicuntur:quod commentariũ eſt,inquit Academicus.* Critolaus.) *quoniã legatos Romanorũ uiolauerat, cauſa fuit ut Corinthus deleretur à L. Mũmio.*

Haſdrubal.) *Carthaginenſis ciuis et dux in tertio bello Punico,crudelitate in captiuos Romanos edita excitauit patriæ incendium, autore Appiano.* Vos enim ipſi.) *Ratio quare potuit ſubuenire,cõſentanea Stoico decreto. Vos Stoici,dicit Cotta, deũ omnipotentẽ aſſeritis.* Vt enim.) *Hac ſimilitudine utebantur Stoici,concludentes deũ cum ſit animà mundi,ut ipſi opinati ſunt,membra naturæ,id eſt quatuor elementa ea facilitate mouere,qua humanus animus corporis partes commouet.* Neq; id dicitis.) *Cõprobat hanc opinionem Stoicorum de ui diuina lubricus Academicus,quaſi oblitus proprij decreti,ſed euidentia rei ad dubitationẽ ſuſtulit.* Materia enĩ.) *Cauſam huius rationis affert Cotta,quæ à commutabili natura ipſius materiæ ſumitur.* Non curat ſingulos.) *Ex Stoicorum opinione,ad quod uult,ſenſim Cotta deducit. nam ſi conceditur ſingulos non curari à deo,idem dicetur de urbibus,deinde nationibus, poſtremo de omnibus.* Sed quomodo.) *Pugnantia dicere Stoicos oſtendit Academicus:& ſic eos ut imprudentes notat et inconſtantes.* Hæc tecum.) *diſſero ſcilicet,ô Balbe:quoniam Stoicorum opinione ſomnia dicuntur à deo mitti,eſſeq; uerißima.* Videns igitur.) *Concludit Cotta deum non habere tantas occupationes,quantas dicebant Stoici. nam ſingula curare non poſſet,ſi illis diſtinguetur communibus & maximis. Futilis ratio, ſed ab hallucinanti Academico non aliena.* Fac eſſe.) *Eſto,inquit, quod ſit occupata:quare nõ utitur cæteris dijs miniſtris,ut reges faciunt. & hæc ratio uanißima eſt.* Pro aris et focis.) *id eſt pro religione ac ſacrificijs,quæ nulla fierent ſi deus non eſſet,aut ſi humana non curaret. idcirco uiris equisq;,ut dicitur, bonis ciuibus aſſerenda eſt diuina prouidentia,ne ſolidißimum Reipub. fundamentũ labefactetur.* Quippe.) *certe. ironice loquitur Epicureus Velleius, qui omne genus diuinationis negabat.* Ita.) *ſic diſpoſiti & affecti. Aperit Cicero, & ipſe Academicus, ſuam opinionem atq; ſententiam:fateturq; Stoicam rationem eſſe uerisimilem. non dixit ueram,ne à ſuo decreto abſcederet:ſeruatq; ambigẽtis Academici decorum.* Propenſior.) *pronior & inclinatior ad id quod uero eſt ſimile. id enim Academicus è ſuo dogmate ſequitur.*

COMMENT. PETRI MARSI IN LIB. III.
de Natura deorum Finis.

INDEX.

A

Academia uetus. 5. noua 6.11

Acad. quæſtiones quare Luculli nomine inſcribantur. 2

Academici. 2

Accipenſer. 210

Ad pro ante. 30

Adſtipulator 14

Aediles. 8

Aeris Corinthij genera. 183

Aeſopus tragœdiarum actor. 131

Agitator 20

Agragianæ portæ. 155

Alcæus. 148.231

Alcmæon 12

Amicorum paria tria. 28.107

Amicitia. 245

Anapæſtus. 130

Anaxagoras. 15

Anaximander. 25.26

Anaximenes. 26

Anima immortalis 259

Anima motus principium. 120.260

Animæ partes. 122

Animal. 260

Animalia quæ multum dormiunt. 36

Animus unde dictus. 255

Animi ægritudo, conſtantia. 142.143

Animi ægritudo quibus tollatur remedijs. 140

Animi medicina. 136

Animi morbus magis quàm corporis curandus. 136

Animi perturbationes. 143

Animi prauitas in arbitrio. 144

Anticanis. 286

Antiochus Aſcalonita 4

Antiope. 106

Appetitio. 10

Appius 158

Aqua mater elementorum 25

Aqua nigra. 22.23

Aquilius poëta 154

Archimedes. 25

Area. 193

Areopagus. 294

Arteria. 294

Artes Mathematicæ. 27

Aſſenſio. 10

Atlas. 151

Auguris officium. 252

Augures. 224

Autoritas. 204

Aξίωμα. 21

Axis quid. 284

B

Baiuli 174

Balbutire. 155

Baſis. 155

Bauli. 5

Bonorum genera. 165

Brutorum familia. 143

C

Caeruleus. 19

Calumniare. 256

Canum fida cuſtodia. 262

Capedo quid. 167

Caput quid ſignificet. 169

Carneades 5.162.151

Catalepſis. 32

Catones. 126

Cauillatio. 256

Cenſus

Cenſus. 193 Centauri. 124
Centrum. 119
Cepheus. 151 Ceramicus. 107
Certamina Græciæ celeberrima. 133
Cethegus. 185
Charitas naturalis. 245
Chryſippi ſtatua. 107
Cicero Academicus. 128
Cicero poëtarum ſtudioſus. 129
Ciceronis genus. 119. Laus. 247
Ciconia. 108
Cimeria regio. 33. 34
Cimmeriæ tenebræ. 13
Cimmerij Scythæ. 13
Circulus. 266 Cittieus. 6. 153
Ciuis boni officium. 119
Ciuitas. 30
Clytus. 149
Cœlum Incu iis filium. 273
Conceptus ſimplices. 120
Coniectores. 224
Coniectura unde dicatur. 239
Connexum. 22
Conſultores qui. 158
Conus. 210
Cor uirtu is & religionis radix. 275
Corinthia uaſcula. 129
Cornucopiæ. 43
Cornu Hammonis. 43
Cornu lunæ 43 Corpus. 267
Corpus animi carcer. 122
Coryphæus. 215
Cos fortitudinis. 143
Critolaus. 153
Crocodilus. 232 Culices. 34
M. Curius 191 Cyclops. 158
Cylindrus. 210 Cynoſura. 14. 284
Cyrenaici philoſophi. 8
Cyriæ doxæ. 234

D

DElos. 17
Demarathus. 158
Democritus. 26
Demoſthenis uigiliæ. 145
Deus. 28
Deus mundus. 255
Deus iuuans pater. 248
Deus mundi anima. 260
Dij gentium maiores. 118
Deorum cibus cur ambroſia, & potus nectar. 122
Deorum beneficia. 272
Deos eſſe. 248
Dialectica. 19
Diagoras Mercurij F. 126
Dialectici officia & partes. 19
Diſciplina 254
Diſſoluere. 15
Diuinatio quid. 297
Dolare. 23 Dolor. 145
Dumetum. 24

E

ECHionis picturæ inſignes. 183
Eleas. 6
Eleatis in officio conſeruando conſtantia. 9
Emax. 193
Empedocles. 27
Empirice. 29
ἐνύπνιον. 37
Enucleare. 152
ἐπιάλτης. 37
Epicharmus primus cōmœdiā effinxit. 12
ἐποχή. 32
Equuleus. 151
Error honeſtus. 119

Errare 268.270
Eumetrides gemma. 44
Euriſteus. 19
Eurotas. 157
Euryclia. 153
Euidentia. 7
Exalbeſco. 11
Exantlare. 23
Exemplum. 267
Exta. 11

F

C. Fabricij continentia. 168
Fabricor & fabrico. 18
Familia unde uocata. 182
Feriæ Latinæ 207
Ferula. 109
Fides quid. 201.271
Fortis. 138
Fortunæ uis. 181
Fruges. 262
Furioſus. 19
Fuſcina quid. 240

G

GAllinarij. 17
Ganymedes. 148
Gemini. 12
Gloria uirtutem ſequi. 124
Græci aſſentatores. 123
Gurguſtium quid. 210

H

HAllucinari quid. 229
Hamonis cornu. 43
Hanula, hariolus. 224
Haruſpices. 299.224
Helice. 284
Heraclitus. 27
Herculei labores. 23
Homerus philoſophorū et poetarum præſtantiſſ. 122
Homo in aliquibus inferior brutis. 8
Homini per uiſionem multa uana occurrere. 12
Honorarius arbiter. 159
Hilum. 116
Hydra. 24

I

IAnus. 275
Icelos. 38
Ichneumon. 240
Ignis. 26
Iliona Priami filia. 18
Impius. 249
Impotentes qui. 154
Indiuidua. 13
Infinitas quid. 211
Inſanus. 19
Inſomnium. 37
Inteſtinum. 11.12
Inuerſio. 17
Inuidus. 138
Iurgium. 202
Iuſtitia agnata Somni. 35

L

LAconis dictum. 153
Lethe fluuius. 34
Lex Varia. 132
Liber unde dictus, Bacchus 117.273
Libramentum. 25
Linea. 267
Literarum inuentio. 120
Loci communes. 16
Lucerna. 16
L. Lucullus. 2
Luculli triumphū quis impedierit. 2

Lycurgus. 150
Lyſippus ſtatuarius. 17

M

Melancholici furentes. 136
Male audire. 159
Malitia humana. 133
Manus tollere. 14
Marathonij. 146
C. *Marius.* 170
Matellio. 184
Mecœnatis triennalis uigilia. 35
Meliſſus Samius. 27
Melius. 200
Memoria. 9
Mens. 255
Menſis. 121
Menſum. 29
Metrodorus. 152
Mina. 22
Miſericordia animi uitium. 137
Modeſtia. 176
Monogrammi. 271
Morpheus. 38
Mors. 115. & 117. *Soror Somni.* 35
Mors non mala. 124
Mortuos nõ eſſe miſeros. 123. 124
Mulus piſcis. 184
Mundus. 28
Mundi perfectio. 262
Muria 112
Muſicæ inuentores. 159
Myrmecides. 28

N

Naſturtium. 110
Natrix. 28
Natura. 266. 280
Natura, bruta 264
Natura in omnes benigna. 246
Natura duplex. 212
Naturæ membra. 257
Naturæ ſedes. 264
Naturæ rerum princeps. 256
Necromantia. 119
Neptunus equeſtre numen. 134
Nexus. 182
Nihil, nihilum. 27
Nox *Terræ filia.* 33
Noctis liberi. 33. 34

O

Oblatum. 12
Obſonare 156
Oculum torquere. 16
Oculi non ſimpliciter perſpicaces ſecundum naturam. 18
ὁμοιομερία. 26
ὀνειροπόλοι. 38
ὀνειροκριτικοί. 38
Ophiuchus. 285
Optimum 262
Oratorum genus triplex. 127
Ordo. 264
Oſcinum quid. 296

P

Pacidianus. 146
Paradoxum. 30
Patella. 109
Patera, eiuſq; uſus. 168
Paupertatis exempla. 142
Peculium unde dictum. 185
Pecuniæ membra. 165
Penates. 275
Penelopes telam retexere. 20
Perceptio. 22
Perfectum. 262
Perſius 106
φάντασμα 37

SS 3 Phanta-

Phantaſos 38
Phidias. 112. 118. 164
Phiditia 156
Philoſophorum genera duo. 25
Phyſica. 118. *Pietas.* 200
Pinnæ. 112
Piſcina quid. 184
Plane 121(117
Plato diuus, & philoſophorum deus.
Plato proximè ad ueritatem accedit. 27
Pleſtrum. 294
Poëtas numine agitari. 122
Poëtarum lectio. 129
Polycletus Sicyonius ſtatuarius. 183
Pomœrium. 252
Portenta. 219
Præcipito. 14
Prærogatiua. 251
Priami facilitas. 123
Probatio. 22
Probos fieri bifariam. 261
Procax. 206
Prodicus. 242
Prometheus. 151
Propitius. 246
Protagoras ἄθεος. 31
Punctum. 24. 163. 267
Puteoli ciuitas. 22
Pygmocomi ſemen. 44
Pyramis. 210
Pyrrho Elienſis. 29
Pythagoræ ſedes. 141
Pythagorei qui. 27

Q

Quadratum 230
Quæſtio quid. 198

R

Radiatus. 29
Ratio. 9
Rationis ſedes. 122
Regnum ſolitarium. 32
Religioſum. 276
Rerum principium. 274
Res certo cognoſci. 9
Reticentia. 16
Reuertiſſet, actiuè apud Cicer. 8
Riualitas. 147
Robur. 23
Rota tormentum. 152

S

Sanctitas. 200. 245
Sapientia 262. *quibus inuiſa.* 135
Sapientiæ partes. 24
Sapiens non ſentit res malas, nec mouetur fortunæ bonis. 29. 30
Sapiētis nomē ſoli Deo cōuenire. 263
Sapiente indignum. 134
Sapientes ſeptem. 25. 150
Scientiæ ſemen in nobis. 135
Secta, Sectatores. 70
Seculum. 209
Secum loqui, quid. 159
Securitas Somni uxor. 34
Senes patientes inediæ. 131
Senſus non fallere. 9
Seriphus. 236 *P. Seruilius.* 16
Sidera rationalia. 264
Sitella. 218
Societas. 201
Sol quanto maior terra. 16
Solarium. 281
Somnus Iouis nuncius. 37
Somnus parua mors. 37
Somnus nullam perſonarum habet reſpectum. 35

BIBLIOTECA ... BONC...

Somnus Noctis filius. 33
Somni deſcriptio 35.42
Somni filiæ. 34
Somni regnum,ſiue regia. 34 (ead.
Somni lectus.34. ſacerdotes 35.opus.
Somni cognomina 35. conuiuium.37.
Somni famuli. 36
Somni portæ. 42
Somni uirga. 36
Somnia omnia augere. 39
Somnia certiſsima. 39
Somnia quomodo nobis uera & tranquilla contingant. 20
Somnia ex ſe nihil habēt ueritatis. 41
Somniorum oracula. 39
Somniorum confuſio et tumultus. 43
Somniorum interpretes. 38
Somnorinus. 41
Sophiſmata. 15
Sophiſtæ. 43.108.226
Sorites. 12
σωρὸς 12
Spiritus. 255. Squilla. 110
Stare. 17
Stellas non eſſe igneas. 263
Stella. 111
Stoicus loquendi modus. 262
Stoicorū et peripateticorū diſſēſio. 6
Stoicis dolor moleſtus,non malus. 133
Strabo. 232
Superficies. 267

T

Trulla. 184
Tempus. 274
Terentius Varro. 2
Terra. 119. Terror. 145
Teruncij. 112
Thaſos inſula. 44. θετικὰ. 164
Tireſias Thebanus. 38
Titillatio. 241. Tormenta. 150
Tortuoſus,um. 22
Tribunus. 21. Tyrius Stoicus. 9

V

Vacationē habere. 28. Vates. 224
Venus Lubentina. 271
Vergiliæ. 286. Veſpertilio. 37
Veſuuius mons. 107. Veternus. 34
Vir. 131. Virtus Heroica. 272
Virtutis alimentum. 115. Viſus. 7
Viſus hominis quare aliquando fallatur. 16
Viſum. 37
Vita Somni patruelis. 37
Viuere in diem. 151. Vitæ ſedes. 119
Viuere ut uelis. 181
Vlyxes uulneratus. 132
Vmbratiles. 129
Vniuerſi partes. 26
Vocis imago. 135
Voluptas. 30.108.27
Voluptas meretrix. 272
Vulcanij inuicti. 130

X

Xenocrates. 31
Xenophanes Colophonius. 26
Xerxes. 152

Z

Zeno. 1. author Stoicæ ſectæ. 119
Zopyrus. 149

FINIS.

BASILEAE, PER
Iohannem Oporinum, Anno Salutis
M. D. XLIIII. Menſe Martio.

813,788